DE EDVCANDIS ERVDIENDISQVE PRINCIPVM LIBERIS, REIPVBLICÆ GVBERNANDÆ DESTINATIS, DEQVE REPVBLICA CHRIstiana adminiſtranda:

AD ILLVSTRISSIMVM VVILHELMVM DVCEM *Iuliacenſ. Cliuenſ. Montenſ. Comitem Marchiæ & Rauensburgi, Dominum Rauenſteinij, &c.*

Libri duo.

AVCTORE CONRADO HERESBACHIO IVREconſulto, & eiuſdem Principis Conſiliario.

SPARTAM NACTVS HANC ORNA.

FRANCOFVRTI AD MOENVM,
Cum Gratia & Priuilegio.
M. D. LXX.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI CAROLO FRIDERICO IVNIORI, DVCI IVLIACENS. CLIVENS. MONTENS. COMITI MARCHIÆ ET RAVENSBVRGI ac Domino Rauesteinij, CONRADVS HERESBACHIVS Iureconsultus S. D.

SVPERIORIBVS annis, generosissime Adolescens, cum instituendo illustrissimo parẽti tuo etiam tum adolescẽti adhibitus essem, formam quandam delineaui, ad quam principum liberos gubernationi destinatos educari atq; institui vtiliter posse existimaui, & qua ipse quoq; in erudienda eius Celsitudine olim vtebar. Ea verò cum per gratiam Dei non infeliciter cesserit, & alijs aliquot principum institutoribus à me eandem extorquentibus describendam iampridem permiserim, veritus ne (vt sunt hoc tempore parum candida pleraq; ingenia) corruptè aliquando in publicum spargeretur, recognoscendam, ac veluti relambendam in manus resumpsi.

Maximè verò quum Dominus ὁ δωτὴρ ἐάων Illustrissimo parenti tuo incrementum dederit, & generationi eius benedixerit, teq; patriæ guber-

nandæ hæredem ac ſucceſſorem procrearit: non malè conuenire arbitratus ſum, tuæ Celſitudini hoc veluti officij mei μνημόσυνον nuncupare: nimirum vt hæc Illuſtriſſimi parentis veſtigia tibi commonſtrem, quibus ipſe quoq; inſiſtens ad felicem Reip. adminiſtrationem educari poſſis. Et quanquam non dubitem, quin Illuſtr. parentes tui, pro ſingulari ſapiẽtia ſua, & in Remp. ſolicitudine, pueritiæ tuę ad tãtam expectationem natæ inſtitutores & moderatores viros graues & eruditos admouebunt, qui T. Celſ. rectè & pro dignitate inſtituãt: attamen cum ipſe iam in principum & reip. negotijs aliquãdiu verſatus pleraq; animaduerterim, hoc tempore admonitu non indigna: ſperarem, ſi hoc ductu vtantur, & interim diuina benignitas (vnde omnium Imperiorum felicitas cõceditur) incrementum prębuerit, non malè inſtitutionem ſucceſſuram eſſe. Etiamſi melioribus exquirendis occaſionẽ mea opera nequaquam alijs præripere, ſed potius præbere anſam voluerim. Interim Celſ. tuæ Reip. conceſſæ gratulor: & inprimis Deo opt. Max. à quo omnis poteſtas proficiſcitur, gratias ago, quòd tales tibi parentes, virtute, pietate ac ſtemmate, inter præcipuos totius Europæ conſpicuos

ſpicuos tribuerit, qui & velint & poſſint tuam hanc ætatem rectè educandam erudiendamq́; curare. Habes domeſtica exempla, quæ imiteris, quæq́; te inuitent. Turpe fuerit (quod Deus auertere dignetur) ab his degenerare, aut ab horũ virtutibus deflectere. Ortum Imperatorio ſanguine, auis, abauis, attauis, Cęſaribus, tantorum parentum virtutes iam inde à pueritia imbibere te oportet: vt tandem Spartam tibi à Deo deſignatam, pro dignitate & Reip. vtilitate exornare queas. Id quod T. Celſitudini, is in cuius manu corda ſunt Principum, & quocunq; vult impellit, Dominus dominantium ac gubernator cœli & terræ largiri dignetur,

Amen.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, DOMINO VVILHELMO, DVCI IVLIACENS. CLIVENS. ET MONTENS. COMITI A MARCA ET RAVENSBERGO, domino ditionis *Rauesteinij, &c. Domino suo clementissimo.*

NAE actum ego, vt dicitur, agere videbor, princeps Illustrissime, qui post absolutissima cum veterum tum recentiorũ de principe instituendo scripta, parem veluti post Homerum de bello scribere Troiano. Nam vt ethnicos, Isocratem, Xenophontem, Dionem, Plutarchũ, atq; alios eloquẽtissimos doctissimosq; viros prætercam, vel vnus Erasmus vir citra controuersiam & doctissimus, & omni tàm Christiana quàm Philosophica doctrina instructissimus, hoc argumentum sic absoluisse putatur, vt nihil aliunde addendum exquiri posse videatur. Verùm cum ea, quibus princeps instituendus est, partim literis, partim negociorum gerendorum vsu comparentur (vt Isocrates rectè admonuit) & imperia temporum locorumq;, tum ingeniorum ac religionis ratione plurimùm varient: Veteres illi quidem generalia præcepta, communes locos, ac suis quiq; gentibus & temporibus oportunè & disertè multa: nostris verò temporibus ac principibus, κατὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην, vt Paulus inquit, non per omnia vbiq; cõgrua tradiderunt: nisi quis existimet quibuslibet patẽdis tegendis quæuis opercula quadrare. Vnde prudenter ac lepidè ab Afranio poeta dictum: Sapientiam filiam esse Vsus & Memoriæ, quo argutè declaratur, ei, qui sapiens esse rerum humanarum debeat, non solis libris atq; disciplinis opus esse, sed oportere quoq; eum versari & exerceri in rebus communibus noscendis, périclitandisq;, ea omnia quæ euenerunt firmiter meminisse, eq; rerum euentu sapere

pere & conſulere, non quæ libri tantùm & magiſtri dictitarunt. Nam quæ Philoſophi ethnici tradiderunt à noſtris moribus, religione, viuendiq; & gubernandi ratione in pleriſq; aliena, noſtris principibus neq; debent neq; poſſunt in vniuerſum accommodari. Quis enim non videt, quantum principum noſtrorum adminiſtratio à veterum imperandi forma diſcrepet, ſiue Græcos ſpectemus ſiue Latinos.

Homerus, omnis eruditionis parens, arbitrio ſuo in Achille finxit fortiſsimi principis effigiem, in Vlyſſe prudentiſſimi. Sed quorſum hæc ad noſtros & pios principes? Siquidem illum fecit ſæuum, ſanguinarium, immanem, hunc aſtutum fraudulentum, mendacem.

Xenophon Cyrum ad imaginem iuſti & moderati regis depinxit, vt Cicero teſtatur: tametſi, vt Plato ſcribit, non talis fuerit, ſed qualem conuenire Xenophon putabat. Etſi maximè talis fuiſſet, noſtris tamen minimè in omnibus imitandus. Propheta eum vrſo comparat, licet initiò Iudæis benignum, poſt tamen humanitatis pœnitentem.

Quid ergo tandem protulit eloquentiſsimus Philoſophus? principem bellicoſum, bella ex bellis ſerentem, pacis, pietatisq;, hoc eſt, verè principalium artium vbiq; parum memorem. Idem licet iudicare de Platone, Ariſtotele, Iſocrate & Plutarcho. Omnes quidem ethnicorum adminiſtrationes, & εἰκόνας principum pro illorum ætate, religione & gente eleganter eruditeq́; depingunt. Et quanquam vtiliter multa etiamnum noſtris congruentia pręcipiant, in hoc tamen plurimùm ſunt verſati, vt principes bellaces magis quàm pacis ſtudioſos exhiberent, eaſq; artes parum aut leuiter attingerent, quibus pium principem ac patrem patriæ inſtructum eſſe oportet, nempe qui domi religionis, iudiciorum, diſciplinæ tuendæ, foris bellorum ac direptionum arcendarum peritia valeret.

Nam cum religio mentes hominum maximè regat flectatq́;, & qua quis ſemel imbutus quantumuis abſurda & abominanda, in

ea per-

ea pertinacissimè perseueret, adeò vt Aegyptij in suis ritibus sic cæcutiãt, vt bestias ac plantas pro Dijs non horreant colere: Turcę Mahometem impostorem mordicus retineãt, eiusq; religionem armorum potentia pro aris ac focis tueantur. Ethnici scriptores vel idololatræ fuerunt pleriq; vel quæ natura suggessit, & rationis ductum secuti: de ijs à quibus religio, hoc est, norma & pia Reip. administratio petenda, veluti fidei, voluntatis ac timoris Dei, οὐδεὶς λόγος: solũ finẽ statuentes gubernationis, pacem & tranquillitatem in Rep. & vanam gloriam, parumq; aduertentes COR REGIS in manu Dei esse, & id quocunq; velit impellere. Iccirco Principes & Magistratus vocationi suæ gnauiter seruire, euentum autem omnem in Deum, imperiorum auctorẽ ac moderatorem, conijcere debere: Nisi enim Dominus ædificauerit domum, inuanum laborant ædificantes: Dei enim opus est, siue prospera succedant siue aduersa, id quod illi vel suis viribus, vel idolorum vanitati tribuerunt. Tametsi non dubium, quin si in hanc nostram ætatem & religionem incidissent, alia ratione instituendi vsi fuissent: & tempori seruientes, explicatius quædam nostris moribus, atque piæ administrationi magis consentanea felicissimè tradidissent.

Psalm. 127.

Sed dices: Quæ in Ethnicis desiderata sunt, ea abundè sarcisse Erasmum Roterodamum, qui etiam quæ ad Christianum principem erudiendum pertinent, cuncta per omnes numeros complexus videtur. Fatendum quidem hunc virum, nonnisi præfatione honoris mihi nominandũ, deq; me atq; omnibus studiosis optimè meritum, sanctè copioseq; multa etiam nostræ religioni & ætati receptissima & vtilissima tradidisse, ac deniq; in Christianis religionis magistratibus ac Republica pleraq; animaduertenda, prudenter notasse. Quibus equidem lubens subscribo, ac vtor, cuperemq; eadem omnibus principibus & institutoribus esse familiarissima. Attamen cum à paucis hisce annis, & ab edita illius institutione tam variæ religionis cõtrouersiæ, tam horrẽdæ mutationes atq; imperiorũ perturbationes extiterint, vt vix ab

Erasmus.

octingen-

octingentis retro annis periculoſiores fuiſſe comperiantur: profecto qui hoc tempore penitiorē principum ac rerū publicarum philoſophiam contemplantur, facilè deprehendent etiam in Eraſmi hoc ſcripto non pauca deſiderari, quibus aduerſus horum temporum motuumq; diſcrimina principes præmuniendi ſunt, quæ haud dubiè vir ille, ſi hoc tempore inſtitutionem adornaſſet, horumq; temporum ſtatum penitius perſpexiſſet, nequaquam intacta reliquiſſet.

Adde quod ijs qui in aulis ac principum negotijs ac republica verſantur, multa ſeſe offerunt, quæ ij qui in ſcholis, in vmbra à republica alieni latent, non ita perſpiciunt. Habet enim aulica Philoſophia ſua myſteria, habet hoc pelagus ſuos ſub vndis latentes ſcopulos, qui nauigantibus non apparent antequā ipſi impingant. *Aulica philoſophia.*

Lucianus ſcitè explicuit aulæ picturam, nempe veſtibulum ſublime & inauratum, abruptum, lubricoq; aditu, ita vt plerunq;, qui ſe ad ſummum perueniſſe putant, præcipites ceruice fracta deijcantur. INTVS opulentię oſtētatio, ſpes fallax, ambitio, ęmulatio, inuidia, detrectatio, fumi, adulationes, multæ manus, pauca corda, vt dicitur, faſtus, aliorum contemptus, crapula, luxus, corruptiones, auaritia: eaq; omnia ſpecioſis fucis teguntur. Et vt paucis dicas, aulica vita ſplendida eſt miſeria: Interim qui rectè monere velit quo pacto in hoc vitæ genere viuendum prænoſſe myſteria oportet hæc aulica.

Nam cùm principis chriſtiani officium ſit aulam ſuam ad chriſtianam diſciplinam componere, ambitonem, luxum, crapulam, corruptiones coërcere, religionem, iudicia tueri, atq; ſic conſtituere, vt verus Dei cultus conſeruetur, innoxij & boni in tuto ſint, petulantes puniantur, conſiliarij, præfecti & miniſtri pij & incorrupti aſciſcātur, adulatores, pleonectæ & corruptionibus obnoxij, explodantur, omnia ad Reip. ſalutem, & ad leges referantur, vt paulo poſt dicetur explicatius. Iam pauci principes ſuum hoc officium intelligunt, pauci, vt ſic dicam, αὐτοκράτορες, pleriq; alienis oculis, ſapiētia vicaria, καὶ ὀπισθάκλων φρενῶν δεόμενοι, vt Plutarhi *Principū officium.*

verbis vtar, administrãt, omnia in consiliarios reijciẽtes, inter quos vnum plerumq; aut alterum habent, à quo veluti bubali naribus trahuntur: qualis Perennius apud Commodum Imperatorem describitur ab Herodiano. Hi toti in hoc sunt, vt soli consiliorum arcanorum, negotiorumq; arbitri sint, modisq; omnibus canent, ne alij se principi insinuent, aut sibi consortes fiant. Hi principum auctoritate sæpe in perniciem Reip. abutuntur, eos aut de industria dementantes, aut voluptatibus effœminatos reddentes, atq; adeò in ipsos principes prope tyrannos agunt: quod tamen illis nonnunquam malè cedit, vt de Conestablio Franciæ prodidit Cominæus. Ex horũ certè re est principes quàm minimũ sapere, atq; vt ipsi liberius administrationem & potestatem omnem in se transferant, proq; sua libidine cuncta gubernent, sinunt principes suis voluptatibus ἄγεσθαι καὶ φέρεσθαι. Ipsi opes gubernationi destinatas vel precario vel fiduciaria pignoratione ad se trahunt: hi quæstores ærarios, præfectos omnes, atq; œconomos habent in potestate. Si quis illis adulari nesciat, aut nolit, aut non obsecundarit illorum ambitioni & auaritiæ, is tanquam ineptus minister reijcitur: breuiter, vt Alexander Imperator dicere solebat: Qui multa rapuerit, pauca suffragatorib. dederit, saluus erit: ὁ πολλὰ κλέψας, ὀλίγα δοὺς ἐκφεύξεται. Hi principum prouentus & pręfecturas citra rationum reddendarum obligationem oppositas atq; oppignoratas tenent. Subditos in suis præfecturis suo arbitratu miserè non expilant solùm, sed deglubunt, vndecunq; quæsitis mulctandi rationibus. Ac verò in hunc modum alienatis, & velut ab inexplebilibus hirudinibus principum opibus exhaustis, vbi impẽsæ deficere incipiunt, quibus voluptates suas principes expleant, horum consilio noui subinde prætextus exactionum suggeruntur subditis expilandis, atq; ita fit vt οὗτοι οἱ δημοβόροι rerum potiantur, & principes libenter publicorum negotiorum onere liberati, in voluptatum suarum perfruitione persistant, potent, ludant alea, venentur, comessentur: interim Reipublicæ gubernatione Midis, atq; corruptissimis plerunq; hominibus commissa, officia & sacerdotia

Perennius. Herodianus in Commodo.

dotia largitionibus, & ad fauorem hominum ineptis dispensatur. Vnde fit, vt neq; religio neq; iudicia, quę præcipua sunt gubernationum fulcimenta, & verè principum munia negligátur, ijsq; neglectis vniuersa Reipublicæ structura concidat necesse est.

Historijs proditum est Chilperichum Francorum regem, ex Meronea gente vltimum, propterea exutum regno, quòd nomine tantùm Rex, consilio & opera nihil regium præstaret. Et nostra ætate vidimus quosdam propter trunculentiam, & quòd facultates gubernationi destinatas inutiliter dissiparent, subditorum bona diriperent, neq; disciplinam, religionem ac iudicia regerent, tanquam ignauos quæstores, vt à Daniele vocantur, ex ditionibus diuinitùs explosos.

Accepimus principem quendam non postremum potentia & ditione, cùm ob Rempublicam malè administratam exularet, deplorare solitum, quod cùm in principatu constitutus, de re ardua deliberandum esset, consiliarij venationem adornarunt: (nam tenet insatiabile multos venandi cacoëthes) ijs illecebris ostensis, animoq; illuc intento negotia, de quibus in senatu se præsente agitandum fuit, neglexit: Ego, inquit, quid facerem ne voluptatibus meis fraudarer, vos isthæc, inquiebam, tractate. Ita consiliarij suis rebus consulentes, ac principis auctoritate abutentes effecerunt, vt Dionysij instar in exilio priuatus viuam.

Quæ sanè ignauia ac pestis principalium gubernationum, partim peccatorum nostrorum meritis, partim negligentiæ educationis debetur, partim denique mundi senescentis delirio, virtutumq; heroicarum exitio, id quod apud Homerum queritur Mentor: & Horatius idem latine non ineleganter expressit:

Damnosa quid non imminuit dies?
Aetas parentum peior auis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Miserabilis comparatio, quoties nostrorum temporum principes cum maioribus, Constantino, Thedosio, Carolo, Ottonibus, Fridericis, ac superioris ætatis heroibus conferimus: vt Dauidem, Amasiam, Ezechiam, Iosiam, atq; adeo ethnicos Agesilaum, Cyrum, Scipiones taceam: Hei quantum mutati ab illis Hectoribus: adeò certè rari, vt omnium εἰκόνας fortium & christianorum principũ nostri temporis in vna annuli pala sculpi posse, Claudij scurra dixisset. Profectò sic sunt corruptæ christianorum gubernationes, vt vel Esaiæ oraculo de ruitura Repub. ac pueros principes, effæminatosq; consiliarios comminante, vel potius Christi, Danielis atq; Pauli vaticinio respondere videantur, ac referre tristißimam faciem, quæ fuit ante diluuij tempus. Siquidem religionem, pietatem experimur degenerare in tyrannidem, fulciri Antichristi regnum, doctrinam sanam non tolerari, hypocrisin ali, leuitatem, φιλαυτίαν, perfidiam, auaritiam, fastum indies augeri: videmus luxu, crapula, beluinaq; temulentia, ac voluptatibus plus quàm Sybariticis tanquam pro gloria contendi: breuiter, vitia etiam ethnicis execrabilia, iam christianis gubernationibus vulgatißima.

Facies gubernationum tristißima.

Neq; contenti vernaculis, etiam externarum gentium vitia tanquam symptomata accersimus, in voluptatibus crapulisq; explendis, ambitionis, luxus, fastusq; gratia; vt alios vincamus nullũ scelus prætermittitur. Hinc Dei & proximi neglectus, subditorum expilationes: hinc largitiones, proditiones, cõspirationes, nullum deniq; facinus, ad quod non impellat externæ mollitiei ęmulatio.

Externa vitia accersuntur.

E principum & aulicorũ vitijs manant subditorum vitia.

Principum mores, vel vitia verius, sectatur vulgus — Componitur orbis.
Regis ad exemplum, neque sic compon ere sensus
Humanos edicta valent quàm vita Regentis. *Et vulgo dicitur:*

Qualis princeps talis populus. Principum luxum imitantur nobiles, nobilium ciues, atq; etiã rustici. Si Princeps compotandi certamine:

certamine deleƈtatur, potitant & nobiles, & ciues ac ruſtici certatim temulentiæ vacãt. Si princeps idololatra, populus quoq; ad impios cultus velit nolit prouehitur. Proinde Dominus tàm ſeueriter increpat reges Iſraëlitarum, qui populum ſeduxerunt idololatria. Sed quid multa? à principum corruptis moribus tanquam fonte omnia Reip. mala manant.

Porro cùm tria ſint, quibus Resp. chriſtiana potiſsimum nitatur, Magiſtratus, Scholæ, & miniſterium Eccleſiaſticum: è priore tamen poſteriora duo prorſus pendent: Nam vbi princeps aut magiſtratus in Rep. pius & cordatus, is tanquam in ſpecula conſtitutus auƈtoritate ſua facilè & Scholis & Eccleſijs proſpicit. Quare Eſaias principes appellat nutricios Eccleſię. Siquidẽ principum officium eſt verum Dei cultum, religionem ſynceram, honeſtam diſciplinam tueri, ſe ſuoſq; ſubditos ad eam componere, impios cultus & abuſus abolere. Nunc videas principes primum religione tanquam gladio Delphico, vel ad tyrannidem ſtabiliendam, vel ad rem augendam, vel deniq; ad carnis licentiam abuti. Alij aut mutationis auidi, aut Eccleſiarum opibus inhiantes, omnia ὅσιά τε κἀνόσια citra diſcrimen euertere moliuntur. Alij rurſus abuſus quoſlibet mordicus retinent, metuentes ſacerdotia illa ampla & dignitates, quibus negleƈtis Eccleſiarum miniſterijs, iam ocium & luxus ignauorum alitur, ſuis liberis & propinquis eripienda, & in verum vtilioremq́; vſum conuertenda: vnde faƈtum, vt Eccleſiarum, doƈtrinę ac diſciplinę chriſtianæ, Scholarum ſolicitudine negleƈta, morum ac vitę emendatio impediatur. Deinde principes iudicia ſic conſtituere debebant ad ἰσονομίαν, vt nemini cuiuſcunq; conditionis iuſticia denegaretur, ne cui iuſta daretur de iuſticia denegata conquerendi occaſio, vt leges ad communem vtilitatem dirigantur, vt boni defendantur, flagitioſi coerceantur, pax & tranquillitas in Rep. compoſitis litibus ſarciatur. Conſiliarios, officiales, miniſtros pios & incorruptos aſciſcant: Oculi principum ſint inter fideles terræ, & qui ambulant in innocentia, hi miniſtrent eis, vt propheticus Rex canit: corruptos, pleoneƈtas,

Tria quibus Reſpub. nititur.

demouoros, adulatores, fumiuendos, thrasones cum inutilibus palatij tineis reijciant. At quàm hæc res nostris principibus sit curæ, res ipsa declamat. Iudiciorum, consiliorumq; nulla stata ratio. Nō, vt Ietro suasit, timentes Deum, veraces & incorrupti huc asciscuntur, rerumq; periti, sed vnius & alterius arbirio, non ea qua decet grauitate & εὐταξίᾳ, sed confuso ordine omnia statuuntur ac deciduntur: Vnde fit, vt litium, perduellionum, bellorum nullus finis.

Cæterum cùm hæc principes sedulò curare, atq; adeò diligenti solicitudine corrigere conueniebat, in ijs videmus officia vera & heroicas virtutes desiderari, & pueros equitare in arundine longa, etiamsi centum sint annorum. Id quod haud dubiè & nostris peccatis, iuxta Esaię vaticinium, simul & neglectæ institutioni deberi certum: Siquidem nostra socordia neutrum corrigendum curatur, neq; enim conuersione ad Deum & pijs precibus contenditur vt boni principes concedātur, neq; recta institutione sarcitur: quin pueri Reip. destinati solùm delitijs ab incunabilis imbuuntur, & ad pompam, quasi ad gubernandi ars per lusum ac citra instituendi laborem discatur: cùm tamen hæc sit omnium artium difficilima, vt Diocletianum Imperatorem dixisse Vopiscus testatur: Et Plato alicubi Magistratuum quàm Legum maiorem rationem haberi postulat, quod leges propemodum inutiles sint, nisi sit custos & præses νομοφύλαξ, qui has exigat & tueatur. Magistratus autem boni fieri non possunt, nisi iam inde à crepundijs rectè instituantur, excolātur, finganturq; ad quam nati sunt vocationem.

Educationis neglectus.

Imperandi ars difficilima.

Leges inutiles, nisi adsit custos magistratus.

Quantum autem educatio huc faciat, Licurgus Lacedæmoniorum Legislator volens ostēdere suis ciuibus duos catulos, ijsdem parentibus natos, alterum gulæ assuefecit, domi eum retinens: alterum foràs producēs, ad venationem exercuit: Deinde vtrisq; in concionem productis, simul & gulæ inuitamenta proposuit, & leporem emisit: & cùm alter ad consuetam gulam properaret, alter verò leporem insequeretur: Videte, inquit, ciues, quàm dissimiles inter se euaserunt educatione, quantùmue referat, quibus à teneris quis exerceatur.

Iam videas ſtatim vt ouo excluſi ſunt, principum liberos in purpura repere, nihil præter voluptates, molitiē, obſcœnitatem, ſcurras, iocos, vel intueri vel audire, inter commeſſationes, in mulierculárum gremijs, inter morionum & adulatorum greges adoleſcere. De timore Dei, qui initium eſt ſapientiæ, de pietate, de Chriſtianis moribus, deq; Reip. cura, οὐδὲ γρῦ.

Proinde cùm in his implantandis primam curam eſſe conueniret, ne vel imperitia, vel neglectu, vel deniq; fraude improborū impiæ ac falſæ religionis opiniones tenero pectuſculo infulciantur: nulla vel leuis huius rei ſollicitudo, imò ſi quid eſt ingenij, id de induſtria voluptatibus corrumpitur. Pro more ſtatuq;, vt vocant, auctario adhibetur ſacrificus vel Theologaſter, vel Grammatiſta quiſpiam, ad fauorem & commendationem alicuius aulici intruſus, qui legendi ſcribendiq; rudiméta vtcunq; tradat: præter hoc docetur Miſſæ quotidie adeſſe, horas Canonicas legere, aqua luſtrali aſpergi, ſaltare, equitare, venatione luſibusq; exerceri: atq; hæc communis eſt ad imperium adminiſtrandum principum iuniorum philoſophia. Quod ſi cordatior aliquis contingat inſtitutor, qui reiectis ſuperſtitioſis, vaniſq; ineptijs, de timore Dei, deq; Rep. piè adminiſtranda tyrocinia tradere, & digna principe inſtillare conetur præcepta, huic aut nulla conceditur auctoritas, aut ſubitò aliquis Pyrgopolinices, aut Midas aulicus obſtrepens: Ecquid, inquit, tuæ Celſitudini cum ſcholaſticis illis nugis? quorſum Theologia hæc? nequaquam ad Doctores aut Theologiæ profeſsionem inſtituendus es, non deerunt, qui pro te his in rebus ſapient. Et reuera habent qui ſapiant principum nomine, ſed ſuæ rei ſuoq; commodo. De Senecæ calumniatoribus proditum apud Neronem, clamitaſſe finitam principis pueritiam, & robur iuuentæ adeſſe, exueret magiſtros, ſatis amplis doctoribus inſtructis maioribus ſuis.

Ad hunc modum ætas inſtitutioni & ad flectendum accōmoda, trāſmittitur Phaëtontis in morem ad principatum, in non figu tinaria, vt eſt apud Platonem, ſed de tot corporum animarumq; myriadibus

myriadibus periculum factura, ſolùm potentia, equitatu, famuli-tij ſtrepitu, cultusq́; ſplendore principem oſtentans. Quæ verè ad Reipublicæ adminiſtrationem pertinent, hoc eſt, principi propria ſunt, religionum, iudiciorum, diſciplinæ, querimoniarum audiendarum, defenſionis ac pacis conſeruandæ cura, ea proceribus ac Mydis quibuſdam nimirum alienæ fidei, tanti depoſiti periculum concreditur. Nam cùm nemo lubens in ijs verſetur, in quibus non eſt exercitatus, ſocordia & imperitia principum factum eſt, vt Epiſcopi apud Monarchas, & Eccleſiaſtici eruditiores ac vafri apud principes paſsim rerum potiti, vtriq; videlicet ſuam vocationem deſerentes alienam captarint, non ſine magna religionis & Reipublicæ pernicie.

Hæc ἐκ ἀλοσκοπιῆ͂ conſiderantes Illuſtriſsimi tui parentes principes omnibus pacis artibus laudatiſsimi, pueritiam tuam, vnicum florentiſsimarum ditionum κειμήλιον, diligenter inſtituendam præmuniendamq́; aduerſus aularum crapulam, moresq́; corruptos ſumma cura conati, me ſuum ſubditum, iuuenem adhuc apud exteros in celebri Academia docendi munere publicè fugentem, opinione neſcio qua virtutis eruditionisq́; commendatum ad tuam adoleſcentiam inſtituendam regendamq́; accerſiuerunt. Et quanquam apud exteros conditiones ſplendidæ meisq́; ſtudijs accommodatiores offerrentur, & ipſe quoq; prouinciæ, ad quam vocabar difficultatem, ætatisq́; meæ rationem expenderem: tamen amicorum impulſu, inprimis autem patriæ amore paſſus ſum me huic tàm arduæ prouinciæ adhiberi, ne videlicet vocationem à Deo deſignatam defugere viderer, ſemel autem ſuſceptam exiſtimaui pro virili tuendam, atq; qualeſcunq; facultates, quas peregrè in Galliæ, Italiæ ac Germaniæ Academijs, cognoſcendis exter narum gentium linguis, moribus, honeſtisq́; diſciplinis, idq; magnis & impenſis & laboribus eram aſſecutus, eas nuſquam rectius quàm in patriæ principe inſtituendo collocari, omnesq́; conatus huc cōferendos, vt is œconomia chriſtianæ inſtitutionis adornata, præceptis futuro principe dignis imbueretur.

Enimuero Lysiam ferũt Pythagoreum, cùm patriȩ res deploratas ardendi studio restituere cuperet, neq; reperiret aliam restituendæ Reip. rationem, Epaminondam (cuius ingenium magnis rebus natum animaduertit) formandum suscepisse, neq; fefellit conatus: Nam opera hac Thebanorum imperium collapsum rursus illustratum fuit.

Ipse quoq; cernens in aulis principum religionẽ & disciplinam prorsus, vt antè diximus, corruptas, iudicia neglecta, subditos à potentioribus opprimi, tuam autem adolescentiam, in quam tàm multi oculos tanquam ad exorientem solem conijcerent, in hoc periculoso temporum cursu perinde atq; Homericum Thelemachum Mentoris alicuius ductu egere, aduersus tàm populi quàm aularum perditos procos, maximè autem aduersus impias salutis æternæ opiniones, necessarium iudicaui, vt tuæ Cels. adolescentia simul & literis & pura religione, è qua tanquam fonte omnis pia administratio profluit, moribus castis, aduersus crapulam, temulentiam, superstitionem & lasciuiam, aliasq́; horum temporum Syrenes, antidotis prȩmuniretur, & rudimenta piȩ gubernationis maturè auspicari condisceret. Ad quam rem (quia multæ manus onus leuius reddunt) adiungendos petij συνεργοὺς, homines & moribus castis, & linguarum rerumq́; externarum peritia commendatos, qui in hac opera velut altera manus essent. Et arbitror hoc nostro studio voluntatem & vota non defuisse declaratum, vt tua Cels. in syncera religione, in crapulæ fuga, in continentia, honestisq; disciplinis & excertijs diuina ope suffragante educaretur. Et gratia Deo hactenus non infeliciter successit. Quinetiam expectationem de tua Cels. conceptam incredibili virtute superasti. Siquidem non solùm subditis & propinquis magnam spem præbuit tuæ Cel. adolescentia: verumetiam vicini & exteri in indole tuæ Ce. prouocati hostiles animos, atq;, vt dicit, ἄσπονδον illud bellũ, quod cum maioribus tuis perpetuò gesserãt, vltro vt deponerent, atq; in gremiũ tuȩ gubernationis prouoluerẽtur, cõmuniq́; suffragio omniũ ordinum, te in auitas ditiones postliminio reuocarent.

Porrò vt constare possit, qua ratione, quóue ductu tua Cels. educata atq; instituta fuerit, eius formam, quam huic quoq; tépori cóuenire existimaui scripto cóplexus sum, idq; cum ob alias causas, tum quod aliorum principum institutores fama tuæ institutionis prouocati à me hanc formulam extorserunt, vt in manus iam hominum quorundam peruenerit. Quare ne aliquando ab alijs corruptè fortè ederetur, eandem ipse publicandam censui, simul vt declaratur, quid in ipsa pueritia & adolescentia tibi traditum sit atq; instillatum: & si fortè quædam memoria exciderint, hîc repetere liceret, eademq; opera rationem muneris perfuncti tuæ Cels. ac patriæ charissimæ relinquerem. In quibus si tua Cels. persistat (vt iam gnauiter cœpit, & spes continuis ad Deum precibus adiuta perseueraturum pollicetur) non malè Remp. administrabit. Mihiq; gloriosum erit, te tantum principem habere disciplinæ meæ alumnum. Sin minus (quod Deus auertat) equidem successus, rerumq; malè administratarum auctor & esse & haberi nolim: quandoquidem discipulorum vitia in institutores plerunq; reijciuntur. Et digni sunt, me Hercule, non vna cruce, qui probam nacti materiam, eam vel institutione vel consuetudine, morumq; prauitate reddunt deteriorem.

Leonide. Cuius criminis reus proditur Leonides, quòd ab eo Alexáder Macedo temulentiæ vitium contraxerit. Ipsa tua Cel, nouit quanta cura à nobis ab hoc alijsq; vitijs sit auocata atq; deterrita.

Adolescenti cura. *Plato in Lachete.* Cæterum cùm vt non minor virtus κατασχεῖν τὰ ἀγαθὰ τοῦ μὴ πιζοντα κτήσασθαι: neque satis sit principes rectè institui, nisi post vbi adolescere incipiunt, in officio contineantur: Plato subinde de adolescentia corrigenda monet acriter, atq; adolescentiæ regendæ peculiarem Magistratum postulat, qui in rectè institutis adolescentiam contineret. Proinde tyrocinia quoq; administrationis quædam vulgatiora adiecimus ad calcem huius operis, in quibus tua adolescétia initio gubernationis se exerceret. Siquidem, vt pueritia imbecillis, cũ neq; firmitate roborata huc illucq; facilè impellitur aut flectitur, pædagogia opus habet, quæ defectus naturæ diligentia

ligentia ſuppleat:ita pueritiæ fluctus adoleſcentiæ ſuccedunt, qui vehementioribus, perinde atq; Aegæum mare concupiſcentiæ ventis exagitantur. Quæ quidem ætas quanto magis coërcione indiget, tanto diligentius curanda, nō ſolùm quia magnis turbationum fluctibus plerunq; cęditur, verumetiā quòd peccantes nō reprehendūtur, & ſępe ſpirantibus vehementiorib. ventis gubernator imbecillior redditur, quàm vt tātam tempeſtatē coërcere poſſit. Quapropter neceſſe eſt non ſolum vt ab incunabulis rectè formetur inſtitutio, verum etiā vt adoleſcētię in ijs quib. inſtituta eſt cōtineatur. Quid alioqui proderit educatio recta? ſi poſt, vbi ſibi relictus princeps erit, putat licere quòd libet? οὐ γάρ τι τὸ ἀγαθοὺς γενέσθαι τοῦτο ἀρκεῖ, ὥστε καὶ διατελεῖν ὄντας ἀγαθούς, inquit Cyrus Xenophonticus. *Ne ab inſtitutis reſiliant adulti.*

Xerxes natus in familia heroica, & parentibus virtute præcellentibus, ipſe indole præclara, domeſticaque diſciplina diligentiſsimè ad virtutem inſtitutus fuit: verum cum in tanta potentia & luxu cupidiatum habenas non cohiberet, tandem prorſus effæminatus in immanem beluam degenerauit, quam diuina deinde vltio ſecuta eſt. Series Aegyptiorum Regum teſtatur, quam pleriq; à bonis parentibus orti ac bene educati, vbi imperio admoti fuēre, præceptorum obliti turpiter degenerârint. Rectè monita plerunq; reprobos reddūt deteriores, vt in Pharaone, Saule, Cambyſe, & pluribus alijs declaratum. Quid profuit Neroni grauiſsimorum virorum Senecæ & Burri diligens inſtitutio? Quid Galbę natura & inſtitutio bona? Quid Commodo, quòd à pio parente, optimorumq; curatorum conſuetudine aliquandiu cohibitus? Quid Iuliano, quod initiò piè ab Euſebio inſtitutus, poſt à Libanio ſpermologo ad ethniciſmum retractus? Qui omnes, vbi Reip. gubernacula adminiſtrare cœperunt, teterrima mōſtra exhibuerūt. *Xerxes.* *Nero.* *Galba.* *Commodus.* *Iulianus.*

Nonnulli, etiamſi bonæ naturæ ac benè inſtituti ſint, vbi gubernaculis admouentur, ab aulicis perduntur. Nouimus principem natura moribuſq; caſtum ac ſobrium, & ſingulari pietate erga ſubditos præditū, quem cùm gubernationi admoueretur, conſiliarij quidā, vt à Reip. cura auocarent, & ipſi pro ſua libidine rerum

 potirentur,

potirentur, voluptatibus ineſcatum ac crapulæ inuolutum ſcele-
ratè perdiderunt: Heus inquientes, num tu princeps es? genio tibi
indulgendum, potandum, commeſſandum, & alia verba adden-
tes, quæ caſtis auribus indigna, ac per iuglum meritò redire debe-
bant, violenter hac improbitate à Reip. cura bonum principem
retrahentes crapulæ ac voluptatibus inuoluerunt.

Eadem in alijs tàm veteribus quàm recentioribus principibus
ſæpe accidiſſe memoria proditum, quę certè omnia meritò princi
pes admonere debent, vt Deū timeant, & diuini numinis reueren
tia cohibeantur, ne rectè à inſtitutis ſe auocari ſinant, néue diabo-
lum tàm potenter in affectibus & cupiditatibus ſuis dominari pa-
tiantur, ſed dominum precentur, qui eos in rectè inſtitutis ſuſten
tet, atq; à malorum conſortio tueatur.

Proinde vehementer ſolicitum me habuit tuę Celſ. adoleſcen-
tia in his extremorum temporum periculis, cum primùm guber-
nationem fati neceſsitate ſuſcipere coacta eſſet, ne ætatis lubrici-
tate à rectè inſtitutis ad intemperantiam & voluptatum illecebras
deflecteretur, vel potentiorum metu, vel δυσωπίᾳ quadam, vel de-
niq; ambitioſorum peruerſorumq; hominum perſuaſionibus vi-
cta à pijs inſtitutis retraheretur. Sed Dominus ſuſtinuit tuam Cel.
vt etiamſi varijs periculorum procellis obiecta, bellisq; maximis
impedita, ſic tamen ſe gereret, vt ſubditi temperantiam, religio-
nem, pietatem, vigilantiam, defenſionemq; principis pij te vene-
rarentur: Et hoſtes fortitudinem atq; virtutes tuas experti ad pa-
cem ſarciendam fierent propenſiores, ac deniq; diuina ope è tan-
tis porcellis emergens ſymboli tui admonitione, Spartaq; quam
nactus eras exornanda contentus, de tuo iure cedere malueris,
quàm ſubditos diuturno bello grauare. Ac verò iam pace ſarta te-
cta Reip. tuæ adminiſtrationē in religione, iudicijs ac politia ſic a-
nimum adiecisti, vt eam aliquando tua auctoritate purgatiorem
ſperemus. Nos, quantū in nobis fuit, diuino auxilio piam, caſtam,
ſobriam adoleſcentiam tuæ Celſ. tradidimus Reip. implorantes
ſemper & precantes Deum, qui corda principum quocunque
vult

vult impellit, vt det indies maius atq; maius incrementum.

Reliquum est, vt tua Cels. iam citra corticem natans non patiatur, se aut peruersorum consilijs, aut deniq; σπερμολόγων impudentia ac vafritie, aut vllis fortunæ fluctibus ab honesto & recta doctrina abduci, neq; à symboli significatione iá inde à pueritia vsurpati trásuersum rapi. Quin SPARTAM quá nactus es, vero Dei cultu incorruptis iudicijs, moribusq; christianis vigilanter ornare magis, quàm ditionem vltra columnas Herculis prorogare studeas. *Spartam nactus hanc adorna.*

Ita demum & Reip. bonus Princeps futurus, & vicinis ac posteris exemplum pium relicturus. In quo præstando Dominus dominantium ad suam gloriam & Reip. vtilitatem tuam Cels. fortunare ac benedicere dignetur, Amen.

Liceátne Christianis Magistratum gerere? Caput I.

INstituti simul & temporis ratio flagitare videtur, vt, antequam ad iustam suscepti laboris operam progrediamur, furiosorum quorundam hominum, qui hisce postremis seculis veterum hæreticorum errores iamdiu sepultos refodere conantur, amoliamur. Eximenda eorum opinio, quæ fingit Leges & Magistratus esse potētiorum arbitria, ius esse quod Principi placet, iustitiæ ordinem à quolibet tractari posse, atq; ita principes è suis sedib. veluti solem è mundo deturbare, atq; ἀναρχίαν astruere, iudicia, bella legitima, militiam, contractus, coniugia, atq; adeò totum Reip. ordinem euertere nititur, libertatem nescio quam promittens miseris rusticis ac simplici populo, vti Syrus ille Eunus olim seruos nescio qua vana spe ad pileum vocans πολλὰς ἰφθίμους ψυχὰς ἄϊδι προΐαψεν, vt de Achillis furore cecinit Homerus. Id scilicet agit iuratissimus humani generis hostis, Euangelij lucem restitui ac proferri sentiens, huncq; salutiferum thesaurum nobis inuidens, homines ψευδαγγελιστὰς, ac nouandarum rerum studiosos excitauit, qui cælestem doctrinam falsis persuasionibus peruersaq; interpretatione ad suos furiosos spiritus detorquerent, idq; ea parte, qua plurimum incòmmodare possent licentiæ fenestra aperta. Eos quidem qui sanam doctrinam perceperunt, peruerso intellectu seducentes, illos verò qui nondum acquieuerunt offendiculo deterrentes.

Eunus Syrus Marcel. li. 14.

Illiad α.

Scripturæ quæ aduersus magistratus produ[c]untur.

Scripturis igitur ὁ πάνυ & instructus & ipse, seq; in angelum lucis speciosissimè transformās produ, concionaturq; Euangelicam vitam spiritualem esse, eiusque regnum non esse de hoc mundo, non nisi spiritualibus præsidijs, non violentia, gladijq; vibratione constare: Reges gentium dominantur suis, vos autem non sic, &c. Immò quo quis maior, hoc sibi minus vendicabit imperij ac potestatis. Ego autem dico vobis, ne resistatis malo. Mihi vindictam & ego retribuam. Qui gladium accipit, gladio peribit.

Matth. 5.
Deuter. 32.
Matth. 26.

peribit. Item: in libertate qua vocati estis state, ne iterum vos iugo seruitutis, &c. Precio empti estis, nolite fieri serui hominum. His & similibus locis obliquè detortis Deus bone, quas tragedias Satanas per suos pseudapostolos & pseudoprophetas mouet, qui & vitæ quadam seueritate splendentes, scripturarumq; colorem ostentantes, incautis ac simplicibus facilè imponunt. Cæterum horum fucum facile deprehendet, si quis scripturæ propositum diligenter expendat, quid, quo loco, & quibus dicatur, quæ præcedant, quæq; sequantur, eaq; non affectibus suis, sed contra affectus suos scripturæ accommodet, collatisq; alijs scripturis, velut interpretantibus genuinum sensum excutiat, ac deniq; spiritus exploret an ex Deo sint.

Galat. 5. 1. Cor. 5.

Scripturas dijudicandi ratio.

Quoties igitur in sacris oraculis de gladio & vindicta fit mentio, discernere oportet, priuatis ne, an magistratibus loquatur: Nam constat Dominum Apostolis vbiq; ac priuatis gladij vsum & vindictam interdixisse, atq; ad hos pertinere citatos scripturæ locos. Magistratibus autem non modò nõ interdixisse, sed his etiam tanquam ministris in manum tradidisse, ac iussisse pro re nata exercere, facinorosósq; ferire, innoxios tueri: Neq; enim frustra gladiũ gestat magistratus, Dei minister, & quasi vicarius existẽs, vltor ad iram ei, qui quod malum est patrârit. Principes ergo in suos imperium exercent à Deo traditũ, bellumq; si defensio subditorum aut vindicta publica id exigat, gerere possunt, vt testantur historiæ sacræ. Priuati & ministri verbi, ad quos fermè pertinent, ea quæ Anabaptistæ adstruunt, non sic, ne videlicet prætextu Euangelij mundano regno inhiare videantur, magistratib. parêre detrectent, néue vindictam magistratibus solis mandatam sibi arrogent, sed iniuriam potius tolerando, malum malo non pensent.

Magistratus gladij potestas à Deo cõcessa. Rom. 13. Bellum quan do licitum.

Etsi initiò Deus homines eiusdem naturæ & dignitatis communione cõsociauit, libertate voluntatis diuinitùs ornatos, neq; dum distinctio inter gubernatores & subditos sancita: Verùm cum hac libertate abusi homines natura in peius ruerent, morumq; corruptela & disciplinæ laxatio cresceret, ne piscium beluarumq; more alij alios deuorarent, genus humanum in magistratus & subditos distinctum est propter peccatum: Leges quoque

quoque promulgata, quarum metu quasi fræno petulantes coercerentur, eiusq; fræni habenas magistratibus tanquam aurigis tradidit Deus, quos potentia strictoq; gladio armauit, quo delinquentes & rebelles compescere possent. Per me Reges regnant, & principes iusta constituunt.

Prouerb. 8.

Libertatis ratio.

Galat. 4.

Porro quod ad libertatē christianam attinet, hanc intelligere oportet non esse externam, & carnis ac quiduis audendi licentiam, sed spiritus & conscientiæ, per quam à peccato morteq; æterna liberi sumus gratis, per meram Dei misericordiam, per quam datus Spiritus sanctus nos gubernat ac purificat, & ad vltroneam functionem officiorum Dei per charitatem magis quàm legis metu impellit.

Discrimen libertatis Euāgelicæ & politicæ.

Ordo politicus in Repu. necessarius.

Oportet igitur distinguere libertatem Euangelicam sanguine Christi partam à politia corporali & externa libertate, de obedientia magistratus, & tributorum præstatione, & vtranq; inter suos fines continere, ne prætextu vano conturbemus politicos ordines in Rep. necessarios, & personarum discrimina, sine quibus nulla societas persistere potest. Siquidem Euangelica libertas spiritualis est, nec ad externam hanc ciuilem vitam pertinet, sed ad interiorem hominem & conscientiam pacandam: Quod nimirum, vti diximus, liberati sumus à tyrannide Satanæ & ira Dei ac peccato per Christi sanguinem expiato.

Huius libertatis vsum & fructum nullo modo impedit ciuilis potestas: Daniel fiducia seminis benedicti inter medios leones hanc habuit libertatem, Paulus catenis vinctus hac libertate gaudebat. Proinde de libertate Christiana & Magistratibus, similibusq; rebus cum iudicio & consideratè loquendum docendumq;, monendus quoq; populus, ne libertatem hanc det in occasionem carni, vt inquit Paulus, néue libertatis prætextu magistratus, leges, iudicia, militiam, coniugia, personarum discrimina, totamq; politicam harmoniam, quæ est Dei ordinatio, abolere videamur.

Consideratè de libertate & magistratibus loquendum.

Galat. 5.

Magistratus & leges à Deo ad salutem Reip.

Quare aduersus fanaticos hos Anabaptistarum errores scriptura penitius inspicienda, quæ tradit potestatem & principes singulare Dei donum, salutem Reip. disciplinæ custodes, iam inde à diluuio ordinatos, cum cædes iniustas prohiberet Deus: QVICVNQVE, *inquiens,* FVDERIT SANGVINEM HOMINIS, EIVS SANGVIS FVNDE-

TVR

TVR PER HOMINEM. *Hic fons est omnis potestatis & Rerump. & legum omnium. Paulus inter dona spiritualia numerat potestatem. Ethnicus quoq; Demosthenes* δῶρον θεῶν *vocat leges, atq; in hoc datam potestatem, vt innoxios tueatur, puniatq; sontes, conseruet religionem, iusticiam, pacem. Ob id magistratibus obedientiam, tributa, seruitia, pendere tanquam Dei ministris iubemur. Nam vti Deus voluit in corpore esse membrorum ordinem: ita in Repub. quæ constat bonis ac malis, voluit esse gradus &* εὐταξίαν, *rem videlicet bonã atque à Deo institutam. In quo ordine sunt magistratus, leges, iudicia, coniugia, domini, serui: omnia Dei ministeria & ordinationes. Libra & pondus iudicia Dei sunt, inquit sapiens Propheta. Hanc politiam Euangelium non tollit, sed præsentes & suos cuiusque Reipub. leges confirmat & venerari iubet. Paulus ex præcepto honorandorum parentum colligit potestatem, non solum in politia, verumetiam in œconomia necessariam. Nulla enim domus, ne dicam ciuitas, aut regnum, consistere poterit, si potestatem tollas.*

1.Corinth.12. L.2.ff.de ll.

Rom.13.

Gradus & εὐταξία in Repub.

Prouerb.16. Ephes.6.

Quare diligentissimè hæc est conseruanda, qua sublata concidit omnis disciplina, pacisq; vincula dissolui necesse est. Pro magistratus igitur cõseruatione orare scriptura iubet, nimirum vt potestates maneant incõcussæ ad tranquillitatem seruandam in populo. Sic pro Rege Abimelech orauit Abraham, pro regno Babylonico Hieremias: In pace illius, inquit, & nobis pax erit. Apostoli hortantur vt fiant precationes pro principibus & ijs qui præsunt, vt quietam & tranquillam vitam agere liceat. Pro illorum sedulitate gratiam deberi fatendum, vt aliquos lapsus illis condonemus, sic tamen ne contra mandatum Dei illis obsequamur.

Orandum pro magistratibus.

Genes.20. Hierem.29. 1.Timoth.2.

Magistratuum lapsibus condonandum.

Interim qui huic ordinationi Dei resistunt, eos grauissimè à Deo mulctatos exempla declarant Core, Dathan & Abiron, cum consortibus terra dehiscente absorptorum, quod Moysi à Deo ordinato duci repellarint. Nec frustra gladium, vt diximus, gestat magistratus, sed vt noxios & contumaces coerceat & in officio contineat.

Repugnantiũ Magistratib. pœna. Numer.16. Roma.13.

Adde quod pro defensione subditorum etiam aduersus iniustos & incurabiles ex officio bellũ suscipere potest magistratus, quale fuit Moyse

Bellum legitimum gerere licitum.

cum Midianitis, & Sauli cum Amalechitis prælium. Licet etiam priuatis militiam exercere contentis stipendijs: Nam Centurio baptizatus non fuit iussus magistratum deponere, de quo Dominus testatur se similem fidem in toto Israele non reperisse. Nihil, inquit Tertullianus, nocuit Centurioni paludamentum. Cornelius Centurio Cæsariensis. Æthiops eunuchus aulicus reginæ Candaces, omnes & milites & aulici post receptum baptismum non sunt coacti vocationem deserere. Milites fortissimos habuerunt Dauid & Asa reges Iudæorum, & bella maxima gesserũt, etiam Domini consilio. Talis fuit legio, quæ dicebatur veteribus Fulminea, cuius meminit Tertullianus & Eusebius Cæsariensis. Atqui pijs hic nolimus venales ad quilibet cares nostrates comparari, de quibus scriptũ est, Maledictus qui accipit munera vt percutiat animam innocentis, & dicit omnis populus Amen.

Actor.10. Actor.8. Militia licita Christianis. Legio Fulminea. Tert. Apolo. Euf. eccl. hist. lib.5. Deuter.27.

Statuendum igitur citra dubitationẽ, Christianos posse magistratum gerere, & subditos obedientiam magistratibus debere: Id quod præter ea quæ diximus, sanctorum plurium, Iosephi, Dauidis, Danielis, & in nouo Testamento Constantini, Theodosij, Caroli Magni, aliorumq́ historiæ testantur. Et quod in societate hac ciuili sint necessarij gradus destincti magistratuum, subditorum, familiarum atque ordinum, ac denique leges sancitæ de singulorum officijs, de coniugio, de liberorum educatione, artibusq́ honestis, de bonorum diuisione, de contractibus, commercijs requirantur, vt iudicia sint constituta, quibus suum cuique tribuatur, cui tributum, tributum, &c. vt petulantia & rapinæ coerceantur, innocentia defendatur, vtq́ sic certis legibus quasi vinculis homines in Rep. contineantur, vera Dei agnitio, verusq́ cultus propagetur, homines ad mutua charitatis officia inuitentur, Deum precentur, vt pios & εἰρηνοποιοὺς concedat magistratus, ordinemq́ politicum conseruet, subditi vera cordis obedientia pareant. Time Deum & Regem, & cum seditiosis nõ commiscearis. Verum quia de his extant eruditorum scripta luculenta, Anabaptistarum errores refutantia, nos eo lectorem relegamus.

Rom.13. Prouerb.4.

De pa-

De parentum Principum votis, & religiosè solicitudine in procreanda sobole, relinquendoq; pio successore. Caput II.

Vetus simul & pia sententia est: Omnis bonæ rei auspicium à Deo. Quæ cum in alijs vsui esse, tum maximè in petendis magistratibus & principibus locum habere debet. Siquidem omnis potestas à Deo, scriptura teste, siue ea contingat per hæreditariam successionem, siue per electionem. Cum autem plerisque ditionibus & regnis receptum sit, vt principes neque optimatum, neque populi suffragijs, sed hæreditario iure in principatu succedant, hîc quod electionis beneficio detrahi videtur, id pijs à Deo precibus, & educandi diligentia, sarciendum est: Etsi non videã, in quo electi, iudicioq; humano adoptati feliciores sint hæreditarijs. Primùm enim non ab humanis consilijs aut electionibus, sed à Deo omnis principatus auspicium esse testantur Moyses, Cyrus, Romulus, Remus, & Habides, qui omnes expositi bestijs, atque fluminibus obiecti: tamen ad destinatam à Deo potestatem peruenerunt: Sicut nec Dauidem Saul impedire potuit, quo minus regno potiretur. Augustus cum liberos non haberet ex se genitos, & eligendi potestas fuisset ex multis, falsus tamen est, quod nec adoptiuum bonum reliquerit. Tiberium tradunt dijs supplicasse, vt signo quopiam significarent, quem Imperij successorem habiturus esset, festinanti Tiberio gemello relinquere: Tandem responsum, eum successurum, qui postero die primus veniret salutatum. Mittit igitur ad nepotẽ, vt summo manè ad se veniat, cum illucesceret, iussit ministrum operiri, si quis foris esset, illum adduceret. Ille egressus Caium reperit, totius rei ignotum. Veni, inquit, pater te vocat. Vt autem vidit Caium, intellexit supernæ voluntatis potentiam, & quòd non nostris consilijs de imperiorum successione decernitur. Falsus & ipse Traianus in suo municipe ac nepote deligendo: Non donum Dei est bonus magistratus. Atque adeò ipsi Ethnici fatentur à Ioue imperia gubernari: ἐκ Διὸς βασιλῆες.

Roma.13.

Hæreditarij principes. Electi.

Exod.2. Herod.lib.1. Liuius libr.1. Iusti.lib.44. Spartian.in Seuero.

Iosep. ἀρχαιολογίας lib.18. cap.13.

Imperia à Deo.

Accedit huc quòd pleraque ingenia rectius parent quàm imperant. Et qui priuati pij atq; præstantes habiti antè fuêre, potentia & rebus felicioribus efferuntur, plerunque & mutantur. Vnde non sine causa à veteribus dictum: Magistratus virum ostendit. Adde quoque electos sibi solum imperare, hæreditarios etiam liberorum vtilitati cupere imperium bene constitutum relinquere. Cæterum de electionis ratione, & quæ ad principes & magistratus, siue electos, siue natos, seu denique vicaria potestate imperium administrantes pertinent, in ijs libris, quos de Reip. administratione inchoauimus, differetur vberius. Hic de natiuo et necessario principe successore ad Dei honorem & Reip. vtilitatem educando formandoq; sermo instituitur. Vt autem nullum tempus vel studium prætermittatur, quod in tantæ sobolis felicem procreationem collocari possit, ab ipsis auctoribus ordiemur.

Libri de Rep.

Primum igitur parentes ipsos pios, sobrios, modestos & continentes flagitamus. Siquidem mali corui malum ouum, vt prouerbio dicitur: Et Plato Charmidem laudaturus, eundem felicissimo coniugio, virtute decoreq; præcellenti prognatum prædicat. Tametsi sæpe contrà tingat, vt è præstantissimis vel virtute vel eruditione heroibus, ignaui & stolidi producantur, id quod in Ciceronis & M. Antonini liberis, ac etiam in orthodoxis principibus sapientissimis Heli & Salomone contigisse constat, adeò vt in prouerbium abierit, Heroum filij noxæ. Nec defuerint, qui existimarent id fato quodam accidere, vt à viris præstantibus aut omnino nulli procreentur, aut tales, quos ex vsu rerum humanarum fuerat non esse procreatos. Deinde certò statuendum Dei donum esse bonos principes & magistratus, solaq; Dei benedictione conseruari imperia & familias, attestantibus diuinis oraculis, vt iam antè diximus. Vnde non satis est sola nostra opera in instituendo relinquendoq; successore niti, sed ante omnia Deus, per quem reges regnant & domini dominantur, sedulis parentum principum & populi votis nuncupatis interpellandus & exorandus, vt fausta concedatur proles, & pius in principatu successor: Nam Dei benedictione filij conceduntur filiorum. Sic Anna Helcanæ vxor feruentissimis ad Deum precibus impetrauit pium Samuelem, & Dauid hac

Dei donum bonus Magistratus.

Deus interpellandus vt bonus concedatur princeps.

Prouerb. 13.

1. Reg. 1.

uid hac ratione felicem reliquit successorem.

Porrò vt hortulanus inanem curam mittendi seminis impendit, nisi prius terram ipsam ritè foderit, runcârit, & inutilium stirpium genere repurgârit, ita educandi instituendiq́ fructum sæpe perdit, qui in malè procreato laborem impendit. Plurimùm autem refert, quales parentes, qua diæta & corporis habitudine, quibus moribus, sobrij ne an ebriosi, trãquilla an perturbata mente sint. Etenim vitio horum sæpe fit, vt liberi inutili, claudi, cæci, lusci, morbidi ac prodigiosi, gignantur: Cùm ebrij dementes ebriosq́, perturbati iracundos, crapulosi, morbo comitiali obnoxios, alijsq́ alios morbos in liberis ex se suaq́ negligentia relinquũt. Diogenes cum puerum temulentum vino cerneret, Adolescèns, inquit, ebrius te seminauit pater. Id est, quod Physici tradunt, arcanam quandam esse vitiorum contagionem in corpora, ac rursus corporum in animos. Animaduertere igitur parentes principes cõueniet, qui tantum Reip. thesaurum, tantamque expectationem procreaturi sunt, vt in eum statum se componant, vnde sperare possint sobriam, moderatam, integro corpore & mente se sobolem procreaturos. Ab alieno concubitu abstineant: Nam præter hoc quod à Domino vetitum, etiã liberorum animos sæpe deijcit, redditq́ incontinentiores. Delassatos inedia, vel animi vel corporis languore defatigatos, aut meditatione altius immersos, vitia quædam simul cum prole producere solere, naturalium rerum periti tradunt. Iam verò quid proderit produxisse, si monstrosum, si mancum, morbidúmue, aut alijs vitijs deformatum, progenueris? Prægnans autem mater meminerit se saluari per liberorum procreationem, si permanserit in fide, dilectione & sanctificatione, cum sobrietate, hoc est, μετὰ σωφροσύνης, vt Timotheo Paulus scribit. Non promittitur salus, nisi permanserit in fide, sanctificatione & sobrietate. Matri Samsonis grauidæ præcipitur sobrietas ab angelo. Sciat igitur se non totam esse matrem, nisi hæc præstiterit in liberis. Quod si execrandi qui abortum procurant, aut partum interimunt: quare non etiam execrabiles, qui negligentia, ebrietate, alijsq́ vitijs sobolem perdunt. Det igitur grauida operam cum primis: vt ab ira, odio, perturbationibusque omnibus, sit aliena, fugiat & animi & corporis vitia, crapulam,

Parentum constitutio quæ postulanda.

Diogenes Laertius.

Arcanorum vitiorum cõtagium.

Prægnans.

1. Timoth. 2.

Iudicum 13.

Paul. Aegineta libr. 1. initio.

lam, ebrietatem, choreas, violentioresq́ corporis motus, cibum etiam potumq́ acutiorem atque amarulentiorem: addunt etiam diuritica Medici, vinaque insipida. Pro ieiunijs moderatum victum, sedatamque animi temperantiam ac corporis moderatam exercitationem. Est arcanum naturæ morbi genus quod malaciã siue picam vocant, quod πάθος grauidas mulieres cum vterum gestant, ob vitiatos stomachi humores infestare solet, nimirum vt expetant acria, acerba, nonnunquam cretam, cimoliam terram, carbones extinctos, aliosque cibos absurdos. In his interdum aliquid condonandum grauidis, aut noxia remouenda ab oculis.

Malatiæ ratio.

Si quid in faciem ceciderit.

Si forte in faciem ceciderit aliquid, id protinus auulsum manu ad secretam corporis partem applicare solent, eoque remedio fieri experimentis compertum, vt deformitas, quæ in conspicua corporis parte futura erat, lateat in occulto.

Intuitus grauidarum.

Cauendum ne grauidis picturæ & formæ monstrosæ vel prodigiosa corpora offerantur: nam horum intuitus & contemplatio vehementior mirabilem habet fingendis fœtibus vim. Vnde Soranum regem, cùm deformis esset, & liberos formosos gignere studeret, picturas formosas vxori proponere consueuisse Augustinus refert. Et Lud. Romanus Iurecõsultus narrat, in Italia honestam matronam, propterea quod ad lectum tabellam suspensam haberet, in qua Æthiops erat depictus, Æthiopem infantem pepirisse. Proculigitur arcendi portentosi homines, nani, fatui, & si quid vel monstrosum, vel aspectu horrendum est.

At nasutiores, qui hæc tam exilia tãquam inutilem πολυπραγμοσύνην nos consectari gannient: Hi velim cogitent emptorem domus non solùm fundamenta, parietes & cænacula, verùm etiam stabula, & quæ parum verecundè nominantur, contemplari. Quanto maiore cura omnes partes curandæ in eo, cuius arbitrio tot hominum millia constituenda, Aristoteles Philosophus grauissimus & maximi Monarchæ institutor non grauatus est etiam minutiora persequi. Nobis sat fuerit præcipua quasi indice monstrasse. Plura si quis requirat, à Physicis petat.

Quæ

Quæ edito primùm infante præstanda, de nutricibus, & quantum referat materno lacte ali. Caput III.

Vulgus nato principe magnificis agonibus, constructisq́; pyris & alijs publicæ gratulationis iudicijs prodigè magis quàm pie lætitiam contestari solet. Quam consuetudinem publici gaudij vti non improbem, si moderata sit, ita malim piam quandam contestationem & gratiarum actionem ad Deum auctorem omnis potestatis & imperiorum conseruatorem tàm parentum precibus, quàm subditorum supplicatione indicta, pro edito feliciter infante, proque tanto beneficio præstari, quòd nimirum hæredem & successorem sceptrorum ac facultatum concesserit Deus, orbitatisque opprobrium abstulerit.

Vota etiam facienda, vt is qui cor Regis in manu habet, dignetur Prouerb.21. *largiri salutarem Reip. principem, eiusque incolumitati atque institutioni aspirare, non enim natura solùm, sed diuinitùs & bonus successor & recta institutio donatur, vt Chrysostomus testatur.* Chry. in 1. ad Timo. cap. 2. Hom.9. *Sic fecisse coniuges Hebræos, Helcanam & Annam veteris Testamenti historijs proditum,* Reg.1. & ibid. Chrys. *qui statim nato infante, quem precatione cum fiducia ad Deum extorserant effœti, insigniter Deo gratias egerunt, moxque ablactatum puerum in templum abducentes Deo dicârunt, vnde pietatis, virtutumque incrementis imbutus, in optimum Israelitici populi principem adoleuit.* Samuelis natiuitas & conceptio. *Sic patriarcha Abraham filium donatum Isaac mox Deo nuncupauit:* Isaac Deo dicatus Genes.21. *Dauid filium Salomonem recens natum prophetæ Nathan commisit, neque infeliciter cessit: Nempe eos verissimos liberos habemus, quos* DEO *dicamus.* Salomonis institutio. *Annitantur autem parentes, vt κειμήλιον hoc in rationem expensi concreditum, rectè educandum curent: Nam sicut natura vniuersis animantibus inditum, vt ad procreandum propensa sint, ita & στοργὴν indidit, vt procreatum educare studeant.*

Principio igitur nato infante referre plurimùm putandum, cùm ad corporis robur ac sanitatem tuendam, tum ad vigorem firmandum, qua Sanitatē corporis ad mētis vigorem conferre.

tempera-

temperatura tenera corpuſcula confoueantur, quóue victu enutriantur,. plurimùm enim momenti ad virtutem poſitum in educatione & victu, nam morbos quoſdam mentem peruertere certum eſt. Vnde Spartanas mulieres non tantùm corporis cauſa, ſed quo animi etiam acriores redderenter, vino lauaſſe paruulos proditum eſt, non aqua: Galenus priuſquàm faſcijs inuoluatur editum infantẽ cenſet ſale modico aſpergendum. Auicenna, aqua, in qua colliquatus ſit ſal, perluenda tenera corpuſcula ſuadet, ita tamen, vt nares & os non contingantur, idque faciendum, quo vmbilicus coaleſcat, et cutis ſolidior, ijs quæ intus ſunt partibus, reddatur, ac naturale tegmen ad frigus caloremque & indolentiam præparetur.

Cic.2. de nat. Deo.

Galen. de tu. ſan. lib.1.

Qua occaſione quibuſdã placuit editos infantes ſtatim gelido amne immergi, quem morem Ariſtoteli probare video: Galenus tamen hunc tanquam barbarum ac ferinum inſectatur. Mihi certè moderata ad omnem euentum corporis temperatura & exercitatio non diſplicet, quo adulti & frigora & calores, ſitim atque inediam, laboresque omnis generis tolerare facilius queant. Quidam minus tenerè pueros inuoluunt, alij rurſum neglectius teneriora corpuſcula nimio algori exponunt: De quibus infrà, cum de veſtitu victuque diſſeretur, vberius dicemus.

Polit. 7. ca. 17.
Gal. de tuen. ſan. lib.1.

Infantulus autem, cuius corpuſculi conſtitutio omni nota caret, faſcijs inuoluatur, non tamen nimium tenella mẽbra liberos motus flagitantia conſtringantur, ne non ad iuſtam magnitudinem augeſcant. Cato Cenſorius grauiſſimus in Republica Romana princeps, nunquam paſſus eſt ſe non ſpectante filium aut lauari, aut faſcijs obuolui.

Faſciarum ratio.
Cato.

Solicitudo quoq; adhibenda, ne vel ſtrabus infans, aut pætis oculis aut luſcioſis, ne buccis fluentibus, ne ceruice inflexa, ne protuberantibus ſcapulis, ne tibijs varis, pedibusque diſtortis, ne deniq; ſit parum concinna corporis totius ſymmetria. Aduerſus quæ incommoda, præter alia, faſcijs etiam ſolent vti, ac mitellis, quibus ſuccingunt buccas. Strabiſmum Aeginetha docet corrigi, ſi perſona ita capiti imponatur, vt à fronte rectà aſpiciant, neglecta enim infantia homines tradit morbidæ & afflictæ ſenectuti, ſi tamen huc peruenire detur. Balneis ac frictionibus ſubinde confoueatur ac vegetetur, lacte iam in ventriculo concocto. Quippe ſi laues aut frices,

Vitia corporis præcauenda.

Lib. de art. med.3.

Balnea.

frices ventriculo ad huc lacte crudo distento, tum & corpus cruditate alimenti implebitur, & caput grauedine onerabitur. Quo magis prospiciendum, ne quid nutrimenti puerulo, vel ante balneum aut frictionem praebeatur, sed post somnum potius stomacho iam inani lauetur. Exercitationes etiam & motus neessarios infantia habet, velut in cunis, lectulis, in vlnis gestatio atque quassatio: recens enim nati, vehementiorem puelli motum qualis est in vehiculis, nauigijs, equis, nondum desiderant ante tertium annum. Exercitatio.

Cumq́ ad fletum, praesagiente natura humanarum rerum miseriam, nati sint, coniectare oportet, quid postulent, antequam ad immoderatum motum vnà cum corpore & animum adijciant: hicq́ solertia non modò opus est, sed etiam experientia in nutricibus non leui. Fletus infantium.

Per somnum etiam, quia saepe terroribus ad fletum concitantur, conueniet infantem subinde iactare in vlnis, ita tamen ne allidas, item cantibus, modulationibus, ac vultibus, affatibusq́ diuersis consopiendus. Et sic quidem iactatio in omnem partem salubris, & confirmat corpus, & animum terriculamentis liberat. Ad somni terrores.

Adeò diligentem veteres hic curam adhibuerunt, ne pueri recens nati è cunis fortè deciderent, & tenera corpuscula affligerentur, vt culcitras iuxta cunas vndiq́ sternerent, vt inde excepti innoxij fierent. Cunarum ratio. Alex. Neap. lib. 2. Gen.

Nutrimentum autem infantium lac est optimum, maximè quod est temperatum, quod gustanti & olfaciendi suaue, intuenti candidum, aequabile, liquidi, crassiq́ medium: E diuerso, vitiosum, quod crassum, caseosum, aut liquidum, serosum: Liquidum, tum consistentia ipsa, coloreq́ inaequale videtur, idem gustu amarulentum, salsum. Lacte nimirum bono pueri & vegetantur corpuscula, & succulenta redduntur. Inprimis autem (nisi morbus & singulare incommodum impediat) materno lacte alantur, cui iam in vtero assueuit infans: nam sanguine, dum in vtero gestatur, infantem ali, & ex sanguine à partu lac gigni constat, exiguam in mammillis mutationem adeptum. Quare qui materno lacte nutriuntur, ij non consueto modo, verum etiam maximè proprio vtuntur alimento, videturq́ natura praeparasse nutrimentum id, ac facultates naturales quasdam Nutrimentũ ingentis. Materno lacte alendos. Gale. de san. tuenda.

 addidisse,

addidisse, quibus eo vtantur. Siquidem papilla iam recens natis in os inserta mox sugunt, & hoc ipsum deglutiunt promptissimè, atque adeò in ploratu indita ori papilla lenimentum est.

Quamobrem non frustra creditum est, sicut valet ad fingendas animi corporisq́ similitudines, vis & natura seminis, non secus lactis ad ingenia & proprietates valere, vt eleganter Phauorinus aqud Gellium disputat, neq́ id in hominibus solùm, sed etiã in brutis animaduersum. Nam si ouium lacte hœdi, caprarũ, agni alantur, constat ferme in his lanam duriorẽ, in illis capillũ gigni teneriorem. Compertum quoq́ canẽ lacte cati nutritum, perinde mures capere atq́ catum. Et Iustinus de Habide cõmemorat cui cerua vbera præbuerit: Vnde cõuersatione nutricis eximia puero pernicitas fuit, interq́ ceruorũ greges, saltus, mõtesq́ diu non inferior velocitate peragrauit. Poeta volens hominẽ ferocem significare, Hircani, inquit, admorunt vbera tigres. Theocritus cupidinẽ detestatur, quòd Venere matre fuerit, sed leænæ mammas desuxerit. Adde plantas, etiãsi natura nobiles, si alieno, aut malo solo alas, in diuersam naturã degenerare.

Gell. lib. 12. cap. 1.

Iustin. li. 44. Habis.

Tantum refert suo lacte infantem ali. Proinde, si qua fieri poterit, dent operam generosæ puerperæ, ne generositatem istam nati infantis, corpusq́ & animum benignè ingenitis primordijs inchoatum, insitiuo ac degeneri lactis alieni alimento corrumpant, perniciosoque contagio spiritum & animum ducant in corpus suum, ex animo & corpore deterrimo, quandoquidem ad mores initio formandos magnam ferè partem ingeniũ altricis & naturæ lactis tenet, quæ iam à principio imbuta paterni seminis concretione, & matris etiam corpore & animo, recentem indolem configurat: Nempe sanguinem nutrimento generari, & è sanguinis natura animum incitari, à Physicis proditum est.

Nutrimenti quanta vis.

Quibus accedit, quod etiam eæ quæ à sese abligant, alijsque tradunt nutriendos, vinculum illud, coagulumque animi & amoris, quo parentes cum liberis natura consociat, interscindunt, aut certè diluunt. Nam cum infantes aliorsum ablegantur, facta ex oculis amolitione, vigor ille maternæ fragrantiæ paulatim restinguitur, occupaturque animi & amoris affectio in ea sola vnde alitur, perinde atque expositi matris quæ genuit,

neque

neque sensum neque desiderium capiunt, nempe pietatis natiuæ elementis abolitis. Quare nobilissimas Romanorum matronas suis vberibus liberos lactare solitas legimus. Suus cuique filius ex casta parente natus non in cella emptitiæ nutricis, sed in gremio & sinu matris educabatur, cuius præcipua laus erat tueri domũ, & instruere liberos, &c. Laudanturque vel ob hoc præcipuè, cùm aliæ, tum Catonis Censorij insignis vxor, quæ nõ passa est alio quàm suo lacte filium ali. Et nos nobilissimas heroinas nouimus, quæ idẽ imitabantur, negantes fontẽ illum sanctissimum humani generis educatorẽ restinguendũ esse, ac arefaciẽdum. Idem Tacitus de Germanis memorat, suã quenque matrem vberib. alere, nec ancillis aut nutricibus delegare: Vnde in hos artus, in hæc corpora, quæ miramur, excrescere Germanos. Sed dicet aliquis, Obstetricis me industriam persequi. Equidem nihil prætermittendum quod ad rectam educationem pertineat, & nouale, vt dixi, prius bene præparandũ putaui, quàm semen ipsum temerè iaciendum, corpus prius formãdum, deinde animus, vt Aristoteles tradit. Hortarer igitur omnes matronas, inprimis autem heroidas, quæ liberos imperio ac Reip. enixæ sint, vt eos suis ipsarum vberibus alerent.

Romanorũ matronæ. Tacit. de indole Rom. veteri.

Catonis vxor.

Fons ille humani generis educator.

Taci. de morib. Germ.

Nouale prius præparandũ dein semen inijciendum.

Polit. 7.

Quod si omnino, vel ægritudo, vel conceptus, vel alia denique necessaria causa obstet, certè nutrices cum summo iudicio adhibendas. Asciscuntur passim sine delectu quæcunque fortè id temporis lactantes occurrunt, at nos vitandas seruiles, impudicas, futiles, leues, temulentas, vel ægritudine aliqua tam animi quàm corporis obnoxias, maximè quæ sermone vel balbutiente vel parum verecundo sunt, censemus, ne videlicet puer simul cum lacte turpitudinem, vitia, ægritudinesque imbibat. Quin potius quæratur, deligaturque è tota ditione mulier corporis εὐκρασίᾳ tẽperamentisque idoneis, verecũda, casta, sobria, sermone expedito, blãdo & verecũdo, à garrulitate aliena, cuius lac gustu, odoratu, visu, vt suprà diximus, exploratũ, quales Lacænas fuisse memorant, quas etiã externi alẽdis infantib. asciscere consueuerunt: nam Alcibiaden à Lacæna lactatum scribit Plutarchus prius à Platone proditum. Cura quoque non postrema adhibẽda nutrici, quo alimẽto, cibo, potúue vtatur optimo, nã electis cibis iubet vti Aristoteles, vino nõ nisi diluto aqua, ac ipso quidem modicè, licet vulgus cõtra sentiat.

Nutrices quales.

Lacænæ nutrices commendatæ.

Plutar. in Alcibiade.

Neque negligendum, quo pacto in somno se habeat nutrix, & quibus exercitijs vtatur. Viris misceri nutrices ob multas causas prohibet Galenus.

Infantes neq; asperius neq; blandius tractandi.

Postremò inspiciant, qui puero principi educando præsunt, ne vel in tractando sint asperiores, vel æquo blandiores, ne videlicet illa assiduitas, qua apud nutricem viuitur, naturam aliquam peruersam pariat puero, vt vel asperitate perterritus animum demittat, contrahatque illiberalem quantam timiditatem, quam Plutarchus appellat δυσωπίαν vel bãdicijs corruptus nimiã lenitatem induat, & fucis assuescat atq; adulationibus.

Cibus infantis à dentitione, & potus.

Ad hunc verò modum puellus curandus tantisper dum dentire incipiat, estq; hactenus solo lacte nutriendus, donec primores dentes emittat, vt suadet Galenus. Post paulatim solidiore cibo vegetandus, nempe pultibus, deinde leguminibus, post etiam pane, carne, sed præmansis. Vitandum autem est id, quod pleræq; solent facere nutrices, quæ pueris ingerunt aromata, vina, salsamenta, cum his diutius abstinendum sit, nisi ignem igni, vt Plato ait, addendum putemus.

Aromata & vina pueris vitanda.

Vino an pueri assuefaciendi.

Sed, inquiunt, oportere vino assuefieri, quo minus idem adultioribus noceat. Hæc sanè cura est superuacua: nihil enim opus est docere, quod vel præstiterit dediscere, vel quod sua sponte nimis citò discitur: pueros enim, cùm suapte natura calore abundent, non oportet nouo superaddito calore adurere, ingenia hebetare, ac reddere ad iram præcipitantiores.

De instituendi principis œconomia propè inchoanda, deq; rectoribus, ministris, coætaneis deligendis, & parentum hac in re cura. Caput IIII.

In Theago, & in politico.

PLatonis sententia est, filij quidem plantationem, hoc est, παιδοποιΐαν facilem, at cultũ, hoc est, τροφὴν difficilem esse: Nam vt in plantis præparandis non tanta cura, quanta in ipsis iam prodeuntibus ac viuere incipientibus collocatur, ita liberorum concessorum educatio & institutio

plurimum.

plurimum solicitudinis præbet pijs parentibus, eoq; maiorem, quò ad maiores functiones nati fuerint. Et aliàs idem: Rex, inquit, non nascitur in Republica, quemadmodum inter apum examina, corporis & animi dotibus exteros antecellens, sed necesse est eum in cœtu consultantium institui ad Reipublicæ administrandæ functionem. Proinde vbi diuina benignitate principum generatio benedicitur, in primis agnoscendum id Dei donum, gratiæq; agendæ, quòd ditionibus & imperio successor princeps concessus, dandaq; accuratè opera, ne hoc tantum Dei beneficium vlla culpa negligatur. Natura quidem omnibus animantibus fœtus educandi studium tribuit, ad hominibus etiam Dei mandato liberorum rectè instituendorum cura est imposita: Eruntq; verba hæc, inquit Moyses, in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis, meditaberis sedens in domo tua. Cui Dauid succinens: Quæ mandauit patribus nostris, vt nota facerent ea filijs suis, vt cognoscat generatio nouissima, &c. Eli summus Sacerdos & iudex Israelitarum, in quo nihil vitij fuit, vt scribit Chrysostomus, quàm quòd liberorum institutionem neglexerit, miserandam calamitatem in seipso & liberorum casu diuina vindicta expertus est. Vsqueadeo displicet Deo parentum in educandis liberis neglectus, vt parricidium appellet idem Chrysostomus liberos à voluptatum illecebris non retrahere, institutionisq; neglectu sinere corrūpi. Quod si in priuatis culpatur, quò magis id à principibus exigitur, qui liberos non sibi solùm, sed patriæ, tamque multis hominum myriadibus genuerunt? Omnis enim hic admissa negligentia in parentes recidit. Quod si maximè parētes sint mali, vix tamen est quisquam tam deprauatæ naturæ, qui non cupiat liberos relinquere bonos, & si quid vitij vel natura, vel contagione insit, vt id institutionis diligentia & assiduitate corrigatur. Nam fieri videmus, vt optimis sæpe progenitoribus nati degenerent, & vicissim pessimis parentibus procreati, optimi cura instituendi euadant, vt in Iudæorum regibus liquet. Porrò cura hæc à teneris, atque adeò ab ipsis incunabulis ordienda: Et quanquam ea ætas citra matronarū operam non ita commodè tractatur, adeò vt harum ministerio vtendum sit, præsertim quantum ad cibum præbendum, amiciendum, lauandum, fricandum, reclinandumq; pertinet: Interim tamen & hic præfectos

Liberorum institutio à Deo mandata.

Deut. 6.

Psal. 78.

Eli.

Chrys. libr. 3. aduers. calū. vitæ monasticæ.

fectos pueritiæ inspicere profuerit, ne hæc incommodè & intempestiuè fiant, Catonis Censorij, cuius sæpius meminimus, exemplo, vtque nutrices quàm optimè corpusculum curent infantis vegetentq. Rectores quoque iam tum vbi balbutire incipit salubres præceptiunculas, sententiolas, vocesq. memorabiles instillare & mores fingere incipiant, tametsi non ignorem esse, qui putent teneram illam ætatem non occupandam fatigandamque instituendi molestia, neq. ante quartum, quintúmue, aut vt nonnulli existimant, septimum annum institutionem auspicandam, quod tum primum illa ætas & intellectum disciplinarum capere & laborem perpeti possit, ac tum demũ pædotribis tradendum pueros Paulus Ægineta prodidit. Herodotus scribit, Persas à quinto anno incipere liberos institutioni tradere, vsq. ad vicesimum. Nam hactenus apud fœminas degere. Rectè mihi sentire videtur Fab. Quitilianus, cuius sententiæ Erasmum aliosq. cordatos institutores subscribere video, existimans lucrũ illius primæ ætatis nequaquã aspernandũ, nec vllum tẽpus vacare debere, quo nõ sit curæ recenti testulæ pietatis laticem, aut ad vitæ morumq. vsum accommodabile præceptum aliquod instillare, maximè earum rerum quarum capax est illa ætas. Siquidem videmus infantes dum nondum fari sciunt, si quid indecorè faciant, admonitos se comparare ad commonstratum modum, discunt manus dare, discunt gratias agere, inclinare, amare, odisse, ad nomen IESV *genu flectere ac se componere, quæ omnia in prouectiorem ætatem fructum afferunt consuetudine. Danda est quoque opera, vt ea quæ sic instillantur aut admonentur blandè fiant, & paucis, &, vt diximus, ei ætati capacia sint. Non obruendus puellus vel intempestiuitate vel multitudine, neq. difficultate vexandus, breuiter: hoc prouidendum magna solicitudine, ne prius literas & institutionem odisse quam nosse discat, & amaritudinem semel conceptam vltra rudes annos reformidet. Quare sic institutio tẽperanda, vt ludus esse puero videatur, & per lusum semper aliquid hauriat, quod ad rectè viuendi formam pertineat. Vidimus nostra ætate generosos quosdam & heroicos pueros, qui mox vt expeditè verba promere inciperent, Græcas simul & Latinas literas, vocabulorum ac sentẽtiarum memorabilium, piorum præceptorum*

Plutar. in Ca. Cens.

Aetas institutioni quando idonea.

Aegineta lib. 1. ar. med.

Herod. lib. 1.

Quint. libr. 5.

magnam

magnam supellectilē vnà cum moribus purissimis imbiberint. Verùm de his infrà suo loco dicentur plura. Quod huic loco cōuenit nollē tardius institutores adiungi, sed properè œconomiam instituēdi formandiq́ principis institui, non quidem pompæ statusque, vt vocant, causa, sed educandi rectéq́ instituendi gratia. Nam in Gynæcijs ac Parthenonibus hærentes, muliebres mores induunt. Siquidem hîc nihil ferè præter illecebras, nihil præter mimorū morionumq́ iocos, nihil præter meras adulationes et blandimenta occurrit, ac verba plerunq́ Alexandrinis non permittenda delicijs, vnde fit, vt qui diutius in Gynæcijs educantur, semper effæminati aliquid & mollitiei reportent, & formatorib. duriores intractabilioresq́ tradantur. Proinde captandum institutionis compendium tempusq́ aptissimum, dum testa illa recens nondum liquoris alicuius odorem contraxit, vt dum principem se esse nondum intelligit nesciens ducatur, qui adultior trahi non possit, nam perinde corrigi fingique non sustinebit ætas prouectior. Sicut enim mēbra infantiū simul, vt à matrib. æditi sunt diriguntur, ne in obliquū curuentur aut deformentur, ita puerorū animi in tempore dum adhuc molles sunt, dumq́ audita visaq́ animis tanquā cera sigillis imprimuntur, ad omnē institutionem fingi poterunt. Quintilianus in priuato puero vnius vix domus aut rusculi domino futuro statim ab ipsis crepundijs, vt diximus, exquisitissimam institutionē requirit. Quo magis curandū vt is ᾧ λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλε, vt inquit Homerus, cui tam multæ domus, familiæ, ciuitates, agri, ac ditiones, committentur, quē vnum deniq́ his omnibus sapere oportet, & de quib. ad tribunal Omnipotētis exactam reddere rationē cogetur, statim cordatis grauibus viris tradatur, qui ab ipsa infantia institutionē maturè auspicētur, quiq́ simul & dexteritate instituendi, & cum auctoritate hanc operam sanctè ac pro Reip. vtilitate præstare queant. Asciscendi autem ad hanc prouinciam viri bonis parentibus orti, liberaliter instituti, quiq́ bonum testimonium habeant ab omnibus, Ætatis virentis, à qua nō abhorreat puer, & quos non pigeat quamuis personā sumere, ac velut cum puero repuerascere. Subditos malim, siquidē his et cōditio principis ac patriæ magis perspecta, & natura fidelius libētiusq́ patriæ rebus ornandis prouehendisq́

Oeconomia instituendi principis properè inchoanda.

Aetas tenera ad fingēdum aptior.

Institutores & gubernatores pueritię principis.

studemus

studemus quàm externis. Quod si non dentur subditi huic muneri accommodi, aliunde accersendi cum iudicio, non qui seipsos ingerunt, aut in gratiam alicuius aulici, aut commendatione precaria principis alicuius obtruduntur. Non qui vitio aliquo notabili obnoxij sunt. Nam si Platonis discipuli scapulas subducere didicerunt, Aristotelis subbalbum quiddam referebant, non abs re in gubernatoribus pueritiæ vitandum, si quid insit vitij, ad quod se infans totum componere studebat. Quin summo studio exquirendi sunt qui non solùm eruditione literarum, verumetiam rerum variarum, linguarumq; necessariarum peritia præstent, ac breuiter, qui dexteritate gratiam simul & auctoritatem conciliare norint, eamque sic temperent ne pudorem & reuerentiam excutiant. Nimia enim familiaritas contemptum plærunque parit, quique sint ab omni adulationis specie & fuco alieni. Qui laudare citra assentationem, & obiurgare citra cõtumeliam norint. Inprimis autem prospiciẽdum, vt ij qui tenerum hoc pectusculum formãt sint pij, Deiq; amãtes ac reuerẽtes, vt sint recti iudicij, ne prauis opinionibus imbuatur principis pueritia, vt non nisi pia, vtilia, certa, legi diuinæ consentanea indubitataq; instillent. Quare necesse est, vt

Religionis cura.

sacrarum literarum institutor non sit imperitus. Nam cum Religio sit fundamentum omnis bonæ gubernationis & imperiorum, omnesq; virtutes complectatur, ea sine cognitione veri Dei cultus esse nõ potest, præsertim hoc tempore, quo tàm variæ Religionis controuersiæ incidunt in imperijs. Adde cùm principes parum metuant homines, necesse est principibus in pueritia Dei timorem verumque cultum imprimere, vt Deum ceu omnis mali acerrimum vindicẽ reuereri discãt, & vicissim vt omnis boni compensatorem, & propter beneficia tàm corporalia quàm spiritualia super omnia diligant, in necessitatibus vnicum auxiliatorem implorare, & in prosperis eidem gratias agere discant. Porrò cùm ciuilem disciplinam à politicis hominibus Plato discendam præcipiat institutorem

Legum patriarum.

Iurisprudentiæ non oportet esse imperitum, vt qui præludia quædam Iuris æquitatisque futuro iustiçiæ præsidi infulcire queat, vtque patrias leges, mores regionis, teneat. Quo singulorum ordinum ac subditorum suorum conditiones à teneris puer condiscat, id quod de Cyro Xenophon tradit,

Xeno. ped. 1.

dit,

dit, & ad quem modum olim Romanorum nunc Venetorum Patricij instituuntur. Sine hac ciuili disciplina rarò boni existunt gubernatores aut principes. Siquidem hæc disciplina res principum gestas, deliberandi, iudicandi, cauēdi in omni fortuna exempla suppeditat, proponenda iudicia, Salomonis, Danielis, Cyri, Papiniani. Item continentiæ exempla Iosephi, Scipionis. Vitandi institutores & gubernatores pueritiæ, qui sunt præcipites, iracundi, vinolenti ac tyrannici. Sic suadet sapientissimus Rex Salomon, Ne habeas commercium cum homine iracundo & furioso, ne addiscas mores eius, & accipias scandalum animæ tuæ. Melius de homine stulto quàm præcipiti speres. Quare Plato quoq; noluit hunc Reip. admouendum: qualem Homerus describit iratum Achillem. Hieronymus tradens vitandos homines iracundos, eos suis depingit coloribus, toruo, inquiens, vultu, trementibus labris, rugata fronte, effrenatis conuitijs, clamoribusq́; perstrepentes, ferulas ac virgulas semper in promptu habentes. Reperiuntur enim nonnulli eruditi quidem & probi. Sed qui docendi instituendiq́; felicitate destituuntur, & solis libris assueti ab hominum consuetudine, morumq́; ciuilitate alieni atq; ἀσωὶντοι, vt Plutarchi verbo vtar. Quales certè hic non recipimus, sed co mitate morum commendabiles sobrios, à vinolentia & comessationibus alienos, modestos, castos, qui simul & amabiles propter morum suauitatem, & propter doctrinæ grauitatem reuerendi sint. Qualem fuisse Sarpedonem Catonis Vticensis præceptorem Plutarchus scribit. Et qualem depingit Homerus Phœnicen Achillis adolescentis gubernatorem ῥητῆρα τε λόγων πρηκτῆρα τε ἔργων. Quanquam pueritiæ formatorem Chironem ei contigisse traditum, vel potius qualem fuisse Albertum Stephani Regis Vngariorum institutorem, scribit Bonfinius. Et qualis fuit nostra ætate Hermanni, generosi comitis Nuenarij institutor, Petrus Pherndorphius. Postremò institutor eius sit prudentiæ, vt expendat quanta res illi sit concredita, puta principis filius, quem parentes hæredem principatus tanquam in theatro omnibus subditis constitutum eius fidei concrediderint, vel ad summam tàm numerosi populi felicitatem vel ad extremam calamitatem instituendum, qua in re nisi fidus & diligens reperiatur, quod tandem præmium

Iracundi vitandi.

Hier. in Ep. ad Tit.

Plutar. in Ca.

Cicer. de Or. lib. 3.

Petr Pherndorphius.

à Deo Opt. Max. & ab Illustriss. parentibus ac denique ab ipsa patria reportaturus sit. si fontem hunc à quo tàm multis sua felicitas haurienda vel negligat vel prauis opinionibus vel vitiorum contagio inficiat. Sed inquiet aliquis, Quorsum tàm absoluto opus institutore? Olim seruis aut libertis liberorum institutio committebatur. Quod si tàm absolutus requirendus, quis tantæ doctrinæ atque auctoritatis ad hanc triuialem & humilem conditionem se submittere velit? Primùm quidem fateor pluribus eam consuetudinem fuisse, vt seruis liberos erudiendos committerent. At Lycurgus apud Lacedæmonios hunc morem tanquam Reip. noxium abrogauit, instituēs vt pro seruis è summo magistratu alicui hæc seges Reip. cōcrederetur. Et olim cùm prisca vigeret integritas, liberi nō committebantur mercenarijs institutoribus, sed vel ab ipsis parentibus formabantur, aut ijs, qui in familia vel tutela legitima propinquiores erant, idque Gentilitij decoris existimabatur. Cato etiamsi seruum haberet gratissimum, tamen filium illi in disciplinam tradere noluit, sed ipse sibi hoc munus desumpsit. Quinetiam apud Romanos quæque familia è maioribus natu delegit moribus spectatissimam fœminam, apud quam liberi educarentur. Sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Cæsaris, Actiam Augusti matrem præfuisse educandis principum liberis memoriæ proditum. (margin: Aurelia. Actia.) *Aristippus Philosophus olim rogatus, quantum mercedis pro instituendo filio posceret, cum quingentas posceret drachmas, immensum, inquit alter, postulas, ista summa seruum mercari potero. Tum Aristippus, rectè, inquit, ais, pro vno duos habiturus seruos.* (margin: Aristippi Apophthegma.) *Deinde preciosissimæ materiæ excellentem artificem adhibere solemus. Alexander non nisi ab excellentissimo artifice depingi nolebat.* (margin: Alexander Magnus.) *Augustus non nisi ab eruditissimo gesta sua describi passus.* (margin: Augustus.) *Quantum discriminis inter priuati ciuis, opificis aut negociatoris & principis imperio destinati filij institutionem, tantum & institutores differre oportet. Isocrates recenset pleraque, quibus principis institutionem à priuati differre conuenit, quæ nos paulò inferiùs quoque referemus. Hoc loco id sufficiat. quod priuato satis est vt sibi sapiat, quare institutori priuati pueri licet institutionem ad eas artes dirigere, ad quas videt discipulū natura magis appositum. At principem*

qualis

qualis qualis natura sit ad gubernandi artes instituendus est, vtpote quē multis sapere, multorum ingenia nosse, iustum ab iniusto discernere, leges ferre, controuersias dirimere, iudicia militiamq́ exercere, pro suo quenq; merito vel honorare vel punire, belli pacisq́ artes tenere, atq; vt paucis dicā, in omni sapientiæ genere excellentē esse oportet. Proinde institutorib. eget vndecunq; exquisitißimis. Id non obscurè animaduertens Philippus Macedonum Rex, Aristotelem toto orbe celeberrimum filio suo Alexandro regni successori honestis pro eius dignitate stipēdijs inuitatum institutorem adhibuit. Et tantus Philosophus nisi considerasset quantum referret patriæ Principē rectè institui, hoc literatoris munus non subijsset. Libentius enim nauium opifex insignis clauum fabricabit, qui Argo nauem gubernet, & faber lignarius nō tàm alacriter cōpositurus est aratrū & plaustrum quàm tabulas illas, in quibus Solon leges descripturus sit. Lysias summus Orator cùm intelligeret patriæ res deploratas, neq; reperiret aliam rationem restituendæ Reipub. Epaminondam, cuius indolem magnis rebus natā cernebat, formandum suscepit. Nec fefellit conatus, quandoquidem virtute illius Thebanorum imperium collapsum vehementer illustratum est. Seneca in Rep. Romana Orator & Consul instituendi Neronis prouinciā Reip. amore suscepit, etiamsi infeliciter cesserit institutio. Sceuola summus Iureconsul. M. Antonini primum institutor, post consiliarius, Modestinum & ipsum grauißimū Iureconsultum Maximinū filio erudiendo admouisse proditum est. Valentinianus Ausonium virum consularem ac mox Consulem Gratiano filio præceptorem dedit, Caßiodorus præceptor Theodorici Regis Gothorum fuit, à quo per omnes dignitatum gradus euectus, tandem patricius factus est Romanus, quæ suprema erat dignitas. Sed quid remota citamus? Vidimus nostra ætate quāto studio, quantis impendijs Ferdinandus Cæsar immortali laude dignus Princeps singulis liberis etiā filiabus clarißimis viros institutores asciuerit, non è triuiali puluere petitos, sed eruditione simul & linguarum rerumq́ magna experientia præstantes, nimirùm intelligens alio artifice opus esse Principum liberis instituendis quàm plebeis pueris. Et hi omnes tanti viri ad tam humilem et laboriosam & periculis plenam

Gubernandi artes.

Philippus R. Macedonum Aristoteles.

Lysias.

Epaminondas.

Seneca.

Sceuola.

Modestinus.

Ausonius.

Cassidorus.

Ferdinandus Cæs.

functionem se haudquaquã demisissent, nisi patriæ amore ac Reip. vtilitatis studio impulsi fuissent. Ac verò tametsi veteres singulis propè disciplinis tradendis singulos adhibuerunt magistros, vnum tamen ferè habuerunt præcipuum institutionis rectorem. Nam Alexander & Lysimachum & Leonidem pædagogos, præcipuum tamẽ Aristotelem instituendæ adolescentiæ moderatorem habuit. Epaminondas Musicen ab Olympiodorõ, Philosophiam à Lysia didicit. Augustus dicendi magistro vsus est Apollodoro Pergamense, Speraræo in Philosophia. Carolus Magnus in Grammaticis Petro Pisano, in Astrologia alio quopiam, præcipuo autem Agonotheta Alcuino. Cæterum cum hoc tempore principum liberi plerunq; in aulis educentur instituanturq́; per vnum aliquem: huic si talis fuerit qualem exigimus, profuerit adiungere vnum aut alterum, qui ad eius ductum nonnunquam opera eundem subleuent.

Singulis disciplinis singulos institutores adhibitos.

Olympiodorus.

Lysias.

Apollodorus

Sperareus.

Petrus Pisanus.

Porrò institutori adhibeatur aulæ præfectus, vir grauis, fidei exploratæ, prudentia, militarium & aliarum rerum experientia præstans, subditum & hunc optarim, ob causas superiùs citatas, qui aulicæ disciplinæ dispensationem atque decorum statusq́;, vt vocant, administrationem tueatur, quiq́; in militaribus exercitijs per ætatem futurum principem instituat. Qualem fuisse Parmenonem apud Alexandrum Magnum, & Burrum apud Neronem memorant historiæ. In hoc præfecto aulæ eandem quam in institutore morum dexteritatem requirimus, vt propter comitatem sit adamabilis. Cicero scribit de Curio, quod etsi literarum esset imperitus, vtilis tamen sermone & moribus commodus. Maximè autem alienus sit à fuco & assentatione, cui grauitas auctoritatem conciliet, non furiosus neq; præceps, neq; temulentiæ aut compotationibus deditus, sed sobrius, verax, & sermonibus & moribus castus. Breuiter: qui grauitatis & reuerentiæ exemplar præ se ferat. Is vnà cum Institutore mores pueri formet, & licet alia via, vtraque tamen eodem ducente. Quod si in diuersum illi trahant, vterq; efficiet vt neuter promoueat, sed quod hic construit ille destruet. Quapropter vigilanter dispiciendum principi, ne qua inter hos duos sit æmulatio, aut fauoris emerendi conuersatio. Quin potius vterque alterius conatus apud principem commendet, honorem

Præfectus aulæ principis iunioris.

Curius.

fauoremq́;

fauoremq́, tueatur, dicta factaque comprobet, si quid displiceat alter seorsim alterum amicè admoneat. Ita fiet vt vterq́, principem verè amet, & ipsi vicissim amentur. Cor. Tacitus Neronis describens institutionem, de Burro & Seneca loquens: Rectores, inquit, imperatoriæ iuuentæ pari societate potentiaq́ue concordes, diuersa arte ex æquo pollebant. Hic militaribus curis & morum seueritate, ille præceptis eloquentiæ & comitate honesta. Nam vti homo ex anima & corpore constat, ita moderationem pueritiæ in duas partes distinguere oportet, alteram animi, alteram corporis, vnam doctrinæ, alteram & corporis exercitij & ludi, vtraq́, vtilis, & cum voluptate tractanda. Et quemadmodum institutor literis & disciplinis honestis ac pijs pueritiam principis imbuet, ita magister aulæ corporis exercitijs, militaria progymnasmata miscebit. Vtrisq́, exercitijs sui comilitones & antagonistæ adiungendi, suisq́, horis vtraque sunt vsurpanda, vt inferius dicetur. Ad horum duorum magistrorum ductum omnia ministrorum officia sese accommodent, ijs omnes obsecundent. Nihil enim pestilentius quàm secretis susurris pueros à præscriptis auocare, aut ad odium præceptorum inflammare. Quæ omnia ideò dicuntur, vt institutoribus sua seruetur auctoritas, ne vel propter operæ huius humilitatem & scholasticas nugas, vt aulici Thrasones vocant, contemnatur. Tacit. lib. 13.

Cubicularij si probi, fidi & dextri sint, poterint priuata illa & libera confabulatione in matutinis vespertinisq́ue ministerijs & illa inter comendum, amiciendumq́ue opera plurimùm efficere. Siquidem liberius animi affectus apud ministros produnt pueri eosq́ue libentius imitantur. Tradunt cubiculario regis Persarum hoc negotij mandatum, vt diluculo ingressus cubiculum regi diceret, Surge Rex, atque ea cura, quæ te curare voluit Mesoromasdes. Proinde in cubiculario admouendo summa cura adhibenda, vt syncerus sit, & exploratæ fidei honestatisq́ue ac denique sermonis puri atque exacti. Cubicularij.

Proxima cura est coætaneorum, qui vel disciplinæ commilitio vel ministerio principi adiunguntur, quos συμπαίκτορας *quasi collusores Xenophon, Plutarchus* συντροφαπαιδία *vocat, quasi conuictores. Propheta* Coætanei. Xenoph. pedix α.

 Naum

Plutar. περὶ ἀγωγῆς. Herodian. in Seuero. Q. Cur. lib. 5. & 8.

Naum Thaphseraim appellat, quasi regulorum filios. Historijs proditum est, morem fuisse veterum principum, vt in aula liberos præsidum quasi fidei & beneuolentiæ obsides haberent, vt de Commodo & Seuero refert Herodianus. Hi vt nostris ferè principibus è nobilissimis subditorum assumuntur aut intruduntur aliquoties, ita conuenit non tàm ad gratiam potentiorum quàm summo delectu exquisitos adsciscere, qui sint non tàm genere quàm indole ac moribus generosis nullis, neque animi neq; corporis vitijs deformati. Quales Danielis sodales describuntur, quibus nulla macula, qui sint honesta facie, intelligentes, industri, qui præcepta facile percipiant, expeditè referant, sobrij, linguæ continentis & veracis. Plutarchus etiam pronunciationem requirit exactam, ne iuxta balbum balbutire, vt dicitur, discat puer. Transit enim arcano quodam contagio in collusorem, si quod vitium insit. Nollē hos supra sex esse, aut ad maximum octo, nec infra quatuor. Ita simul et, & solitudinis tædiū discutietur, neq; sodalitas deerit ætati, & corruptela multitudinis vitabitur. Hosq; nō suaserim sine graui causa mutandos, sed permittendos simul cum ipso principe in ijsdem disciplinis & exercitijs adolescere.

Ministri.

Non negligenda quoque cura in nobilibus alijsque ministris asciscendis, veluti structoribus atque ijs qui à mensa & à poculis principi adiunguntur, qui nisi sint incorrupti & moribus castis, plurimum exemplo officere poterunt. Sin autem sobrij, modesti, rerumque honestarum & linguarum periti, consuetudine assidua rectores non mediocriter adiuuare queant. Siquidem vel mensæ astantes vel in confabulationibus alijs & exercitijs de rebus honestis, de externarum gentium moribus, de ijs quæ peregrè viderint, gesserint, honesta & vtilia referent. Idque probarim magis quàm morionum gesticulationes & cachinnos ludosque obscœnos admittendos, vt videlicet vndecunque omnia apud principem casta, erudita, grauia, & in primis pia sint.

Proinde hæc præcipua sit sollicitudo præfecti aulæ principalis, vt ministrorum delectus hic chorus sit numeris omnibus ad fingendam tantæ spei pueritiam absolutissimus, atque huc vnanimiter omnes contendant. Quod si quis sit vel blasphemijs, iurandi consuetudini, ebrietati, turpiloquio,

quio, deditus, aut qui bene ædificata demoliri deprehendatur, quoniam is plus destruendi opera quàm alij omnes construendo promouebit, huiusmodi membrum si in hoc aulæ corpore deprehendatur protinus amouendum, antequam reliqua membra atque adeò ipsum caput inficiat.

Sed hic inquiet Midas aliquis aulicus: Vbinam tam exquisitos institutores & ministros reperire licebit? res fuerit hæc immensi sumptus, satis fuerit nostrum morem obseruare, adhibere ministros qualescunque aulicos, quos alioqui alere oportet? Apage huiusmodi voces. Vndecunq; potius requirendi sunt quos descripsimus, quanti idcunque cōstet. Neque impensis hîc parcere licebit, nullæ enim magis necessariæ impensæ quam quæ huc collocantur. In equisonem accipitrarium, venatorem, Musicum aut alium voluptatum architectum, non piget magnos facere sumptus, & in eum qui & imperij et facultatum hæres futurus, quemque tàm multis vel sapere vel desipere oportet, insumere vllas impensas graue fuerit? Hic libet cum Cratete in altissimam vrbis partem ascendere, ac vociferari: Quo obsecro ruitis homines, qui in imperijs & facultatibus comparandis nihil prætermittitis, at filiorum, quibus ea relinquere studetis, nullam curam suscipitis. Admonitos autem esse conuenit parentes, principes & patricios, hoc est, proceres atque ephoros imperiorum, vt hic oculati sint, neque dormitent, memores eorum quæ prudens antiquitas dicere solebat: FRONTEM OCCIPITIO PRIOREM ESSE, *atque hac in re curam sibi à Deo impositam non negligant, neque sinant hanc tam arduam causam leuiter tractari, aut vanis consilijs peruerti.*

Sumptibus non parcendū in pueri principis institutione.

Cratetis exclamatio.

Frons occipitio prior.

Iam verò parentes & proceres non sic velim in Rectores puero destinatos omnem solicitudinem conijcere, vt solent filiarum matrimonio elocatarum in sponsum vniuersam curam transferre sed quemadmodum diligens agricola, qui vbi terræ semina concredidit, ea subinde in herba inuisere solet, considerans, sicubi erumpat. quòd segetem herbescentem suffocare aut impedire possit, vt id maturè euellatur antequam detrimentum afferat. Ad eundem modum operæprecium fuerit parentes identidem inuisere filium, & explorare ecquid promoueat, vt res habeat? Ad hæc rectores & ministros, quos in officio sedulos experiātur, præter stipendium

Parentū officium.

dium legitimum etiam munusculis & adhortationibus excitare ad officium fideliter perfungendum, & liberos ad parendum sedulò monere: ita simul & in officio continebuntur Rectores, & ipsorum auctoritas constabilietur. Laudatus in hoc Philippus Macedonum Rex, qui cum nato statim Alexandro filio absolutissimo totius Græciæ Philosopho & artifici filium commendasset, solicitus tamen filium subinde visere & monere solebat, vt docilem se præberet. Paulus Aemilius quoties à Reip. negotijs abesse licuit filiorum exercitamentis interesse gaudebat. Quæ regum principumque virorum exempla, in primis autem mandata Dei commonere debent nostros principes, vt liberorum, præsertim ad gubernationem designatorum, institutionem non negligant, sed magna solicitudine illos eruditis, temperatis, cordatisque viris instituendos tradant, atque interim eosdem sæpe visentes in officio contineant, memores veteris Prouerbij: Oculum Domini equum saginare.

Philippus Macedo.

Paul. Aemilius.

Plinius Secundus.

De diligentia excludendæ protinus omnis turpitudinis, tàm corporis quàm animi, dictorũ factorumq;, deq; adulatoribus procul abigendis, & quorum consuetudo conueniat iuniori principi. Caput V.

QVemadmodum in corporis morbis contagium quoddam est, quod in propinquos facile transilit, ita animi quoque vitia consuetudine serpunt, atq; occulto quodam naturæ cõsensu eorum vitia, cum quibus viuitur, sæpe ab imprudentibus imbibuntur. Nam vt apud claudum claudicare discitur, & apud balbum balbutire, ita ebrietas contrahitur plærunq; ebriosorum cõsuetudine, garrulitas garrulorum, maledicentia maledicorum hominum commercio. Neque enim tàm valetudinem corrumpere potest cœlum pestilens, quàm animi sunt sequaces in contubernio vitiosorum, vt non temerè dictum sit,

Corrumpunt bonos mores colloquia praua.

Vitiorũ contagiũ latens.

Menandri Senarius.

1. Cor. 15.

Proinde

Proinde cumprimis cauendum, ne quid pueri rudibus vel oculis vel auribus incurrat, quod inhonestum, turpe aut parum verecundum ac seruile sit, omnia sint casta & pura, saltem morum gratia, qui ex illa infantili consuetudine lineamenta ducunt, Nam consuetudo maliciæ processu temporis inualescens tantum facit mali, vt postea non possit vlla admonitione vinci. Proditum est Persarum principum liberos ad fores regiæ educari solitos, vbi multa continentiæ exempla suppeditarentur, nihilq; fœdum aut turpè inspicerent. Apud Romanos quæque familia, vt ante quoque dictum, è maioribus natu deligebat matronam, moribus spectatissimam, apud quam liberi educabantur, coram qua neque dicere fas erat quod turpe dictu, neque facere quod inhonestum factu videretur, quæque non solum studia moresque, sed remissiones etiam lususq; puerorum sanctitate quadam ac verecundia temperabat. Sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Cæsaris, sic Actiam Augusti matrem præfuisse educationibus, ac produxisse principes liberos annalibus de Romanorum indole traditur. Quæ disciplina ac seueritas eò pertinebat, vt syncera & integra ac nullis prauitatibus detorta vniuscuiusq; natura toto statim pectore arriperet artes honestas, turpitudinem atque obscœnitatem vitaret. Cato præsente filio puello à turpitudine verborum sic temperabat, quasi virginibus Vestalibus arbitris loqueretur. Quod Satyricus præcipiens,

Chrysost. in Genes.
Pueris cum optimè moratis conuersandum.
Xen. Pediæ 1.
Cornelia.
Aurelia.
Actia.
Corn. Tacit. Dialogo de Oratoribus.
Plutarch. in Catone.
Iuuenal. Sat. 14.

Nil, inquit, dictu fœdum visuq; hæc limina tangat
Intra quæ puer est, procul hinc procul inde puellæ
Lenonum & cantus pernoctantis parasiti
Maxima debetur puero reuerentia. Si quid
Turpe paras, ne tu pueri contempseris annos,
Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.

Mammea Alexandri Cæsaris mater, verita ne in summa potestate licentiaque rerum in vitia prolaberetur filius adolescens, vndique aulam seruabat, neque adiri patiebatur à quoquam adolescentem, cuius vita moresque improbarentur, ne scilicet bona indoles corrumperetur, prouocantibus appetitum eius iam vigentem assentatoribus in extremas libidines. Arcendæ igitur morionum, lasciuorũ, histrionum, psaltriarum,

Mammea.
Herodian. lib. 6.

[illegible] gesticulationes. Add. etiā picturarū inuerecūdiores imagines. Ablegandi e famulitio si qui deprehensi vel scurrilitate vel turpiloquio, mendacijs, futilitate, blasphemijs, iurandi consuetudine, ebrietati obnoxij.

Fatui. Sueton. in August. Moriones. Nani. Fatuorum ratio.

Adde etiam fatuos vel natos vel personatos, item promitiones, nanos, distortos, quos Augustus veluti naturæ ludibria abominari solebat, nunc delitiæ Christianorum principum habentur. Quibus natura sanam mentem denegauit hi commiserandi magis sunt quàm lacessendi aut ludibrio exponendi. Multo autē sceleratius faciunt qui quibus mens contigit quæ ratione duci posset, eos ebrietate ac diuexatione ad dementiam prorsus

Platonis sententia.

adigunt. Si autem verum est quod Plato grauiter dixit, sapientes sapientum consuetudine fieri, contra necessum est eos, qui morionum impurorumque hominum commercio vtuntur, vt his similes quoque euadant. Etsi enim pueri plærunque sint natura sobrij & modesti, eos tamen parentes, qui sapiunt, à prauorum consuetudine retrahunt. Vir enim bonus,

Xen. Memorab. lib. 1. Consuetudo bonorum.

inquit Xenophon, modò fortis modò ignauus, ἀνὴρ ἀγαθὸς τότε μὲν κακὸς, ἄλλοτε δ' ἐσθλός. *Nam vti carminum, hoc est,* ἐπῶν *facilè obliuiscuntur qui ea non exercent, ita honestis disciplinis imbuti, nisi easdem exerceant sedulò, & bonorum consuetudine vtantur, facilè prauorum commercio corrumpuntur. Achilles Phœnicis & Chironis consuetudine vsus in talem euasit claritudinem. Ipsi Agamemnoni Regi regum (vt inquit Cicero) honestum fuit Nestorem, Diomedi Idumæum, in consilijs*

Critias. Alcibiades.

habere. Critias & Alcibiades quandiu Socratis consuetudine vtebantur sobrij & moderati fuerunt, illum autē relinquētes, alter ad auaritiā alter

Xen. ἀπομνη. lib. 1.

ad incontinentiā versi sunt, vt idē Xen. testatur. Alexander Aristotelis, Parmenionis, Callisthenis et Lisymachi cōsuetudine vsus, Darius Sopyri, Scipio Panætij, Antoninus Pius Marcelli, Iaboleni, Volusij, Alexander Imperator præter alios Vlpiani, Pomponij, Martiani, Alpheni familiaritate bene administrati Imperij laudem reportārunt. Contra apud Neronem, Phalaridem, Dionysium, Heliogabulum, adulatorum scurrarumque greges in consuetudine habiti tetra monstra illa in Reip. perniciem exhibuerunt. Extant versiculi apud Æschinem & Demosthenem, in quibus vterque obijcit alteri improborum consuetudinem ac familiaritatem.

ritatem. Sed quid referimus ethnicos, an non Iosue fortissimus princeps, & sanctissimus dimicator consuetudine Moysi talis est redditus? Abrahami consuetudine Loth? Paulus Gamalielis? Timotheus Pauli? Ioas Iudæorum rex quandiu consuetudine Ioiadæ sacerdotis vtebatur, à quo sanctissimè educatus fuit, piè atque religiosè imperiũ administrauit, verùm eo sublato ipse quoque rex continuò peruersus peruersorum consuetudine redditus est. Persarum rex cohabitatione Danielis & Iudæorum felix erat, itidem & Darius Histaspis fortunatus fuit donec reædificata Ierusalem, post decessum Iudæorum Ægypto amissa fugiens morbo perijt. Nam vt medicus si cesset oportuna sectione curare diligenter, tandem incurabilis morbus redditur, ita nisi bonorum consuetudine animi in officio contineantur, facilè in vitia prolabuntur. Galba fertur initiò bonæ naturæ fuisse, sed consuetudine perniciosorum quorundam perditus in deterrimam beluam degenerauit. Quorum alter, vt Tacitus scribit, ignauissimus erat, alter deterrimus, adeò vt Nymphidius censuerit mittendos legatos ad Imp. vt horum consortio se liberaret.

Ioas rex Iudæ. 4. Reg. 12.

Darius.

Galba Imperator.

Tacit. lib. 17.

Porrò quia multum interest (vt inquit Cicero) cum quibus quis loquatur, dabitur opera, vt ad puelli principis consortium non nisi grauissimi, castissimi, eruditissimique admitantur, qui de honestis semper & eruditis ac grauibus, aut certè citra impuritatem iucundis loquãtur, ad virtutem inflamment, à vitijs deterreant, moribus sint virilibus & vrbanis, castis. Ad quos vt se componat puellus crebrò monendus est. Videas enim quosdam CONSVETVDINE ERVDITORVM *plus profecisse quàm lectione diuturna librorum aut peregrinatione longinqua.*

Delectum igitur summum habendum censeo, ne quoslibet in familiaritatem pueri admittas. Nam sunt quidam qui etsi prima fronte grauitatem, eruditionem, ac morum vrbanitatem præ se ferant, attamen adulationis venenum sub speciosis his virtutum imaginibus tegunt, Siquidem inter cæteras non paucas aulicæ Philosophiæ pestes, vna est omnium perniciosissima Adulatio, malum haudquaquam simplex, sed omnium calamitatum Iliada trahens, adeò vt maximos Monarchas, & alioqui fero-

Adulationis pestis.

cißimos gentium dom.tores à scurris abiectißimis ἀγυιᾶς καὶ φύρμιας, atque vnà cum amplißimis regnis in exitium pertractos esse sæpe compertum
Aularum pestis. *sit. Quod malum nusquam validius quàm in aulis principum regnat, & in magnis ac præpotentum familijs, non aliter quàm quod Liuius ait de inuidia, quæ sicut ignis alta petit, immò in aulis nata videtur, vnde*
Adaulatio. *Grammaticis quasi Adaulatio dicta videtur. Quo alusisse Ouidium apparet, canentem:*

Agmen adulantum media procedit ab aula.

Perennius. Herodian. li. 1. in Comomodo. *Hic velut in sua arena se exercet adulator, Camæleontem aut Polypum mutabilitate vincens. Perrennius adulatione & perfidia suam potentiam augens, Commodum Imperatorem perdidit. Magna ex parte pueri siue principes seu priuati complectuntur eos iuuenilibus annis, qui sunt ipsorum affectibus magis accommodi & cupiditatum ministri, continuò igitur præmuniendus pueri animus est aduersus horum contagium, atque ab ipsis statim crepundijs prospiciendũ, ne in consuetudinem atque adeò famulitium principis puelli irrepat hæc lues, procul hinc procul este colaces. Nam si recens semel testula blanditijs huius mali capiatur, periculum est ne in totam vitam macula proserpat, ac radices agat, & inescatus ille prædulcato veneno eos odisse incipiat, qui se reuocare studeant. In plerisq; morbis vulgo notum est quid poßit contagio, verùm quid prosit aut obsit consuetudo eorum, cum quibus versetur puer (quando sensim ac munitis acceßionibus serpit vtilitas aut noxa) non æquè ab omnibus sentitur. Non sentitur irrepere, sed iam ex interuallo irrepsisse.*

Antidota aduersus adulatores. Philautia. *Iam verò vt de adulatione suspectos diximus, diligenti cautione propellendos à consortio pueri, ita præmuniendum quoque censemus antidotis puerum aduersus hoc venenum. Ac prius quidem quo à φιλαυτίᾳ deterreatur (qui morbus est pestilentißimus, maximè in principibus, qui sibi licere omnia putant) procurandum est, vt seipsum nosse discat, iuxta sapientis sententiam, cogitetque num tale quippiam in eo sit, quod prædi-*
Adulatores quomodo cognoscendi. *cat adulator, num æquum quod suadet, num decorum, num pium, an verum, an conducibile, an è principis dignitate, an è Reip. vtilitate.*

Deinde

Deinde vt omnes suspectos habeat, qui vbique student esse plausibiles, omnibus sententijs assentiuntur, semper parati vel laudare vel vituperare, ad alterius gratiam captandam: Qui in honorum exhibitione, in salutationibus, in opera pollicenda, ac similibus officijs vulgaribus sunt plus satis prodigi, qui quibuslibet prompti dextram ad sex vlnas vsque porrigunt, altera videlicet panem ostendentes, altera lapidem abscondentes. Qui nusquam non corpus, facultates ac sanguinem offerunt, qui secreta omnia rimantur expiscanturq́, & simulata quadam simplicitate factiones suboderantur, potentioribus se adiungunt, suos in procerum ac heroinarum numero patronos captant, ab omnibus fauorem emereri studentes, non habita ratione, siue id virtute an scelere fiat, qui minores quidem deos venerantur, sed vt apud Iouem ipsum patrocinetur. Huc omnia artis suæ specimina dirigunt, adeò vt etiam morionibus ac catellis quæ illis in delitijs sunt, non dubitent adulari. Si videant principem venationibus, aucupijs deditum, nihil præter venationes, canes, accipitres, crepant, identidem visam à se ingentem feram clamitantes. Si luxum aut splendorem, nihil præter gemmas bracteatasq́ue vestes ingerunt, hæc principe, inquam, digna vestis. Si crapulis poculisque delectari sentiant, subinde commessationes adornant, quin & ipsi quoque ebrietati vacant. Nunc Episcopi cuiusdam strenui potatoris sacellanum, cùm ingentem pateram exhauriret princeps, O dignum principe haustum, succlamasse. Si erga eos quos vocant Euangelicos princeps sit propensior, in promptu sunt in Pontifices & Ecclesiasticos conuitia. Si rursum Pontifici faueat, mox Euangelicos lacerari audias, eosq́ue vt seditiosos tollendos, vt hæreticos cremandos. Neque est hoc tempore in Ecclesia pestilentior morbus, qui pietatem ac religionis constituendæ rationem plus impediat quàm adulatio. Sic Dionysij crudelitatem adulatores iustitiam appellabant. Assueri assentatores acclamabant: iusta est regis indignatio. Breuiter, ad omnẽ ventum pallium, vt dicitur, subducunt huic arti vacantes. Quam tamen plerique sic attemperare callẽt, vt, quemadmodũ Quintilianus ait, præcipuum artis esse ipsum artificium cœlare, ita nihil minus quàm adulari videantur. Apud cordatiores principes de virtutibus grauiter differunt, Dionysij adulatores.

 sed

Plutar. in libel. de adul. *sed tamen fucatè. Nonnullos sic impudenter adulari videas, vt amoris atque affectuum paritatis simulatione in periculum se coniiciant. Qualem fuisse referunt eum, qui ad gratiam eius quem captabat, vxorem repudiabat, quod sciebat illi, cui adulabatur coniugem parum gratam. Quosdam accepimus nostro tempore apud maximum Monarcham morbum simulasse, ac vnà cum principe in periculosorum remediorum societatem descendisse. Ita Dionysij adulatores pocula patinasque in mensa subuertebant, simulantes se eodem cum rege caliginis vitio teneri, atque ita tandem in magnum principem exitium perduxerunt palpones, vt ante quoque diximus de Galba. Quò non perpulerunt Antoninum? De Commodo traditur eum huc perductum ab adulatoribus & calumniatoribus, vt nulli non calumniæ fidem adhiberet. Neminem amicum adiungebat cui virtus aliqua adesset, sed à cunctis rectis studijs animum auocabat, neminemque non alimine tanquam insidiatorem submouebat, quem aut probitas aut disciplina illustraret. Scurras verò & qui turpissima repræsentabant quasi addictos sibi habebat. Alexander Magnus præclaris alioqui virtutibus insignis à palponibus persuasus, immortalem se fore, ac pro Deo adorari se passus, tandem eorundem commercio eò raptus est, vt eximios ac fidelissimos amicos sustulerit. Et nos principem vnum atque alterum nouimus, qui adulatorum consilijs obsecuti, tandem e principatu exacti sunt.*

Dionysij adulatores.

Antoninus. Commodus. Herodian. in Commodo.

Alexander Magnus.

In tempore igitur præmuniendus puer princeps, vt hanc hanc pestem vitare dum adhuc tractabilis est, & antidotis se præmunire discat, si fortè in periculum incidat, ne veneni efficacia vincatur. Ac præter iam dicta meminerit Phocionis, Qui non possum, inquiebat, te simul & amico & adulatore vti. Item apologi Satyri & hominis. Adde Dauidis exemplo de allato Saulis capite, alijsque, & exemplis & historijs, se tueri discat. Legat Plutarchi libellum de discrimine amici & adulatoris, ac similes, inprimis assuescant pueri Biblia legere, Scripturæ enim non adulantur.

Phocionis apophth.

Principes libris assuescant qui non adulantur.

Deprehenduntur autem adulatores faciliter si periculum facias, neq; enim eadem laudant semper palpones, neque vicissim apud omnes omnia vituperant,

vituperant, ita inæqualitate atque inconstantia capientur. Conueniet igitur vt in eos, qui principis pueri ingenium illud sequax vel alloquijs vel obsequijs illiberalioribus ad parum honesta solicitare tentauerint, seuerissimè animaduertatur, exemplo Alexandri Imperatoris, qui fumi venditores palo alligatos fumo necauit. Pertinax delatores vrbe exegit, cauens ne de vanis criminibus periculum conflaretur. Et rectè quidem leges grauissimas pœnas statuunt ijs qui publicum fontem inquinauerint. Quò magis puniendi qui principum animum corrumpunt, vnde totius Reip. atque orbis interdum pendet vel felicitas vel infelicitas. Fumi vendi-tores puniti.

De ingenio puelli principis considerando, ac moderando. Caput VI.

QVi de agro colendo præcepta tradunt, prius diligenter perdiscendam iubent soli ipsius naturam -- patrios cultusq́ habitusq́ locorum.
Et quid quæque ferat regio & quid quæque recuset.
Hic segetes, illic veniunt felicius vuæ.
Continuò has leges, æternaque fœdera certis
Imposuit natura locis --, vt scribit Poëta. Et in curandis corporibus medici constitutionem ipsius corporis contemplantur antequam remedia adhibeant. Ad eum modum doctoris, vt inquit Cicero, officium est intelligentis, videre quo ferat natura quenq́ sua, & ea duce nitentem sic instituere. Nam vt expeditiorem nauigationem experimur cùm ventus secundus aspirat, aut maris æstus fauet: Ita facilius docentur ea ad quæ natura & animus fertur. Proinde perspicacem esse oportet principis Pædonomum ac primùm pueri indolem velut in herba obseruare, ingenijque pronitatem perpendere, quibus vel delectetur vel offendatur, ad quas actiones magis propensus sit. Id quod notis certis, quæ statim in pueris non obscurè apparent, deprehenditur. Quintilianus in lusibus maximè ingenia elucescere scripsit & memoria. Sunt enim quidam verecundiores & quos metus continet. Sunt rursus alij audentiores, intrepidi ac temerarij, Virg. Geor. 2. Cic. in Brut. Libr. 1. cap. 3. Lusu ingenia elucescere.

alij

Plutar. περὶ ἀγωγῆς. Herodian. in Seuero. Q. Cur. lib. 5. & 8.

Naum Thaphseraim appellat, quasi regulorum filios. Historijs proditum est, morem fuisse veterum principum, vt in aula liberos præsidum quasi fidei & beneuolentiæ obsides haberent, vt de Commodo & Seuero refert Herodianus. Hi vt nostris ferè principibus è nobilißimis subditorum assumuntur aut intruduntur aliquoties, ita conuenit non tàm ad gratiam potentiorum quàm summo delectu exquisitos adsciscere, qui sint non tàm genere quàm indole ac moribus generosis nullis, neque animi neq; corporis vitijs deformati. Quales Danielis sodales describuntur, quibus nulla macula, qui sint honesta facie, intelligentes, industri, qui præcepta facile percipiant, expeditè referant, sobrij, linguæ continentis & veracis. Plutarchus etiam pronunciationem requirit exactam, ne iuxta balbum balbutire, vt dicitur, discat puer. Transit enim arcano quodam contagio in collusorem, si quod vitium insit. Nollē hos supra sex esse, aut ad maximum octo, nec infra quatuor. Ita simul et, & solitudinis tædiū discutietur, neq; sodalitas deerit ætati, & corruptela multitudinis vitabitur. Hosq; nō suaserim sine graui causa mutandos, sed permittendos simul cum ipso principe in ijsdem disciplinis & exercitijs adolescere.

Ministri.

Non negligenda quoque cura in nobilibus alijsque ministris asciscendis, veluti structoribus atque ijs qui à mensa & à poculis principi adiunguntur, qui nisi sint incorrupti & moribus castis, plurimum exemplo officere poterunt. Sin autem sobrij, modesti, rerumque honestarum & linguarum periti, consuetudine aßidua rectores non mediocriter adiuuare queant. Siquidem vel mensæ astantes vel in confabulationibus alijs & exercitijs de rebus honestis, de externarum gentium moribus, de ijs quæ peregrè viderint, gesserint, honesta & vtilia referent. Idque probarim magis quàm morionum gesticulationes & cachinnos ludosque obscœnos admittendos, vt videlicet vndecunque omnia apud principem casta, erudita, grauia, & in primis pia sint.

Proinde hæc præcipua sit sollicitudo præfecti aulæ principalis, vt ministrorum delectus hic chorus sit numeris omnibus ad fingendam tantæ spei pueritiam absolutißimus, atque huc vnanimiter omnes contendant. Quod si quis sit vel blasphemijs, iurandi consuetudini, ebrietati, turpiloquio,

quio, deditus, aut qui bene ædificata demoliri deprehendatur, quoniam is plus destruendi opera quàm alij omnes construendo promouebit, huiusmodi membrum si in hoc aulæ corpore deprehendatur protinus amouendum, antequam reliqua membra atque adeò ipsum caput inficiat.

Sed hic inquiet Midas aliquis aulicus: Vbinam tam exquisitos institutores & ministros reperire licebit? res fuerit hæc immensi sumptus, satis fuerit nostrum morem obseruare, adhibere ministros qualescunque aulicos, quos alioqui alere oportet? Apage huiusmodi voces. Vndecunque potius requirendi sunt quos descripsimus, quanti idcunque cõstet. Neque impensis hic parcere licebit, nullæ enim magis necessariæ impensæ quàm quæ huc collocantur. In equisonem accipitrarium, venatorem, Musicum aut alium voluptatum architectum, non piget magnos facere sumptus, & in eum qui & imperij et facultatum hæres futurus, quemque tàm multis vel sapere vel desipere oportet, insumere vllas impensas graue fuerit? Hic libet cum Cratete in altißimam vrbis partem ascendere, ac vociferari: Quo obsecro ruitis homines, qui in imperijs & facultatibus comparandis nihil prætermittitis, at filiorum, quibus ea relinquere studetis, nullam curam suscipitis. Admonitos autem esse conuenit parentes, principes & patricios, hoc est, proceres atque ephoros imperiorum, vt hic oculati sint, neque dormitent, memores eorum quæ prudens antiquitas dicere solebat: FRONTEM OCCIPITIO PRIOREM ESSE, *atque hac in re curam sibi à Deo impositam non negligant, neque sinant hanc tam arduam causam leuiter tractari, aut vanis consilijs peruerti.*

Sumptibus non parcendũ in pueri principis institutione.

Cratetis exclamatio.

Frons occipitio prior.

Iam verò parentes & proceres non sic velim in Rectores puero destinatos omnem solicitudinem conijcere, vt solent filiarum matrimonio elocatarum in sponsum vniuersam curam transferre sed quemadmodum diligens agricola, qui vbi terræ semina concredidit, ea subinde in herba inuisere solet, considerans, sicubi erumpat. quòd segetem herbescentem suffocare aut impedire poßit, vt id maturè euellatur antequam detrimentum afferat. Ad eundem modum operæprecium fuerit parentes identidem inuisere filium, & explorare ecquid promoueat, vt res habeat? Ad hæc rectores & ministros, quos in officio sedulos experiãtur, præter stipendium

Parentũ officium.

dium legitimum etiam munusculis & adhortationibus excitare ad officium fideliter perfungendum, & liberos ad parendum sedulò monere: ita simul & in officio continebuntur Rectores, & ipsorum auctoritas confla-
Philippus Macedo. *bilietur. Laudatus in hoc Philippus Macedonum Rex, qui cum nato statim Alexandro filio absolutissimo totius Graeciae Philosopho & artifici filium commendasset, solicitus tamen filium subinde visere & monere*
Paul. Aemilius. *solebat, vt docilem se praeberet. Paulus Aemilius quoties à Reip. nego-*
Plinius Secundus. *tijs abesse licuit filiorum exercitamentis interesse gaudebat. Quae regum principumque virorum exempla, in primis autem mandata Dei commonere debent nostros principes, vt liberorum, praesertim ad gubernationem designatorum, institutionem non negligant, sed magna solicitudine illos eruditis, temperatis, cordatisque viris instituendos tradant, atque interim eosdem saepe visentes in officio contineant, memores veteris Prouerbij: Oculum Domini equum saginare.*

De diligentia excludendae protinus omnis turpitudinis, tàm corporis quàm animi, dictorũ factorumq́; deq́; adulatoribus procul abigendis, & quorum consuetudo conueniat iuniori principi. Caput V.

Vitiorũ contagiũ latens. *QVemadmodum in corporis morbis contagium quoddam est, quod in propinquos facile transilit, ita animi quoque vitia consuetudine serpunt, atq; occulto quodam naturae cõsensu eorum vitia, cum quibus viuitur, saepe ab imprudentibus imbibuntur. Nam vt apud claudum claudicare discitur, & apud balbum balbutire, ita ebrietas contrahitur plaerunq; ebriosorum cõsuetudine, garrulitas garrulorum, maledicentia maledicorum hominum commercio. Neque enim tàm valetudinem corrumpere potest caelum pestilens, quàm animi sunt sequaces in contubernio vi-*
Menandri Senarius. *tiosorum, vt non temerè dictum sit,*
1. Cor. 15. *Corrumpunt bonos mores colloquia praua.*

Proinde

Proinde cumprimis cauendum, ne quid pueri rudibus vel oculis vel auribus incurrat, quod inhonestum, turpe aut parum verecundum ac seruile sit, omnia sint casta & pura, saltem morum gratia, qui ex illa infantili consuetudine lineamenta ducunt, Nam consuetudo maliciæ processu temporis inualescens tantum facit mali, vt postea non possit vlla admonitione vinci. Proditum est Persarum principum liberos ad fores regiæ educari solitos, vbi multa continentiæ exempla suppeditarentur, nihilq; fœdum aut turpè inspicerent. Apud Romanos quæque familia, vt ante quoque dictum, è maioribus natu deligebat matronam, moribus spectatissimam, apud quam liberi educabantur, coram qua neque dicere fas erat quod turpe dictu, neque facere quod inhonestum factu videretur, quæque non solum studia moresque, sed remissiones etiam lususq; puerorum sanctitate quadam ac verecundia temperabat. Sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Cæsaris, sic Actiam Augusti matrem præfuisse educationibus, ac produxisse principes liberos annalibus de Romanorum indole traditur. Quæ disciplina ac seueritas eò pertinebat, vt syncera & integra ac nullis prauitatibus detorta vniuscuiusq; natura toto statim pectore arriperet artes honestas, turpitudinem atque obscœnitatem vitaret. Cato præsente filio puello à turpitudine verborum sic temperabat, quasi virginibus Vestalibus arbitris loqueretur. Quod Satyricus præcipiens,

Chrysost. in Genes.
Pueris cum optimè moratis conuersandum.
Xen. Pediæ 1.
Cornelia.
Aurelia.
Actia.
Corn. Tacit. Dialogo de Oratoribus.
Plutarch. in Catone.
Iuuenal. Sat. 14.

Nil, inquit, dictu fœdum visuq; hæc limina tangat
Intra quæ puer est, procul hinc procul inde puellæ
Lenonum & cantus pernoctantis parasiti
Maxima debetur puero reuerentia. Si quid
Turpe paras, ne tu pueri contempseris annos,
Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.

Mammea Alexandri Cæsaris mater, verita ne in summa potestate licentiaque rerum in vitia prolaberetur filius adolescens, vndique aulam seruabat, neque adiri patiebatur à quoquam adolescentem, cuius vita moresque improbarentur, ne scilicet bona indoles corrumperetur, prouocantibus appetitum eius iam vigentem assentatoribus in extremas libidines. Arcendæ igitur morionum, lasciuorũ, histrionum, psaltriarum,

Mammea.
Herodian. lib. 6.

scurrarum gesticulationes. Adde etiã picturarũ inuerecũdiores imagines. Ablegandi e famulitio si qui deprehensi vel scurrilitate vel turpiloquio, mendacijs, futilitate, blasphemijs, iurandi consuetudine, ebrietati obnoxij. Adde etiam fatuos vel natos vel personatos, item morîones, nanos, distortos, quos Augustus veluti naturæ ludibria abominari solebat, nunc delitiæ Christianorum principum habentur. Quibus natura sanam mentem denegauit hi commiserandi magis sunt quàm lacessendi aut ludibrio exponendi. Multo autẽ sceleratius faciunt qui quibus mens contigit quæ ratione duci posset, eos ebrietate ac diuexatione ad dementiam prorsus adigunt. Si autem verum est quod Plato grauiter dixit, sapientes sapientum consuetudine fieri, contra necessum est eos, qui morionum impurorumque hominum commercio vtuntur, vt his similes quoque euadant. Etsi enim pueri plærunque sint natura sobrij & modesti, eos tamen parentes, qui sapiunt, à prauorum consuetudine retrahunt. Vir enim bonus, inquit Xenophon, modò fortis modò ignauus, ἀνὴρ ἀγαθὸς τοτὲ μὲν κακὸς, ἄλλοτε δ' ἐσθλός. *Nam vti carminum, hoc est,* ἐπῶν *facilè obliuiscuntur qui ea non exercent, ita honestis disciplinis imbuti, nisi easdem exerceant sedulò, & bonorum consuetudine vtantur, facilè prauorum commercio corrumpuntur. Achilles Phœnicis & Chironis consuetudine vsus in talem euasit claritudinem. Ipsi Agamemnoni Regi regum (vt inquit Cicero) honestum fuit Nestorem, Diomedi Idumæum, in consilijs habere. Critias & Alcibiades quandiu Socratis consuetudine vtebantur sobrij & moderati fuerunt, illum autẽ relinquẽtes, alter ad auaritiã alter ad incontinentiã versi sunt, vt idẽ Xen. testatur. Alexander Aristotelis, Parmenionis, Callisthenis et Lisymachi cõsuetudine vsus, Darius Sopyri, Scipio Panætij, Antoninus Pius Marcelli, Iaboleni, Volusij, Alexander Imperator præter alios Vlpiani, Pomponij, Martiani, Alpheni familiaritate bene administrati Imperij laudem reportârunt. Contra apud Neronem, Phalaridem, Dionysium, Heliogabulum, adulatorum scurrarumque greges in consuetudine habiti tetra monstra illa in Resp. perniciem exhibuerunt. Extant versiculi apud Æschinem & Demosthenem, in quibus vterque obijcit alteri improborum consuetudinem ac familiaritatem.*

Fatui.
Sueton. in August.
Moriones.
Nani.
Fatuorum ratio.
Platonis sententia.
Xen. Memorab. lib. 1.
Consuetudo bonorum.
Critias.
Alcibiades.
Xen. ἀπομνη. lib. 1.

ritatem. Sed quid referimus ethnicos, an non Iosue fortißimus princeps, & sanctißimus dimicator consuetudine Moysi talis est redditus? Abrahami consuetudine Loth? Paulus Gamalielis? Timotheus Pauli? Ioas Iudæorum rex quandiu consuetudine Ioiadæ sacerdotis vtebatur, à quo sanctißimè educatus fuit, piè atque religiosè imperiũ administrauit, verùm eo sublato ipse quoque rex continuò peruersus peruersorum consuetudine redditus est. Persarum rex cohabitatione Danielis & Iudæorum felix erat, itidem & Darius Histaspis fortunatus fuit donec reædificata Ierusalem, post decessum Iudæorum Ægypto amissa fugiens morbo perijt. Nam vt medicus si cesset oportuna sectione curare diligenter, tandem incurabilis morbus redditur, ita nisi bonorum consuetudine animi in officio contineantur, facilè in vitia prolabuntur. Galba fertur initiò bonæ naturæ fuisse, sed consuetudine perniciosorum quorundam perditus in deterrimam beluam degenerauit. Quorum alter, vt Tacitus scribit, ignauißimus erat, alter deterrimus, adeò vt Nymphidius censuerit mittendos legatos ad Imp. vt horum consortio se liberaret.

Ioas rex Iudæ. 4. Reg. 12.

Darius.

Galba Imperator.

Tacit. lib. 17.

Porrò quia multum interest (vt inquit Cicero) cum quibus quis loquatur, dabitur opera, vt ad puelli principis consortium non nisi grauißimi, castißimi, eruditißimique admittantur, qui de honestis semper & eruditis ac grauibus, aut certè citra impuritatem iucundis loquãtur, ad virtutem inflamment, à vitijs deterreant, moribus sint virilibus & vrbanis, castis. Ad quos vt se componat puellus crebrò monendus est. Videas enim quosdam CONSVETVDINE ERVDITORVM *plus profecisse quàm lectione diuturna librorum aut peregrinatione longinqua.*

Delectum igitur summum habendum censeo, ne quoslibet in familiaritatem pueri admittas. Nam sunt quidam qui etsi prima fronte grauitatem, eruditionem, ac morum vrbanitatem præ se ferant, attamen adulationis venenum sub speciosis his virtutum imaginibus tegunt, Siquidem inter cæteras non paucas aulicæ Philosophiæ pestes, vna est omnium perniciosißima Adulatio, malum haudquaquam simplex, sed omnium calamitatum Iliada trahens, adeò vt maximos Monarchas, & alioqui fero-

Adulationis pestis.

cissimos gentium domitores à scurris abiectissimis ἀγυρτᾶς καὶ φίρθων, atque vnà cum amplissimis regnis in exitium pertractos esse sæpe compertum sit. Aularum pestis. *Quod malum nusquam validius quàm in aulis principum regnat, & in magnis ac præpotentum familijs, non aliter quàm quod Liuius ait de inuidia, quæ sicut ignis alta petit, immò in aulis nata videtur, vnde* Adaulatio. *Grammaticis quasi Adaulatio dicta videtur. Quo alusisse Ouidium apparet, canentem:*

Agmen adulantum media procedit ab aula.

Perennius. Herodian. li. 1. in Comomodo.

Hîc velut in sua arena se exercet adulator, Camæleontem aut Polypum mutabilitate vincens. Perrennius adulatione & perfidia suam potentiam augens, Commodum Imperatorem perdidit. Magna ex parte pueri siue principes seu priuati complectuntur eos iuuenilibus annis, qui sunt ipsorum affectibus magis accommodi & cupiditatum ministri, continuò igitur præmuniendus pueri animus est aduersus horum contagium, atque ab ipsis statim crepundijs prospiciendū, ne in consuetudinem atque adeò famulitium principis puelli irrepat hæc lues, procul hinc procul este colaces. Nam si recens semel testula blanditijs huius mali capiatur, periculum est ne in totam vitam macula proserpat, ac radices agat, & inescatus ille prædulcato veneno eos odisse incipiat, qui se reuocare studeant. In plærisq; morbis vulgo notum est quid possit contagio, verùm quid prosit aut obsit consuetudo eorum, cum quibus versetur puer (quando sensim ac munitis accessionibus serpit vtilitas aut noxa) non æque ab omnibus sentitur. Non sentitur irrepere, sed iam ex interuallo irrepsisse.

Antidota aduersus adulatores. Philautia.

Iam verò vt de adulatione suspectos diximus, diligenti cautione propellendos à consortio pueri, ita præmuniendum quoque censemus antidotis puerum aduersus hoc venenum. Ac prius quidem quo à φιλαυτίᾳ deterreatur (qui morbus est pestilentissimus, maximè in principibus, qui sibi licere omnia putant) procurandum est, vt seipsum nosse discat, iuxta sapientis sententiam, cogitetque num tale quippiam in eo sit, quod prædi-

Adulatores quomodo cognoscendi.

cat adulator, num æquum quod suadet, num decorum, num pium, an verum, an conducibile, an è principis dignitate, an è Reip. vtilitate.

Deinde

Deinde vt omnes suspectos habeat, qui vbique student esse plausibiles, omnibus sententijs assentiuntur, semper parati vel laudare vel vituperare, ad alterius gratiam captandam: Qui in honorum exhibitione, in salutationibus, in opera pollicenda, ac similibus officijs vulgaribus sunt plus satis prodigi, qui quibuslibet prompti dextram ad sex vlnas vsque porrigunt, altera videlicet panem ostendentes, altera lapidem abscondentes. Qui nusquam non corpus, facultates ac sanguinem offerunt, qui secreta omnia rimantur expiscanturq́, & simulata quadam simplicitate factiones suboderantur, potentioribus se adiungunt, suos in procerum ac heroinarum numero patronos captant, ab omnibus fauorem emereri studentes, non habita ratione, siue id virtute an scelere fiat, qui minores quidem deos venerantur, sed vt apud Iouem ipsum patrocinetur. Huc omnia artis suæ specimina dirigunt, adeò vt etiam morionibus ac catellis quæ illis in delitijs sunt, non dubitent adulari. Si videant principem venationibus, aucupijs deditum, nihil præter venationes, canes, accipitres, crepant, identidem visam à se ingentem feram clamitantes. Si luxum aut splendorem, nihil præter gemmas bracteatasq́ue vestes ingerunt, hæc principe, inquam, digna vestis. Si crapulis poculisq́ue delectari sentiant, subinde commessationes adornant, quin & ipsi quoque ebrietati vacant. Nunc Episcopi cuiusdam strenui potatoris sacellanum, cùm ingentem pateram exhauriret princeps, O dignum principe haustum, succlamasse. Si erga eos quos vocant Euangelicos princeps sit propensior, in promptu sunt in Pontifices & Ecclesiasticos conuitia. Si rursum Pontifici faueat, mox Euangelicos lacerari audias, eosq́ue vt seditiosos tollendos, vt hæreticos cremandos. Neque est hoc tempore in Ecclesia pestilentior morbus, qui pietatem ac religionis constituendæ rationem plus impediat quàm adulatio. Sic Dionysij crudelitatem adulatores iustitiam appellabant. Assueri assentatores acclamabant, iusta est regis indignatio. Breuiter, ad omnẽ ventum pallium, vt dicitur, subducunt huic arti vacantes. Quam tamen plerique sic attemperare callẽt, vt, quemadmodũ Quintilianus ait, præcipuum artis esse ipsum artificium cælare, ita nihil minus quàm adulari videantur. Apud cordatiores principes de virtutibus grauiter differunt,

Dionysij adulatores.

Plutar. in libel. de adul. *sed tamen fucatè. Nonnullos sic impudenter adulari videas, vt amoris atque affectuum paritatis simulatione in periculum se conijciant. Qualem fuisse referunt eum, qui ad gratiam eius quem captabat, vxorem repudiabat, quod sciebat illi, cui adulabatur coniugem parum gratam. Quosdam accepimus nostro tempore apud maximum Monarcham morbum simulasse, ac vnà cum principe in periculosorum remediorum societatem descendisse.*

Dionysij adulatores. *Ita Dionysij adulatores pocula patinasque in mensa subuertebant simulantes se eodem cum rege caliginis vitio teneri, atque ita tandem in magnum principem exitium perduxerunt palpones, vt ante quoque diximus de Galba.*

Antoninus. Commodus. Herodian. in Commodo. *Quò non perpulerunt Antoninum? De Commodo traditur eum huc perductum ab adulatoribus & calumniatoribus, vt nulli non calumniæ fidem adhiberet. Neminem amicum adiungebat cui virtus aliqua adesset, sed à cunctis rectis studijs animum auocabat, neminemque non almine tanquam insidiatorem submouebat, quem aut probitas aut disciplina illustraret. Scurras verò & qui turpissima repræsentabant quasi addictos sibi habebat.*

Alexander Magnus. *Alexander Magnus præclaris alioqui virtutibus insignis à palponibus persuasus, immortalem se fore, ac pro Deo adorari se passus, tandem eorundem commercio eò raptus est, vt eximios ac fidelissimos amicos sustulerit. Et nos principem vnum atque alterum nouimus, qui adulatorum consilijs obsecuti, tandem è principatu exacti sunt.*

In tempore igitur præmuniendus puer princeps, vt hanc hanc pestem vitare dum adhuc tractabilis est, & antidotis se præmunire discat, si fortè in periculum incidat, ne veneni efficacia vincatur. Ac præter iam dicta meminerit Phocionis, Phocionis apophth. *Qui non possum, inquiebat, te simul & amico & adulatore vti. Item apologi Satyri & hominis. Adde Dauidis exemplo de allato Saulis capite, alijsque, & exemplis & historijs, se tueri discat. Legat Plutarchi libellum de discrimine amici & adulatoris, ac similes,* Principes libris assuescant qui non adulantur. *inprimis assuescant pueri Biblia legere, Scripturæ enim non adulantur.*

Deprehenduntur autem adulatores faciliter si periculum facias, neq; enim eadem laudant semper palpones, neque vicissim apud omnes omnia vituperant,

vituperant, ita inæqualitate atque inconstantia capientur. Conueniet igitur vt in eos, qui principis pueri ingenium illud sequax vel alloquijs vel obsequijs illiberalioribus ad parum honesta solicitare tentauerint, seuerissimè animaduertatur, exemplo Alexandri Imperatoris, qui fumi venditores palo alligatos fumo necauit. Pertinax delatores vrbe exegit, cauens ne de vanis criminibus periculum conflaretur. Et rectè quidem leges grauissimas pœnas statuunt ijs qui publicum fontem inquinauerint. Quò magis puniendi qui principum animum corrumpunt, vnde totius Reip. atque orbis interdum pendet vel felictas vel infelicitas. Fumi vendi-tores puniti.

De ingenio puelli principis considerando, ac moderando. Caput VI.

QVi de agro colendo præcepta tradunt, prius diligenter perdiscendam iubent soli ipsius naturam -- patrios cultusq́ habitusq́ locorum.
Et quid quæque ferat regio & quid quæque recuset.
Hic segetes, illic veniunt felicius vuæ.
Continuò has leges, æternaque fœdera certis
Imposuit natura locis --, vt scribit Poëta. Et in curandis corporibus medici constitutionem ipsius corporis contemplantur antequam remedia adhibeant. Ad eum modum doctoris, vt inquit Cicero, officium est intelligentis, videre quo ferat natura quenq́ sua, & ea duce nitentem sic instituere. Nam vt expeditiorem nauigationem experimur cùm ventus secundus aspirat, aut maris æstus fauet: Ita facilius docentur ea ad quæ natura & animus fertur. Proinde perspicacem esse oportet principis Pædonomum ac primùm pueri indolem velut in herba obseruare, ingenijq́ue pronitatem perpendere, quibus vel delectetur vel offendatur, ad quas actiones magis propensus sit. Idquod notis certis, quæ statim in pueris non obscurè apparent, deprehenditur. Quintilianus in lusibus maximè ingenia elucescere scripsit & memoria. Sunt enim quidam verecundiores & quos metus continet. Sunt rursus alij audentiores, intrepidi ac temerarij, Virg. Geor. 1. Cic. in Bru. Libr. 1. cap. 3. Lusu ingenia elucescere.

alij

Ingeniorum varietas.

alij loquaces, timidi nonnulli, pleriq; gloria titillantur, quidam præfracti, qui monitis & imperijs indignantur. Sunt qui laboribus & vigilijs occupentur non inuiti, & rursus non desunt qui laborem impatientes ignauia torpescant. Alij pace gaudent & tranquillitate, alij tumultibus & rixis, alij liberales, sordidi alij. Breuiter, alij alio ducuntur natura. Vnde Pythagoras oblatos ad discendum pueros φυσιογνωμεῖν*, hoc est, vultus oris'q; & corporis habitu inspecto naturam moresq; rimari solebat. Democritus aciem animi solertiamq; Protagoræ adolescentis adhuc, necdum docti, & mercedis gratia ligna baiulantis, ex caudicibus lignorum plurimis funiculo breui Geometrica quadam ratione colligatis considerauit, eumq; abduxit, & ad Philosophiam sumptus administrauit, talemq; effecit quantus post factus est Philosophus. Sunt qui mox sponte indolem prodant, & magni aliquid portendant. Cyrus puer inter collusores munia singulis distribuens regiam statim naturam præ se ferebat. Areopagitæ cùm viderent puerum oculos coturnicum eruentem, iudicauerunt iudicium esse perniciosæ mentis & indolis ad tyrannidem propensæ multisq; malo futurum si adoleuisset, quare eum condemnarunt. Certis indicijs ipsa indoles deprehenditur. Notis autem his deprehensis an ad iram, ambitionem, tyrannidem, aleam, Venerem, gulamúe inclinare videatur, pro harum ratione decretis animus eius velut obiecto vallo præmuniendus, atq; à vitijs in diuersum habitum trahendus est. Iracundi à præcipitantia consilij reuocandi exemplo Theodosij, ne irati temerè aliquid statuant. Somniculosi liberioribus exercitijs veluti calcaribus erigendi excitandiq;. Placidi si contingant & meticulosi, cauendum ne nimium inflando frangantur. Nam Homerus canit, alium blandis alium asperioribus verbis compellandum,*

Pythagoras.

Protagoras.

Cyrus.

Areopagitæ.

Quint. lib. 5.

Ingenia quo pacto quæq; tractanda.

Remedia aduersus vitiosa ingenia.

Theodosius Imperator.

ἄλλον μειλιχίοις, ἄλλον στερεοῖς ἐπέεσσιν.

Laude generosi excitãdi.

Siquidem blanditijs & munusculis generosi animi subleuantur & laude, præcipuis verecundiæ ac timoris remedijs, quibus assurgere & in bonam sui spem solent adduci generosi animi. Contrà immoderati, effrenes obiurgationibus cohibendi sunt, ne insolentiores, & tanquam imbribus intumescens flumen tumore ruens elata soluatur, atq; effundatur. Alij dociles sunt & ingeniosi, alij tardi ingenij, & sequuntur magis quàm præcurrunt.

currunt. Illud verò præcox ingeniorum genus non temerè ad frugem peruenire Quintil. testatur, & quotidiana exempla comprobant. Hi sunt qui facilè percipiunt, & audacia prouecti quicquid possunt ostentant, nulla verecundia tardati: sed non subest vis, neque radicibus nititur: Non secus quàm semina quæ summo solo sparsa citius se effundunt, & imitatæ aristis ante messem flauescunt, maturitatemque mentiuntur. Atque hæc annis comparata magis placent, & solidior stat profectus. In acerrimo Theopompi ingenio & lenissimo Ephori Isocratem dixisse ferunt, Huic calcaribus, illi freno opus esse. Meticulosis solitudo interdicenda. Contra garrulis turba & conuentus. Alacrioribus vultus tristior, tristioribus alacrior præbendus. Leuibus nihil pro arbitrio permittendum: solidis & constantibus idem non denegetur. Industrijs & laboriosis remissio sæpe detur & relaxatio. Ignaui ad exercitia & labores etiam impellantur. Tenacioribus & sordidis permittendum quasi peculium, quòd ad liberalitatem dispensent. Profusioribus non concedantur facultates ipsorum arbitrio erogandæ. Crapulosi conuiuijs crebrius non adhibeantur, & adhibiti ad temperantiam cohibeantur. Sobrios & frugales nihil vetat aliquoties admittere, quò alacriores reddantur. Contentiosis indulgentia præscribenda est, prohibendique lusus frequentiores, maximè ijs qui ad iram nati censentur prouocandam. His vino parcius vtendum, neque lautius & abundantius cibi sumendi, quibus ad calorem animi non minus quàm corpora incenduntur atque intumescunt, vt Plato & Physici docent.

Præcocia ingenia. Quintil. lib. 1. cap. 4.

Theopompi & Ephori ingenia diuersa.

Naturæ'ne an institutionis an vtriusque coniuncta vis formando Principi plus conferat, & boni maliq; nostrísne consilijs, an diuinitùs concedantur Principes. Caput VII.

DIu multumque à veteribus disputatum est,
Virtutem doctrina paret naturáne donet,
Socrates apud Platonem non tàm serio quàm Sophistæ tentandi occa-

 sione

ſione virtutem doceri non poſſe, ſed natura ferri quenque & caſu. Idque exemplis confirmare contendit, at contra Protagoras διδακτὸν eſſe virtutem aſſerit, & quanquam à fabularum inuolucris exorſus, grauiſſimis tamen epicheromatis idipſum aſtruit, & virtutem non innaſci, neque ſorte contingere, ſed doctrina & ſtudio comparari, additque neminem ob ea quæ natura adſint vituperari neque puniri. Aſtipulantur quoque his cùm veterum tùm recentiorum aliæ plæræque ſententiæ. Qualis eſt Poetæ:

Naturæ vis.

Naturam furca expellas tamen vſque recurrit.

Galli aiunt: Nature paſſe la nourriture. Suffragatur etiam apologus de Cato. Videtur Hecuba apud Euripedem pluſculum tribuere genituræ quàm inſtitutioni, miraturque proinde non idem euenire in mortalium moribus, quod in prouentibus ſegetum:

οὐκοῦν δεινὸν; εἰ γῆ μὲν κακὴ.
Τυχοῦσα καιροῦ θεόθεν εὐστάχυν φέρει, &c.
ἄνθρωπος δ' ἀεὶ,
ὁ μὲν πόνηρος οὐδὲν ἄλλο πλὴν κακός.

Sæpiſſimè autem in tyrannis id vſu veniſſe compertum. Siquidem natura tyranni & improbi, etiamſi inſtitutione aliquandiu cohibeantur, vbi ad imperij auctoritatem peruenerint, omniaque ad licentiam patere conſpiciunt, plærunq; natura erumpens inſtitutionẽ vincit. Id in Nerone, Galba, Caligula, Dionyſio, perſpicuũ, qui à grauiſſimis doctiſſimisq; viris diligentiſſimè inſtituti, nihilominus in teterrima humani generis monſtra declinauerunt. Tanta eſt naturæ affectuumque vis ac tyrannis.

Educationis inſtitutioniſq; vis.

E diuerſo tamen quantùm educatio poſſit tùm ratio tùm exempla docent. Quid enim tàm durum quod non molliatur exercitio? Quid tàm ferox quod non cicuretur aſſiduitate? Si ferarum ingenium cicuramus, mitiuſque ac melius reddere poſſumus, qui fit vt nobiſipſis ad virtutem parandam nihil prodeſſe queamus? Labor improbus omnia vincit. Naturæ inclinatio conſuetudine, diligentiaque inſtitutionis ſæpe mutatur. Multos videmus natura & ingenio bardos, qui tamen inſtitutionis diligentia exercitati ad res magnas prouehuntur. Quare ſi ingenium felix

contingat,

contingat, id exercendum ne degeneret. Sin autem parum commodum non statim desperandum, sed cura diligentiaque incommoditas ingenij sarcienda. Videmus enim elephantos institutione fieri funambulos, vrsos saltare, atque alia quoque bruta ad ea institui, à quibus sunt natura aliena. Quid igitur prohibet hominem, cui intellectum natura concessit, vt bruta quibus ratio denegata est, etiamsi natura ad deteriora propensum, institutione ad meliora ducere. Id quod Lycurgus referente Plutarcho in canibus eadem matre natis comprobat, altero generosa matre in culina, altero ignauis parentibus venandi exercitio educato. Lycurg. de canibus diuersa via educatis. *Quod Plinius Secundus notans, inquit:*

Vt ceræ mollis laus est, cedensq; sequatur,
Si doctos digitos iussaq; fiat opus.

Sic hominum ingenium flecti duciq; per artes. Cui & Chrysostomus subscribens, testatur institutionis vim, naturæ propensitatem vincere posse.

Breuiter vt quæ mea sit sententia exponam, tota ratio felicitatis in tribus consistit: Natura, ratione & exercitatione. Ratio felicitatis in tribus. *Naturam appello propensionē penitùs insitam ad res honestas. Rationem, doctrinam & institutionem, quæ monitis constat & præceptis. Exercitationem, vsum eius habitus, quem natura insevit, & ratio prouehit. Natura rationem desiderat, & cæca est sine disciplina. Quemadmodū & disciplina absq; natura manca est. Exercitatio si his ambabus careat, ipsa quoque imperfecta est. Porrò vt non inficiar institutionem vbique plurimùm posse, vtrunque tamen alterum plurimùm adiuuare certissimum est. Licebitque in principe, quod in consummato oratore Cicero, hoc est, vtrunque requirere. Nam si vtriq; alterum detraxeris, neq; doctrina sine natura, neq; natura citra institutionem multùm proderit. Sin pariter coëant in mediocribus credam naturæ plus momenti, in consummatis plus institutioni deberi quàm naturæ. Perinde ac in terra nullam fertilitatem habenti nihil profuerit vel optimus colonus: Ex vbere agro vtile nullo colente nascitur. In solo fœcundo plus cultor, quàm ipsa per se bonitas soli efficiet. Naturæ materiæ, ars doctrinæ est: Hæc*

fingit, illa fingitur. Nihil ars sine natura. Materia sine arte precium est. Multos homines excellenti animo ac virtute fuisse, & sine doctrina naturæ ipsius habitu prope diuino per seipsos et moderatos & graues extitisse fateri necesse est. Nam sæpius ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina, quàm sine natura valuisse doctrinam Cicero pro Archia testatur. Verùm cùm ad naturam eximiam atq; illustrem accesserit ratio quædam confirmatioq; doctrinæ, tum illud nescio quid præclarum solere existere. Quinetiam videmus in plerisq; non sola exercitatione, sed naturali quodam impetu nasci ἕξεις, & virtutes heroicas existere, vt in Moyse, in Scipione, in Fabricio non solùm exercitio, sed è diuino quodam naturæ instinctu ortas. Consentaneum enim naturam nobilium ignobilium præstantiorē. Vnde Ephori obseruabant ne Rex Lacedæm. alio quàm Heraclidarum genere procrearetur. Quæ etsi consuetudine exercitij comparantur, necesse est tamen in natura instrumenta esse actionū. Et quanquam videamus ijsdem institutis alios alijs excellentiores. Attamē omnē naturā & ἕξιν exercitatione crescere constat: Nam cum distinctio ordinum diuinitus facta sit, & Deus heroicum genus cæteris præfecerit hominibus, addidit etiam, quod Plato verè dixit, motus animorum acriores melioresq;, veluti in Cyro statim in pueritia eluxit imperandi virtus, cùm inter collusores rex delectus mira arte munia distribuit, vt regiam indolem agnoscere liceret. Porrò institutionem non iure naturæ solùm, sed diuinitus concedi Chrysostomo placere video Prophetarum oraculis subscribenti, quæ testantur Respublicas benedictione Dei florere. Quare votis omnibus à Deo contendendum vt gubernaculis destinati idonea ad imperandum natura excellant, & doctrina pijsq; institutis sic excolantur, vt suum munus intelligere ac pro dignitate tueri discant. Dandaq; opera ne eam vim naturæ diuinitus cōcessam vel ignauia vel consuetudine peruersa extingui patiamur. Quòd si natura contingat corrupta & improba, cogitandum diuina id nobis contingere vindicta iuxta illud Propter peccata populi regnare faciam homines hypocritas. Interim tamen non despondendus animus, sed nihilò segnius parentes suo officio perfungi debent, ac primū piam institutionis operam procurare. Deinde confugiendum

Plat. in Alcibiade.

Heroicum genus.

Diuinitùs concedi bonas principū naturas.

Iob. 34.

giendum cõmuniter omnibus ad pœnitentiam, interpellandaq́, diuina misericordia, quæ cor regis in manu sua habet, vt dignetur naturam, si peruersa sit, emendare & ad salutem populi dirigere. Adde qui bonos flagitant principes, ipsi prius bonos se studeant præbere ciues ac subditos imperatis audientes. Atque ipse princeps vicissim si populum obsequentem postulet, pium quoque principem præstet, ita fiet, vt vterque alterius votis respondeat. Esse autem totum in diuina potestate, vt natura principis contingat bona superius declaratum, & exemplis patet, non solùm in nostris Christianis, in quibus indubitato id verum credimus, sed etiam in ethnicis, & his qui foris sunt, perspicuum est.

De discrimine instituendi Principis ac priuati. Caput VIII.

CVM, iuxta prouerbium, aliam vitam alia diæta deceat, & non quoduis sandalium cuiuis pedi conueniat, vocationibus diuersis diuersæ sunt institutiones & leges præscribendæ. Neque enim nauclero de soli natura, de sementis & messis temperio, de pastinatione agri, deq́ue vitibus colendis, aut pecorum fœtu rationes atque leges sunt tradendæ, Sed de cæli facie, de ventorum ac tempestatuum præsagijs, de portuum ac maris natura, de clauo aptè gubernando, deq́, scopulis, periculis quoque loco vitandis, de mercibus denique imponendis seruandisq́. Itaque principis vocatio, cùm sit omnium maxima & periculosissima, sua quadam atque certa est institutione formanda muniendaque. In primis autem in timore Dei, pietate tàm in Deum quàm in Remp. de populo gubernando, de legibus iudicijs, militia, de belli pacisq́ue artibus, de clementia, de amore in suos, de cura & solicitudine publica, de ditionum suarum natura, moribusq́ue instituendus princeps. In priuatis licet φυσιογνωμονεῖν & vitæ institutum commonstrare, ad quod natura propensiores feruntur, alij militiæ, alij negociationi, alij agriculturæ, nonnulli Philosophiæ dediti sunt & disciplinis: atque hic rursum in diuersum feruntur ingenia, alij enim sacris literis, alij medicinæ, alij Musicæ sunt magis addicti, nonnulli ma- Priuatorum institutio ad naturæ ductum.

 li ma-

li mathematicis dediti, alij architecturæ, quidam ad pingendi artem natura appositi. Sunt qui eloquentiam naturalem habeant foro atque Reipublicæ seruientes, naturam scilicet ducem sequentes. Ita sui cuique fortunam mores, vt dicitur, fingunt. Atque sic natos priuatos, non arbitror compellendos, vt ad illum institutum vitæ se conferant inuita Minerua, ne bouem, vt dicitur, ad ceroma ducere videamur. Solet enim rarò feliciter cedere, si renitente natura ad rationem aliquam vitæ cogamur amplectendam. Proditum est Athenis legem fuisse, vt pueri, vbi ad pubertatem peruenissent, in publicum producerentur, propositisque singularum artium instrumentis, & quibus quisque delectaretur, ad horum artem tanquam naturæ accommodam admoueri solitos. Princeps qualis qualis nascitur, ad imperatorias ac Reipublicæ gubernandæ artes velit nolit animum flectere cogitur, & etiamsi fortè naturali indole ad priuatum aliquod vitæ genus accommodatior sit, sæpe tamen renitente natura ad militiam publicaque negocia administranda trahendus est. Isocrates ait, cùm alia permulta esse, quæ priuatos reddant emendatiores, et quibus priuatorũ à principum liberis institutione differant, tùm in primis quòd non affluant delicijs, & legibus cohibeantur. Quodque ab amicis & magistratibus liberius admoneantur corriganturq́. At principibus horũ nihil suppetit, nam & voluptatibus impunè diffluunt & admonitoribus carent, quum omnes ad gratiam loquantur. Atque eadem ferè apud Xenophontem Hieron. disputat. Priuato satis est vt sibi suæq́ vitæ instituto, ad quod natura fertur, sapiat. Principem multis sapere oportet: Qui priuatos instituunt, ijs tantùm prosunt quos instituunt, qui autem principes erudiunt, tàm subditis quàm ijs qui præsunt, & illis quidem vt tranquillius degant, his verò, vt tutius gubernent. Priuato satis est, si in puluere cœtuque scholastico disciplina vulgari ad suum vitæ genus erudiatur, quem vel inopia reddit docilem, quandoquidem, vt dicitur prouerbio, PAVPERTAS sapientiam nacta. At principem oportet in omni sapientiæ genere excellere, & tamen paucis philosophandum ei. Ille laxioribus, hic arctißimis stringitur habenis. Illi licet vltrò citroque per forum, per turbas discurrere, hic cum paucis sodalibus

Sui cuique fortunã mores fingere.

Atheni. Lex. Nazian. epist. ad Eudoxũ.

Principis vocatio qualicunque natura.

Paupertas sapiẽtiam nacta.

sodalibus sub multorum conspectu continetur. Ille suis relictis affectibus metu cohibetur, & experientia fit cautior & periculis, hic sub custodia certoque ductu regitur. Ille à quouis reprehenditur, cæditur, & periculi experientia fustisq; formidine à peccando sæpe deterretur, hic inter lasciuias, illecebras, fortunæ splendorem, licentias, inter priuatos parietes nil nisi meras dementias audit & adulationes, solaque admonitione quæ rarò libera est, vel Dei metu, vel naturali virtutis amore cohibetur. Huic ingenia cognoscenda, delectus in ministris, in consiliarijs, in officialibus habendus, & plurimis alijs, quæ priuato non ita necessaria. Proinde vndecunque conquisitis, & in hunc vsum idoneis præceptis instituendus, aduersus deliciarum blanditias & fortunæ indulgentiam, aduersus licentiam, potentiæ abusum, aduersus ferociam certis antidotis accuratissimè præmuniendus. In primis aduersus assentatorum venena, quæ omnia priuato nō ita necessaria sunt. Quare huic compendio præcepta tradenda, & non nisi exquisita, ac suæ vocationi congrua, maximè circa Religionem & iustitiam, quæ duo in primis Reip. administrandæ sunt necessaria.

Duo in primis necessaria principi.

De prima ad discendam inuitatione ac tyrocinio faciendo in religione, moribus atq; literis auspicandis. Caput IX.

OEconomia educandi formandiq; puelli principis bene instituta omniq; vitiorum consortio excluso, indole perspecta, mox rectoribus vigilanti cura instituendi opera grauiter exordienda est, ne lucrū illud primæ ætatis vsquam negligatur, & iam indè à teneris iuxta Vergilij oraculum impendendus labor, tractanda dum vda est argilla, & rudis testa liquoribus optimis imbuenda. Siquidem iuxta Antisthenis sententiam, libro nouo, stylo nouo, tabella noua, opus est. Ea igitur conuenit haudquaquam negligere, sed concordi ductu statim virtutes principe dignas instillare, idque pro ingenij ætatisque ratione, alia tardioribus,

Antisthenis sententia.

alia-

Teneriori-bus tenera congruunt. *alia promptioribus conueniunt. Perinde atque in corporibus alendis alia tenerioribus, alia firmioribus commoda sunt. Infans solidi & robustioris cibi vim capere non poteſt, propter stomachi teneritudinem, sed lactis liquore, & pultibus ac præmanso alitur, donec firmatis viribus solidioribus vti queat. Sic virtutum rudimenta prius crassius, & quasi per lusum tradenda inculcandaq́ſæpius, deinde paulatim cùm ætate succrescente solidior doctrina exhibenda.* Milonis exercitium. *Quemadmodum de Athletha traditur, qui vitulum prius ad stadia aliquot portare assuenit, poſt taurum factum, eundem gestauit citra negocium,* Omnis ætas institutioni apta. *Nulla ætas eſt, quæ non sit idonea institutioni. Sed habet institutio suam infantiam, habet adolescentiã, habet maturam ætatem. Pullus generosus non statim asperioribus coërcetur, lupatis ad vehendum armatum sessorem, sed rudibus primum frenis, laxisque habenis, ac manu leniter tractante, donec paulatim vltro se præbeat, frenis ductibusque obsequentem. Ita infantem frustra librorum grauiorum lectione, aut arduis rebus occupaueris, quarum nondum eſt capax, interim tamen tenera ætas & moribus formandis & literis idonea eſt.* Infantiũ imitandi studiũ. *Habet enim infantia singularem imitandi libidinem, vt quicquid viderint audierintque pueri imitari gestiant. Nã dum fari nondum poteſt, si quid indecorè facit admoneri discit, & monitus se componit ad commonstratum modum, discit dare manum, & similia morum & pietatis elementa, quæ tamen in grandiorem ætatem profectum afferunt, vt superius dictum copiosius. Adolescens quidam reprehensus à Platone, quod aleam luderet, questusq́ quod ob id tantillum malũ obiurgaretur. Tum Plato, vt leue malum sit, inquit. graue tamen malum assueuisse. Si malum malis assuescere, bonũ igitur & bonis assuescere.* Pueri fari incipiens institutioni idoneus. *Plurimũ enim refert à teneris assuescere. Proinde mox etiam antequam fari incipiat Religionis quædam rudimenta inchoanda, quæ paulatim dum fari incipit, & intelligere exactius fouenda.* Omnis institutio à religione ordienda. *Nam omnis bonæ rei initia à timore Dei, tanquam Religionis fundamento sumenda sunt. Sic enim Deus iussit. Erudimini qui iudicatis terram, Seruite Domino in timore, Psal. 2. Et aliàs: Narrate filijs vestris, vt illi deinceps narrent filijs suis in generatione nouissima, Psal. 78. Quod iam ante per Moysen præcepit, vt prin-*

cipes

cipes legant libros sacros, & eis obtemperent, sintq́ nutricij synceræ Religionis, quodq́ue Dauid moriturus mandauit Salomoni filio magna sollicitudine, vt legis diligentem & fidelem custodiam haberet. Et quanquã prouectiori hæc exactius tradenda, statim tamen hic quoque semina quædam iacienda in nouali futuri gubernatoris. Ac primùm quidem vehementer probo illorum morem, qui pueris statim vt balbutire cœperint, symbolum fidei & orationem dominicam, atque Decalogi præcepta verbotenus inculcant, eáque per lusum illecebrisq́ue illectos doceant, antequam sciant quid sit discere. Quare hic quoque eam consuetudinem eundemq́ue ordinem obseruabimus, ac prius quidem huic teneræ ætati religionis & literarum progymnasmata, pòst de iustitia morumq́ue disciplina paulò explicatius tradenus. Ac verò vbi Symbolum fidei, Orationem dominicam, & Decalogum, vt diximus, imbiberit puer, quæ iam indè à crepundijs, veluti semina iacenda sunt, paulatim alia subseruientia per oportunitatem & veluti per lusum adijcienda erunt, idq́ue primùm crassiori, & pòst vbi paulò prouectior exactiori Catechesi, veluti Deum esse mentem Diuinam, æternam, bonam, iustam, omnipotentem, veracem. Patrem æternum, qui Filium ad imaginem suam ab æterno genuit coæternum. Spiritum sanctum procedentem à Patre & Filio. Hunc vnum esse Deum essentia, personis tribus distinctum, qui condidit & conseruat cœlum, terram, & omnes creaturas, vbique præsens, omnia videns & audiens, malefacta puniens, benefacta præmijs compensans. Item quod Pater per Filium humanam carnem assumentem homines primi parentis lapsu æternæ morti mancipatos redemit, & per eundem Filium suum IESVM *credentibus confert vitam æternam. Per Spiritum sanctum habitat in cordibus piorum, & confert bonos motus, consolatur, confortat. Hunc vnum verum Deum, tribus personis distinctum, Dominum esse dominantium, qui totum mundum, omnia regna omnium gentium, omnesq́ue principes gubernat, & vel prouehit vel deijcit pro sua omnipotentia & voluntate diuina. Hunc esse sapientiam & fortitudinem, qui mutat tempora, & quæ fiunt in tempore, dat sapientiam sapientibus, à quo omnes principes potestatem accipiunt, & cui de concredita potestate*

Religionis progymnasmata & elementa.

Catechesis crassior.

Deus quid?

rationem reddere oportet, quantumuis magnos monarchas. Hunc timendum qui falli non potest, quique malefacta aut vocationem malè administratam impunitam non sinat. Huic Domino dominantium in baptismo nomen dedimus, Diabolo aduersario iuratissimo eiusque nequitijs renunciantes. Quotquot enim baptizati sumus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, salui sumus per fidem in Christum, mediatorem atque redemptorem. Vbi autem lapsi fuerimus, & mandata Dei transgressi, per pœnitentiam & auctoritatem clauium peccata nobis remittuntur. Atque vt certi simus, si modo serio pœniteat, nobis peccata remitti per mortem Christi redemptoris, arrabonem nobis reliquit ille Corporis sui & Sanguinis in sacramento Cœnæ dominicæ. Infigenda hæc explicandaque paulatim & decem præcepta decalogi, Symbolum fidei, atque Oratio dominica, eaque quotidie, manè & vesperi, recitanda, & præterea memorabile aliquid ituro cubitum memoriæ mandandum, quod mane repetatur. Nomen IESV *pueri animo sic inseratur, vt quoties vel audiat vel nominet* IESV M., *reuerentiam exhibeat. Post vbi paulatim adoleuerit, paulatim suggerendum, vt meminerit primùm se esse hominem, cui Deus dederit intellectum & rationem, quibus à brutis distingueretur, néue sicut bruta patiatur se affectibus carnis duci, sed ratione concupiscentias cohibeat, qua freti etiam ethnici voluptates frenarunt, Exemplo sunt Scipio, Cato, Curtius, Fabricius, Agesilaus, Phocion, Socrates. Hoc magis conuenit Christianos affectus cohibere, qui sunt templum Dei. Adhæc se non solùm hominem esse, sicut ethnici veram salutem ignorantes, quique solo rationis ductu vixerunt, sed Christianum, qui in Christi verba iurauit, vt diximus, in baptismo veste candida innocentiæ autoramento insignitus, quam vestem non sine summa perfidia quis contaminauerit. Atque hæc duo principem cum quouis homine Christiano habere communia, æquè his atque infimæ sortis hominem astrictum se esse. Ad hunc modum monuit Placilla & Macedonius Eremita Theodosium Imperatorem. Cæterùm præter hæc cogitandum tertiùm, quod nimirum ipse præter alios homines principatui sit destinatus, cuius curæ Dominus ille dominan-*

Baptismus.

Cœna dominica.

Decalogus. Symbolum. Oratio dominica.

Principi cogitanda.

Baptismi vestis candida.

Tripart. hist. 572.

Principis vocatio.

minantium, tanquam vicario & ministro tot animas concrediderit. Iam longè aliud esse principem Christianum quàm ethnicum, atque ideò non oportere sicut ethnicos & tyrannos, fastu, pompa, tyrannide niti, ac voluptatibus indulgere, quibus in baptismo renunciauimus omnes Christiani, sed potius sanctimonia, pietate, Reip. ac populi commissi cura antecellere alios. Nam cùm ipse constitutus sit à Deo custos humanæ societatis ac νομοφύλαξ mandatorum Dei, ab alijs legem exacturus, hoc magis à seipso exiget mandatorum Dei obedientiam. Cogitet non sibi & è suis affectibus sed ex lege Dei administrationem instituendam, petendamque quotidie à Deo sedium eius assistricem sapientiam exemplo Salomonis. Is enim cùm illi daretur optio à Deo, vt quid vellet peteret, postulauit solam sapientiam. DOMINE, inquiens, tu fecisti me Regem super populum tuum multum, DA MIHI SAPIENTIAM, vt ingrediar & egrediar coram populo tuo. Et respondit DOMINVS: Quoniam magis placuit cordi tuo sapientia, vt iudicare possis populum, super quem constitui te Regem potius, quàm diuitiæ & gloria, & animæ eorum qui te oderant, Sapientia & scientia data sunt tibi. Diuitias & gloriam dabo tibi, ita vt nullus tibi similis futurus. Id quod præstitit illi Dominus, vt omnes & sapientia & potentia atque diuitijs superarit. Hanc precationem Salomonis imitari oportet puerum principatui destinatum. Deus per Moysen bonum principem depinxit, Cùm fuerit, inquiens, constitutus Rex, non multiplicabit sibi equos, quasi equitatus præsidio fretus, sed describet sibi Deuteronomium legis, &c. Proinde assuescat quotidie Deuteronomium legis, hoc est, Christianam regulam Euangelistarum & Apostolorum literis proditam lectitare, vt diximus, eumq; librum quotidie manibus terere, pectoreque recondere, his libris honorem habere discat, eosque ceu omnium reliquiarum sacratissimum κειμήλιον exosculetur. Quod in hoc libro Deus velut ex oraculo loquatur mortalibus. In hoc meminerit esse viam, veritatem & vitam. In hoc legem Dei tradi, ad quam omnis vita, omnisque gubernatio veluti ad amussim exigenda. Hanc non mentiri nec adulari. Non audeat de his literis per iocum & contentionem

Petēda principi à Deo sapientia quotidiè.
3. Reg. 3.
2. Paralip. 1.

Salomonis exemplum principi imitandum.

Euangelium legendum principi.

Scripturæ sacræ reuerentia.

sed cum summa reuerentia loqui. Discat has literas, maximè ad se pertinere, atque sibi arctissimè amplectendas esse, se nutricium esse Ecclesiæ Dei, eamque pro virili tueri, & verbi Dei doctrinam prouehere debere.

Religionis Christianæ libri. *Religionis nostræ leges contineri libris Propheticis & Apostolicis, veteri & nouo Testamento. Harum custodes constitutos principes & magistratus à Deo.*

Custos legis princeps. *At quomodo custodiat si non intelligat? Quare scriptura ad harum legum cognitionem hortatur, inquiens:*

Psal. 2. *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite ei in timore, &c. Discat non efferri fortunæ insolentia, sed Deo gratias agere, neque in aduersis desperare, sed ad Christum, tanquam sacratissimam anchoram, confugere.*

Salus in solo Christo. Fides. Charitas. *Discat è solo Christo pro nobis oblato, salutem expectandam, & per fidem in Christum charitatem exercere in proximum. Admoneatur inter omnes Christianos esse arctissimam societatem, qualis inter eiusdem corporis membra assuescat omnem Christianum fraterna charitate diligere tanquam proximum, sciatq́ Christum vnicè in membris suis lædi & refocillari. Eamque Christianorum regulam semper memoria complectatur:*

Christianorũ regula vniuersi iuris epitome. QVOD TIBI NON VIS FIERI, ALTERI NE FECERIS. *Quod autem ipse alijs potentia & auctoritate præpositus sit, hoc ipsum debere magis reddere sollicitum, tantùm abest, vt pauperes & miseros fastidiat, quin horum potissimam curam ad principem pertinere existimet. Sic enim ait Propheta:*

Psal. 40. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Et alibi:*

Psal. 82. *Deus astat in congregatione iudicis, in medio deorum iudicabit. Quousque iudicabitis iniquitatem, & facies impiorum suscipietis? Iudicate pauperem & orphanum, & inopem de manu impiorum liberate. Ego dixi Dij estis, id est, constitui, inquit Dominus, vos gubernatores in terris. Proinde discant Principes,*

Psal. 72. SVPPLICES CLEMENTER AVDIRE, *neminem reijcere, iudicabit pauperes populi, saluos faciet filios inopis, & conteret calumniatorem.*

Pastores populi principes. *Propterea etiam pastores appellantur principes:*

Ezech. 34. *Væ pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos, lac comedebatis & lanis induebamini, & quod crassum occidebatis, gregem autem meum non pascebatis, quod infirmum non consolidastis, quod ægrotum non sanastis, erran-*

Principibus quanta cura imposita.

tem

tem non reduxistis, quod perierat non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis eis. Quare audite pastores, Viuo ego, dicit Dominus, requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam, vt vltra non pascant gregem meum. Tria animalia Salomon comparat principi, Leonem, qui non exerit vngues nisi pugnaturus, Sic enim principem conuenit terrori esse malis, & bonis defensioni. Parcere subiectis & debellare superbos. Canes, qui insectantur externos, non domesticos, sed pro his excubias agunt. Arietem, qui præit gregi, Sic enim bonus princeps bonis legibus debet regere & exemplo præire. Esaias Cyrum vocat pastorem Dei, qui populum Israeliticum duceret tanquam pastor oues, & reduceret in Hierusalem. Homerus cùm alios tùm Agamemnona vocat ποιμένα λαῶν. *Et bonus pastor animam suam ponit pro ouibus, Matth. 10. Idque testati sunt Philon, Curtius, Thrasibulus, Codrus, qui vitam non dubitarunt pro Rep. impendere. Traianus suam salutem inuisam sibi dixit, nisi esset cum salute Reip. conuincta, atque ita demum seruari à Dijs optabat, si Remp. ex vtilitate omnium regeret. Item principem bonum nihil à patre tutore differre. Cyrus apud Xenophontem testatur Rempublicam tanquam paternam domum administrandam, & subditos non secus ac liberos ac propinquos paterno affectu gubernandos. Cum ciuibus, inquit Traianus, quasi cum liberis agendum. Cicero ad Fratrem scribens, tradit magistratum & esse & haberi debere vt parentum Reip. Plin. Secundus ad Traianum, Ingenti, inquit, conscientia Cæsar pacisceris cum Dijs, vt te si merearis seruent, cum scias an merearis, neminem magis scire quàm Deos. Iam si Remp. ex vtilitate rexeris, certus es te benè Remp. gerere, cùm te seruent. Traianus dicere solebat, sic se Remp. gesturum, vt sciret rem populi esse, non suam priuatam. Idem cùm præfectum prætorio, quē creabat cincturus esset ense, quem nudum porrigebat. Cape, inquit, hunc, siquidem iustè imperauero pro me, sin minus, contra me vtere. Hoc affectu decet principem esse erga subditos, & cùm proditum hoc sit de ethnicis, quo maior charitatis affectus in Christiano principe requiritur. Moses de libro vitæ deleri maluit, quàm populum sibi commissum perire. Atque ideo patres patriæ dicti principes, qui pio populum affectu rexerunt.*

Tria animalia principi comparata. Leo. Canis. Aries. Esaias 54. Vitā pro Repub. impendentes. Traianus. Patres populi principes. Cyrus. Traianus. Moses. Exod. 33. Patres patriæ.

Proinde cum primis & modis omnibus princeps ad amorem suorum subditorum est inflammandus. Discat si quem videat pauperem & afflictum, maximè è suis subditis, vt ad commiserationem moueatur, vt vel quærat ipse si sic res ferat, aut mittat, qui rogitet ecquid acciderit, vt iubeat eum crucem suam patienter ferre: se illi si qua poßit affuturum, largiatur etiam aliquid si indigeat, aut alia opera adsit afflicto, Ea compellatio atque benignitas & afflictos plurimùm eriget atque confortabit, & principi fauorem inter subditos conciliabit, ac denique quod præcipuum est Domino gratum officium præstabitur, qui hoc ipsum requirit, Venite, inquiens, benedicti, esuriui & pauistis me, ægrotaui & visitastis, &c. Et aliàs: Qui obturat aurem erga pauperem clamantem, clamabit & ipse, & non exaudiam. Pauperibus discat benefacere, largiri subinde, non quo spectetur sed clàm subministret egentibus. Et in propatulo quoque neminem dimittat vacuum ac tristem, admonitus à sapientißimo principe Salomone. Qui miseretur pauperis fœneratur Deo. Pauperibus prodesse præstat quàm templa ædificare, inquit Chrysostomus. Proponenda exempla & commonefactiones ex historijs piorum principum Danielis, Salomonis, Iosaphat, Asæ, Ezechiæ atq; Iosiæ, & quod Dominus illorum imperia fortunauerit, qui pij in subditos fuerunt. Atque ex aduerso impiorum Achab, Ioiakim, atque ethnicorum Neronis, Commodi, Heliogabuli, infelices & horribiles exitus propter tyrannidem in suos. Precetur Deum quotidie, vt cùm ad gubernacula peruenerit, iustitiam, politiamque sic constituere poßit, ne miserabiles grauentur, vt tanquã pater suis præsit, vt innoxios defendat, flagitiosos coërceat, vt pacem concordiamq; sarciat, sartã tectamq; conseruet, vt Deus consiliarios, præfectos, cooperarios & ministros pios cõcedat. Sint oculi eius inter fideles terræ, & qui ambulant in innocẽtia, vt hi ministrent ei. Corda peruersa, pleonectica & adulatricia reijciat, ac deniq; officio suo in gubernatione ritè perfungatur. Adulatores fugiat. Assuescat nomen Dei non temerè vsurpare, quin potius blasphemias, imprecationes, iuramenta temeraria, seueriter punire. Concionibus & sacris discat cum reuerentia & attentione adesse, neque patiatur animum externis auocari,

Pauperũ ratio habenda principi.

Matth. 25.

Prouerb. 19.

Exempla bonorũ & malorum principum.

Precanda principi.

Psal. 101.

Conciones sacræ.

cari, sed quæ dicuntur & leguntur memoria complectatur. Concionator sit eruditus in verbo, doctrina & exhortatione potens, appositus ad docendum, qui cum iudicio solidam doctrinam & non aniles fabulas & ad gratiam promerendam doceat, & talis, quo vti poterit consolatore & consiliario quoties conscientia grauata fuerit, aut in religionis controuersijs hæsitetur. Quare grauem requiro & peritum, non futilem, vanum aut adulatorem ac spermologum quales ferè in aulis regnare solent. In sacris & vesperi cubitum iturus quotidiè se excutiat, num officio suo perfunctus sit, tàm aduersus Deum quàm proximum. Quoties letale aliquid admisisse & dominum ostendisse se sentit, Deo confiteatur, precetur veniam proponatque emendationem. Si proximum offendit, ei reconcilietur. Ad Synaxin tanquam sacratissimum animæ pabulum, non tàm ex consuetudine quàm desiderio subinde accedat, non tamen nisi prius Deo & proximo reconciliatus, & à ministro Ecclesiæ clauium auctoritate absolutus à commissis. Aut si non concedatur cœnam participare ipsi, precetur Dominum ne sinat suum corpus suum pro nobis frustra immolatum, neque suum sanguinem frustra pro nobis fusum, sed vt suo corpore animum nostrum pascat, suo sanguine spiritum viuificet, vt non deficiamus ab illo fœdere, quod ille cum discipulis suis in nouissima cœna instituit.

Cōcionator qualis requirendus.

Cōfeßio delictorum.

Synaxis.

Hæc & similia veluti semina iacienda veræ religionis ac pietatis, quàm Græci εὐσέβειαν vocant, vt videlicet paulatim augescente ætate in præcipuis religionis capitibus, de fide, de timore Dei, de iustificatione, de pœnitentia, de Sacramentorum ac ceremoniarum legitimo vsu, deque vero Dei cultu, recta fundamenta iaciantur. Atque mox de pietate atque officio erga parentes, erga patriam, propinquos & consiliarios, erga ministros Ecclesiæ ac seniores, institutores pueritiæ, vt hos omnes tanquam cooperarios atque συνεργοὺς reuerenter colat.

Capita religionis præcipua.

De lite-

li mathematicis dediti, alij architecturæ, quidam ad pingendi artem natura appositi. Sunt qui eloquentiam naturalem habeant foro atque Reipublicæ seruientes, naturam scilicet ducem sequentes. Ita sui cuique fortunam mores, vt dicitur, fingunt. Atque sic natos priuatos, non arbitror compellendos, vt ad illum institutum vitæ se conferant inuita Minerua, ne bouem, vt dicitur, ad ceroma ducere videamur. Solet enim rarò feliciter cedere, si renitente natura ad rationem aliquam vitæ cogamur amplectendam. Proditum est Athenis legem fuisse, vt pueri, vbi ad pubertatem peruenissent, in publicum producerentur, propositisque singularum artium instrumentis, & quibus quisque delectaretur, ad horum artem tanquam naturæ accommodam admoueri solitos. Princeps qualis qualis nascitur, ad imperatorias ac Reipublicæ gubernandæ artes velit nolit animum flectere cogitur, & etiamsi fortè naturali indole ad priuatum aliquod vitæ genus accommodatior sit, sæpe tamen renitente natura ad militiam publicaque negocia administranda trahendus est. Isocrates ait, cùm alia permulta esse, quæ priuatos reddant emendatiores, et quibus priuatorũ à principum liberis institutione differant, tùm in primis quòd non affluant delicijs, & legibus cohibeantur. Quodque ab amicis & magistratibus liberius admoneantur corriganturq́. At principibus horũ nihil suppetit, nam & voluptatibus impunè diffluunt & admonitoribus carent, quum omnes ad gratiam loquantur. Atque eadem ferè apud Xenophontem Hieron. disputat. Priuato satis est vt sibi suæq́ vitæ instituto, ad quod natura fertur, sapiat. Principem multis sapere oportet: Qui priuatos instituunt, ijs tantum prosunt quos instituunt, qui autem principes erudiunt, tàm subditis quàm ijs qui præsunt, & illis quidem vt tranquillius degant, his verò, vt tutius gubernent. Priuato satis est, si in puluere cœtuque scholastico disciplina vulgari ad suum vitæ genus erudiatur, quem vel inopia reddit docilem, quandoquidem, vt dicitur prouerbio, PAVPERTAS sapientiam nacta. At principem oportet in omni sapientiæ genere excellere, & tamen paucis philosophandum ei. Ille laxioribus, bic arctissimis stringitur habenis. Illi licet vltrò citroque per forum, per turbas discurrere, hic cum paucis

Sui cuiq; fortunã mores fingere.

Atheni. Lex. Nazian. epist. ad Eudoxũ.

Principis vocatio qualicunq; natura.

Paupertas sapiẽtiam nacta.

sodalibus sub multorum conspectu continetur. Ille suis relictis affectibus metu cohibetur, & experientia fit cautior & periculis, hic sub custodia certoque ductu regitur. Ille à quouis reprehenditur, caeditur, & periculi experientia fustisq; formidine à peccando saepe deterretur, hic inter lasciuias, illecebras, fortunae splendorem, licentias, inter priuatos parietes nil nisi meras dementias audit & adulationes, solaque admonitione quae rarò libera est, vel Dei metu, vel naturali virtutis amore cohibetur. Huic ingenia cognoscenda, delectus in ministris, in consiliarijs, in officialibus habendus, & plurimis alijs, quae priuato non ita necessaria. Proinde vndecunque conquisitis, & in hunc vsum idoneis praeceptis instituendus, aduersus delitiarum blanditias & fortunae indulgentiam, aduersus licentiam, potentiae abusum, aduersus ferociam certis antidotis accuratissimè praemuniendus. Inprimis aduersus assentatorum venena, quae omnia priuato nō ita necessaria sunt. Quare huic compendio praecepta tradenda, & non nisi exquisita, ac suae vocationi congrua, maximè circa Religionem & iustitiam, quae duo in primis Reip. administrandae sunt necessaria. Duo in primis necessaria principi.

De prima ad discendam inuitatione ac tyrocinio faciendo in religione, moribus atq; literis auspicandis. Caput IX.

OEconomia educandi formandiq; puelli principis bene instituta omniq; vitiorum consortio excluso, indole perspecta, mox rectoribus vigilanti cura instituendi opera grauiter exordienda est, ne lucrū illud primae aetatis vsquam negligatur, & iam indè à teneris iuxta Vergilij oraculum impendendus labor, tractanda dum vda est argilla, & rudis testa liquoribus optimis imbuenda. Siquidem iuxta Antisthenis sententiam, libro nouo, stylo nouo, tabella noua, opus est. Ea igitur conuenit haudquaquam negligere, sed concordi ductu statim virtutes principe dignas instillare, idque pro ingenij aetatisque ratione, alia tardioribus, Antisthenis sententia.

alia

Teneriori-bus tenera congruunt. *alia promptioribus conueniunt. Perinde atque in corporibus alendis alia tenerioribus, alia firmioribus commoda sunt. Infans solidi & robustioris cibi vim capere non potest, propter stomachi teneritudinem, sed lactis liquore, & pultibus ac præmanso alitur, donec firmatis viribus solidioribus vti queat. Sic virtutum rudimenta prius crassius, & quasi per lusum tradenda inculcandaq́; sæpius, deinde paulatim cùm ætate succrescente solidior doctrina exhibenda.* Milonis exercitium. *Quemadmodum de Athletha traditur, qui vitulum prius ad stadia aliquot portare assueuit, post taurum factum, eundem gestauit citra negocium,* Omnis ætas institutioni apta. *Nulla ætas est, quæ non sit idonea institutioni. Sed habet institutio suam infantiam, habet adolescentiā, habet maturam ætatem. Pullus generosus non statim asperioribus coërcetur, lupatis ad vehendum armatum sessorem, sed rudibus primum frenis, laxisque habenis, ac manu leniter tractante, donec paulatim vltro se præbeat, frenis ductibusque obsequentem. Ita infantem frustra librorum grauiorum lectione, aut arduis rebus occupaueris, quarum nondum est capax, interim tamen tenera ætas & moribus formandis & literis idonea est.* Infantiū imitandi studiū. *Habet enim infantia singularem imitandi libidinem, vt quicquid viderint, audierintque pueri imitari gestiant. Nā dum fari nondum potest, si quid indecore facit admoneri discit, & monitus se componit ad commonstratum modum, discit dare manum, & similia morum & pietatis elementa, quæ tamen in grandiorem ætatem profectum afferunt, vt superius dictum copiosius. Adolescens quidam reprehensus à Platone, quod aleam luderet, quæstusq́; quod ob id tantillum malū obiurgaretur. Tum Plato, vt leue malum sit, inquit. graue tamen malum assueuisse. Si malum malis assuescere, bonū igitur & bonis assuescere.* Pueri fari incipiens institutioni idoneus. *Plurimū enim refert à teneris assuescere. Proinde mox etiam antequam fari incipiat Religionis quædam rudimenta incboanda, quæ paulatim dum fari incipit, & intelligere exactius fouenda.* Omnis institutio à religione ordienda. *Nam omnis bonæ rei initia à timore Dei, tanquam Religionis fundamento sumenda sunt. Sic enim Deus iussit. Erudimini qui iudicatis terram, Seruite Domino in timore, Psal. 2. Et aliàs: Narrate filijs vestris, vt illi deinceps narrent filijs suis in generatione nouissima, Psal. 78. Quod iam ante per Moysen præcepit, vt prin-*

cipes legant libros sacros,& eis obtemperent, sintq́, nutricij syncerae Religionis, quodq́ue David moriturus mandavit Salomoni filio magna solicitudine, ut legis diligentem & fidelem custodiam haberet. Et quanquã provectiori haec exactius tradenda, statim tamen hic quoque semina quaedam iacienda in novali futuri gubernatoris. Ac primùm quidem vehementer probo illorum morem, qui pueris statim ut balbutire cœperint, symbolum fidei & orationem dominicam, atque Decalogi praecepta verbotenus inculcant, eáque per lusum illecebrisq́ue illectos doceant, antequam sciant quid sit discere. Quare hic quoque eam consuetudinem eundemq́ue ordinem observabimus, ac prius quidem huic tenerae aetati religionis & literarum progymnasmata, pòst de iustitia morumq́ue disciplina paulò explicatius trademus. Ac verò ubi Symbolum fidei, Orationem dominicam, & Decalogum, ut diximus, imbiberit puer, quae iam indè à crepundijs, veluti semina iacenda sunt, paulatim alia subservientia per oportunitatem & veluti per lusum adijcienda erunt, idq́ue primùm crassiori, & pòst ubi paulò provectior exactiori Catechesi, veluti Deum esse mentem Divinam, aeternam, bonam, iustam, omnipotentem, veracem. Patrem aeternum, qui Filium ad imaginem suam ab aeterno genuit coaeternum. Spiritum sanctum procedentem à Patre & Filio. Hunc unum esse Deum essentia, personis tribus distinctum, qui condidit & conservat cœlum, terram, & omnes creaturas, ubique praesens, omnia videns & audiens, malefacta puniens, benefacta praemijs compensans. Item quod Pater per Filium humanam carnem assumentem homines primi parentis lapsu aeternae morti mancipatos redemit, & per eundem Filium suum IESVM *credentibus confert vitam aeternam. Per Spiritum sanctum habitat in cordibus piorum, & confert bonos motus, consolatur, confortat. Hunc unum verum Deum, tribus personis distinctum, Dominum esse dominantium, qui totum mundum, omnia regna omnium gentium, omnesq́ue principes gubernat, & vel provehit vel deijcit pro sua omnipotentia & voluntate divina. Hunc esse sapientiam & fortitudinem, qui mutat tempora, & quae fiunt in tempore, dat sapientiam sapientibus, à quo omnes principes potestatem accipiunt, & cui de concredita potestate*

Religionis progymnasmata & elementa.

Catechesis crassior.

Deus quid?

rationem reddere oportet, quantumuis magnos monarchas. Hunc timendum qui falli non potest, quique malefacta aut vocationem malè administratam impunitam non finat. Huic Domino dominantium in baptismo nomen dedimus, Diabolo aduersario iuratissimo eiusque nequitijs renunciantes. Quotquot enim baptizati sumus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, salui simus per fidem in Christum, mediatorem atque redemptorem. Vbi autem lapsi fuerimus, & mandata Dei transgressi, per pœnitentiam & auctoritatem clauium peccata nobis remittuntur. Atque vt certi simus, si modo seriò pœniteat, nobis peccata remitti per mortem Christi redemptoris, arrabonem nobis reliquit ille Corporis sui & Sanguinis in sacramento Cœnæ dominicæ. Infigenda hæc explicandaque paulatim & decem præcepta decalogi, Symbolum fidei, atque Oratio dominica, eaque quotidie, manè & vesperi, recitanda, & prætereà memorabile aliquid ituro cubitum memoriæ mandandum, quod mane repetatur. Nomen IESV *pueri animo sic inseratur, vt quoties vel audiat vel nominet* IESVM, *reuerentiam exhibeat. Post vbi paululum adoleuerit, paulatim suggerendum, vt meminerit primùm se esse hominem, cui Deus dederit intellectum & rationem, quibus à brutis distingueretur, néue sicut bruta patiatur se affectibus carnis duci, sed ratione concupiscentias cohibeat, qua freti etiam ethnici voluptates frenarunt, Exemplo sunt Scipio, Cato, Curtius, Fabricius. Agesilaus, Phocion, Socrates. Hoc magis conuenit Christianos affectus cohibere, qui sunt templum Dei. Adhæc se non solùm hominem esse, sicut ethnici veram salutem ignorantes, quique solo rationis ductu vixerunt, sed Christianum, qui in Christi verba iurauit, vt diximus, in baptismo veste candida innocentiæ autoramento insignitus, quam vestem non sine summa perfidia quis contaminauerit. Atque hæc duo principem cum quouis homine Christiano habere communia, æquè his atque infimæ sortis hominem astrictum se esse. Ad hunc modum monuit Placilla & Macedonius Eremita Theodosium Imperatorem. Cæterùm præter hæc cogitandum tertiùm, quod nimirum ipse præter alios homines principatui sit destinatus, cuius curæ Dominus ille dominan-*

Baptismus.

Cœna dominica.

Decalogus.
Symbolum.
Oratio dominica.

Principi cogitanda.

Baptismi vestis candida.

Tripart. hist. 572.

Principis vocatio.

minantium, tanquam vicario & ministro tot animas concrediderit. Iam longè aliud esse principem Christianum quàm ethnicum, atque ideò non oportere sicut ethnicos & tyrannos, fastu, pompa, tyrannide niti, ac voluptatibus indulgere, quibus in baptismo renunciauimus omnes Christiani, sed potius sanctimonia, pietate, Reip. ac populi commissi cura antecellere alios. Nam cùm ipse constitutus sit à Deo custos humanæ societatis ac νομοφύλαξ *mandatorum Dei, ab alijs legem exacturus, hoc magis à seipso exiget mandatorum Dei obedientiam. Cogitet non sibi & è suis affectibus sed ex lege Dei administrationem instituendam, petendamque quotidie à Deo sedium eius assistricem sapientiam exemplo Salomonis. Is enim cùm illi daretur optio à Deo, vt quid vellet peteret, postulauit solam sapientiam.* DOMINE, *inquiens, tu fecisti me Regem super populum tuum multum,* DA MIHI SAPIENTIAM, *vt ingrediar & egrediar coram populo tuo. Et respondit* DOMINVS: *Quoniam magis placuit cordi tuo sapientia, vt iudicare possis populum, super quem constitui te Regem potius, quàm diuitiæ & gloria, & animæ eorum qui te oderant, Sapientia & scientia data sunt tibi. Diuitias & gloriam dabo tibi, ita vt nullus tibi similis futurus. Id quod præstitit illi Dominus, vt omnes & sapientia & potentia atque diuitijs superarit. Hanc precationem Salomonis imitari oportet puerum principatui destinatum. Deus per Moysen bonum principem depinxit, Cùm fuerit, inquiens, constitutus Rex, non multiplicabit sibi equos, quasi equitatus præsidio fretus, sed describet sibi Deuteronomium legis, &c. Proinde assuescat quotidie Deuteronomium legis, hoc est, Christianam regulam Euangelistarum & Apostolorum literis proditam lectitare, vt diximus, eumque librum quotidie manibus terere, pectoreque recondere, his libris honorem habere discat, eosque ceu omnium reliquiarum sacratissimum* κειμήλιον *exosculetur. Quod in hoc libro Deus velut ex oraculo loquatur mortalibus. In hoc meminerit esse viam, veritatem & vitam. In hoc legem Dei tradi, ad quam omnis vita, omnisque gubernatio veluti ad amussim exigenda. Hanc non mentiri nec adulari. Non audeat de his literis per iocum & contentionem*

Petēda principi à Deo sapientia quotidiè.

3. Reg. 3.
2. Paralip. 1.

Salomonis exemplum principi imitandum.

Euangelium legendum principi.

Scripturæ sacræ reuerentia.

sed cum summa reuerentia loqui. Discat has literas, maximè ad se pertinere, atque sibi arctissimè amplectendas esse, se nutricium esse Ecclesiæ Dei, eamque pro virili tueri, & verbi Dei doctrinam prouehere debere.
Religionis Christianæ libri. *Religionis nostræ leges contineri libris Propheticis & Apostolicis, veteri & nouo Testamento. Harum custodes constitutos principes & magistratus à Deo.*
Custos legis princeps. *At quomodo custodiat si non intelligat? Quare scriptura ad harum legum cognitionem hortatur, inquiens: Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite ei in timore, &c.*
Psal. 2. *Discat non efferri fortunæ insolentia, sed Deo gratias agere, neque in aduersis desperare, sed ad Christum, tanquam sacratissimam anchoram, confugere.*
Salus in solo Christo. *Discat è solo Christo pro nobis oblato, salutem expectandam, &*
Fides. *per fidem in Christum charitatem exercere in proximum.*
Charitas. *Admoneatur inter omnes Christianos esse arctissimam societatem, qualis inter eiusdem corporis membra assuescat omnem Christianum fraterna charitate diligere tanquam proximum, sciatq́ Christum vnicè in membris suis lædi & refocillari. Eamq́ue Christianorum regulam semper memoria complectatur:*
Christianorū regula vniuersi iuris epitome. QVOD TIBI NON VIS FIERI, ALTERI NE FECERIS. *Quod autem ipse alijs potentia & auctoritate præpositus sit, hoc ipsum debere magis reddere sollicitum, tantùm abest, vt pauperes & miseros fastidiat, quin horum potissimam curam ad principem pertinere existimet.*
Psal. 40. *Sic enim ait Propheta: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.*
Psal. 82. *Et alibi: Deus astat in congregatione iudicu, in medio deorum iudicabit. Quousque iudicabitis iniquitatem, & facies impiorum suscipietis? Iudicate pauperem & orphanum, & inopem de manu impiorum liberate. Ego dixi Dij estis, id est, constitui, inquit Dominus, vos gubernatores in terris. Proinde discant Principes,*
Psal. 72. SVPPLICES CLEMENTER AVDIRE, *neminem reijcere, iudicabit pauperes populi, saluos faciet filios inopis, & conteret calumniatorem.*
Pastores populi principes. *Propterea etiam pastores appellantur principes:*
Ezech. 34. *Væ pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos, lac comedebatis & lanis induebamini, & quod crassum occidebatis, gregem autem meum non pascebatis, quod infirmum non consolidastis, quod ægrotum non sanastis, errantem*
Principibus quanta cura imposita.

tem non reduxiſtis, quod perierat non quæſiſtis, ſed cum auſteritate imperabatis eis. Quare audite paſtores, Viuo ego, dicit Dominus, requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſare faciam, vt vltra non paſcant gregem meum. Tria animalia Salomon comparat principi, Leonem, qui non exerit vngues niſi pugnaturus, Sic enim principem conuenit terrori eſſe malis, & bonis defenſioni. Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos. Canes, qui inſectantur externos, non domeſticos, ſed pro his excubias agunt. Arietem, qui præit gregi, Sic enim bonus princeps bonis legibus debet regere & exemplo præire. Eſaias Cyrum vocat paſtorem Dei, qui populum Iſraeliticum duceret tanquam paſtor oues, & reduceret in Hieruſalem. Homerus cùm alios tùm Agamemnona vocat ποιμένα λαῶν. *Et bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus, Matth. 10. Idque teſtati ſunt Philon, Curtius, Thraſibulus, Codrus, qui vitam non dubitarunt pro Rep. impendere. Traianus ſuam ſalutem inuiſam ſibi dixit, niſi eſſet cum ſalute Reip. conuincta, atque ita demum ſeruari à Dijs optabat, ſi Remp. ex vtilitate omnium regeret. Item principem bonum nihil à patre tutore differre. Cyrus apud Xenophontem teſtatur Rempublicam tanquam paternam domum adminiſtrandam, & ſubditos non ſecus ac liberos ac propinquos paterno affectu gubernandos. Cum ciuibus, inquit Traianus, quaſi cum liberis agendum. Cicero ad Fratrem ſcribens, tradit magiſtratum & eſſe & haberi debere vt parentum Reip. Plin. Secundus ad Traianum, Ingenti, inquit, conſcientia Cæſar paciſceris cum Dijs, vt te ſi merearis ſeruent, cum ſcias an merearis, neminem magis ſcire quàm Deos. Iam ſi Remp. ex vtilitate rexeris, certus es te benè Remp. gerere, cùm te ſeruent. Traianus dicere ſolebat, ſic ſe Remp. geſturum, vt ſciret rem populi eſſe, non ſuam priuatam. Idem cùm præfectum prætorio, quē creabat cincturus eſſet enſe, quem nudum porrigebat. Cape, inquit, hunc, ſiquidem iuſtè imperauero pro me, ſin minus, contra me vtere. Hoc affectu decet principem eſſe erga ſubditos, & cùm proditum hoc ſit de ethnicis, quo maior charitatis affectus in Chriſtiano principe requiritur. Moſes de libro vitæ deleri maluit, quàm populum ſibi commiſſum perire. Atque ideo patres patriæ dicti principes, qui pio populum affectu rexerunt.*

Tria animalia principi comparata. Leo. Canis. Aries. Eſaias 54. Vitã pro Repub. impendentes. Traianus. Patres populi principes. Cyrus. Traianus. Moſes. Exod. 33. Patres patriæ.

Proinde cum primis & modis omnibus princeps ad amorem suorum subditorum est inflammandus. Discat si quem videat pauperem & afflictum, maximè è suis subditis, vt ad commiserationem moueatur, vt vel quærat ipse si sic res ferat, aut mittat, qui rogitet ecquid acciderit, vt iubeat eum crucem suam patienter ferre, se illi si qua possit affuturum, largiatur etiam aliquid si indigeat, aut alia opera adsit afflicto, Ea compellatio atque benignitas & afflictos plurimùm eriget atque confortabit, & principi fauorem inter subditos conciliabit, ac denique quod præcipuum est Domino gratum officium præstabitur, qui hoc ipsum requirit, Venite, inquiens, benedicti, esuriui & pauistis me, ægrotaui & visitastis, &c. Et aliàs: Qui obturat aurem erga pauperem clamantem, clamabit & ipse, & non exaudiam. Pauperibus discat benefacere, largiri subinde, non quo spectetur sed clàm subministret egentibus. Et in propatulo quoque neminem dimittat vacuum ac tristem, admonitus à sapientissimo principe Salomone. Qui miseretur pauperis fœneratur Deo. Pauperibus prodesse præstat quàm templa ædificare, inquit Chrysostomus. Proponenda exempla & commonefactiones ex historijs piorum principum Danielis, Salomonis, Iosaphat, Asæ, Ezechiæ atq; Iosiæ, & quod Dominus illorum imperia fortunauerit, qui pij in subditos fuerunt. Atque ex aduerso impiorum Achab, Ioiakim, atque ethnicorum Neronis, Commodi, Heliogabuli, infelices & horribiles exitus propter tyrannidem in suos. Precetur Deum quotidie, vt cùm ad gubernacula peruenerit, iustitiam, politiamque sic constituere possit, ne miserabiles grauentur, vt tanquā pater suis præsit, vt innoxios defendat, flagitiosos coërceat, vt pacem concordiamq; sarciat, sartā tectamq; conseruet, vt Deus consiliarios, præfectos, cooperarios & ministros pios cōcedat. Sint oculi eius inter fideles terræ, & qui ambulant in innocētia, vt hi ministrent ei. Corda peruersa, pleonectica & adulatricia reijciat, ac deniq; officio suo in gubernatione ritè perfungatur. Adulatores fugiat. Assuescat nomen Dei non temerè vsurpare, quin potius blasphemias, imprecationes, iuramenta temeraria, seueriter punire. Concionibus & sacris discat cum reuerentia & attentione adesse, neque patiatur animum externis auocari,

[Margin notes: Pauperū ratio habenda principi. — Matth.25. — Prouerb.19. — Exempla bonorū & malorum principum. — Precanda principi. — Psal. 101. — Conciones sacræ.]

cari,

cari, sed quæ dicuntur & leguntur memoria complectatur. Concionator sit eruditus in verbo, doctrina & exhortatione potens, appositus ad docendum, qui cum iudicio solidam doctrinam & non aniles fabulas & ad gratiam promerendam doceat, & talis, quo vti poterit consolatore & consiliario quoties conscientia grauata fuerit, aut in religionis controuersijs hæsitetur. Quare grauem requiro & peritum, non futilem, vanum aut adulatorem ac spermologum, quales ferè in aulis regnare solent. In sacris & vesperi cubitum iturus quotidiè se excutiat, num officio suo perfunctus sit, tàm aduersus Deum quàm proximum. Quoties letale aliquid admisisse & dominum ostendisse se sentit, Deo confiteatur, precetur veniam proponatque emendationem. Si proximum offendit, ei reconcilietur. Ad Synaxin tanquam sacratissimum animæ pabulum non tàm ex consuetudine quàm desiderio subinde accedat, non tamen nisi prius Deo & proximo reconciliatus, & à ministro Ecclesiæ clauium auctoritate absolutus à commissis. Aut si non concedatur cœnam participare ipsi, precetur Dominum ne sinat suum corpus suum pro nobis frustra immolatum, neque suum sanguinem frustra pro nobis fusum, sed vt suo corpore animum nostrum pascat, suo sanguine spiritum viuificet, vt non deficiamus ab illo fœdere, quod ille cum discipulis suis in nouissima cœna instituit.

Côcionator qualis requirendus.

Côfessio delictorum.

Synaxis.

Hæc & similia veluti semina iacienda veræ religionis ac pietatis, quàm Græci εὐσέβειαν vocant, vt videlicet paulatim augescente ætate in præcipuis religionis capitibus, de fide, de timore Dei, de iustificatione, de pœnitentia, de Sacramentorum ac ceremoniarum legitimo vsu, deque vero Dei cultu, recta fundamenta iaciantur. Atque mox de pietate atque officio erga parentes, erga patriam, propinquos & consiliarios, erga ministros Ecclesiæ ac seniores, institutores pueritiæ, vt hos omnes tanquam cooperarios atque συνεργοὺς reuerenter colat.

Capita religionis præcipua.

De lite-

De literarum rudimentis. Caput X.

Gracchorum & Corneliæ matris eloquentia.
Quintil. 1. 2.
Literæ per lusum discēdæ.

PORrò statim vt fari cœperit puer, iam sequens cura, vt perfectè atq; emendatè loqui discat. Huc plurimū conferunt illi, cum quibus conuersantur pueri. Eloquentia Gracchorum olim celebrata, bona parte referebatur accepta matri Corneliæ, Ciceronis iudicio, cuius gremium prima illorum fuerat schola. Proinde non parum refert, cum quibus consuetudinem frequentiorem habeant pueri. Nam collusorum ministrorum sermonem libentius imitantur. Literæ inde paulatim instillandæ cùm fari cœperit, sed per lusum, & quasi aliud agendo, vt fallens doceas. Lenocinijs illa ætas fallenda. Estque sic INSTITVTIO MODERANDA, VT LVDVS ESSE PVERO VIDEATVR, & per ludum delectationemque literas hauriat, laudib. καὶ τῇ φιλονικίᾳ accensus. Ideò ludi literarij vocati, quòd hic non coacti, sed quasi per lusum pueri docerentur. Debet enim à literis abesse truculentia & tristicia. Quod veteres adumbrare volentes Musis virginibus formam elegantem, citharam & ludos tribuerunt. Et Charites sodales. Significare volentes, & literarum omniumque artium traditiones & exercitia quasi per lusum tractanda. Socrates apud Platonem docens, nullam stabilem esse violentam disciplinam, nolebat pueros ad docendum cogi, sed quasi ludentes duci. Prudens igitur institutor curabit vtile coniungere dulci, expendens quæ cuiq; ætati & ingenio congrua, memor aliam ætatē alia decere, puerilem autem ætatem iucundis magis capi quàm subtilibus, vt quæ nondum intelligat, quem fructum imposterum allatura sint. Quare quæcunq; traduntur, iucunda reddere studeat, efficiatque blanda tradendi ratio, vt ludus videatur non labor. Principio igitur literarum figuræ præscribendæ, earum sonos discat disertè atque exactè proferre. Plurimùm enim hoc momenti ad sequentem habet institutionem, vt elementa & syllabas rectè pronuncies. Doceatur literas apud Latinos & Hebræos esse XXII. Græcas XXIIII. Earumque alias vocales, alias consonantes. E consonantibus alias mutas, alias semiuocales, atque ex his quasdam liquidas. Possetque hac in re consonantium & vocalium, quasi certamen in ludo

Ludi literarij.
Musarū forma.
Gratiæ.
Plato. lib. de ll. 1.
De literis, earumq; distinctione & formis, ac Grammaticæ elementis.

ludo scacorum constitui, aut si hoc difficilius, Pyrgorum, qui globo inuoluto euertuntur, ordinibus designentur, moxq́ insulciat è vocalibus I. & V. *transire in consonantes, licet iu Græcis non sit consonans* I. *vt in dictionibus* ἰωάννης ἰάκωβος, *quadrisyllabis. Syllabam dici comprehensionem literarum, atq́ è sola vocali constitui syllabam, at è consonante, vel sola vel citra vocalem nullam fieri syllabam, posse tamen plures consonantes esse in vna syllaba, vt flagrum, at non plures vocales, nisi sit diphthongus. E vocalibus quatuor conflari diphthongos, duas scribi & proferri, alias duas non proferri. Eadem ostendenda in Græcis literis, vt emendatè discat literas & syllabas, néue vllum pronunciationis vitium relinquatur. Adhæc doceatur, vt literæ quæ simul sunt dictionis initium, easdem & in medio cohærere in eadem syllaba nec separari, velut in dictione Christus, pastus,* S & T *non separantur, propterea quòd reperiantur dictiones, quæ ab st incipiant, vt sunt, stare, studium. Idem in duplicibus, veluti paxillum,* X. *sequenti adhærebit vocali. Aspirationis rationem quoque indicare proderit, ne Cristus pronunciemus pro Christus. Adde his pronunciationis curam, vt clarè, distinctè pronunciare discat puer. Aspirationes, accentus, tempora, titellos, & id genus crassius indicare operæprecium fuerit, ne ferè pro feræ pronunciet, & similia. Iis autem qui impeditæ linguæ sunt, exercitatione atq́ arte quadam pronunciationem corrigere oportet. Ita Demosthenes cùm pronunciare ρ non posset, lapillis subinde in os iniectis repetisse dicitur* εἰπεῖν τὸ ῥῶ ῥεῤῥωμένον. *Multùm enim refert, sicut aliàs, ita hac in re, cui primùm pronunciationi assueuerint pueri, neque in Latinis Græcisq́ solùm, verumetiam in vernaculis balbuties celeritasque nimia præcauenda est, & eorum maximè consuetudo, qui impeditæ linguæ sunt, aut pronunciationis prauæ. In lectione non nimium properãdum, incredibile quantùm moræ lectioni festinatione adijciatur. Certa sit igitur in primis lectio, & diu lentior, donec exercitatione fiat emendata velocitas, præcipiente Quintiliano. Discat vbi spiritus suspendendus, quo loco versus distinguatur, vbi claudatur sensus, vnde incipiatur, quando attollenda vox, quid quo flexu, quid lentius, quid concitatius. Sit lectio ipsa virilis, & cum suaui-*

Syllaba.

Diphthõgus.

Pronũciatio.

Vide Cic. de Or.

Quint. lib. 1. c. 2. 14.

Lectio.

Quint. lib. & cap. eod.

tate quadam grauis, nec prosa vt carmen, neque è contrario carmen, vt prosa pronuncietur. Cæsar dicere solebat: Si cantas malè cantas, si legis cantas. Principi danda opera, vt non fœmineæ vocis exilitate frangatur, aut seniliter tinniat, neque verba nimium præcipitanter, neque nimis tardè, sed moderata quadam grauitate proferat. Vitia si qua sint oris, vt dixi, arte & exercitio emendet, vt suis quæque sonis enuncientur, nec verba in faucibus patiatur audiri, nec oris inanitate resonare, facies sit recta pronunciantis, ne intorqueantur labra, néue immodicus hiatus rictu distendat, nec supinus vultus, nec abiecti oculi, nec inclinata ceruix, néue supercilia ad singulos vocis conatus alleuentur, vt quidam faciunt.

Cæsaris dictum.

Gestus pronuncientes.

Formandis literis tempus concedendum, prius tamen figuras agnoscere, post eásdem pingere discat, iuxta Quintiliani consilium. Obstare enim agnitioni literarum, non intendentibus mox animum ad ipsos ductus, dum antecedentem memoriam sequuntur. Qua in re si instituendæ infantiæ gratia, vel ex ebore literarum formis, quibus puer ludat, Quintiliani consilio vtaris: Vel cùm paulò prouectior puer, crustulis veluti præmijs Flacci consilio inuitetur, non admodum repugnauero, quanquam has ego præparationes operosiores esse putem, quàm negotium aut opus ipsum καὶ τὰ πάρεργα τῶν ἔργων ἐργασικώτερα, atq; in hoc tradita, vt declarent huiusmodi incitamentis pueros alliciendos. Certamen potius cum æqualibus instituatur, præmiumq́ue proponatur, laudetur audiente segne victor. sic tamen vt victo interim spes ostendatur eam ignominiam vigilantia sarciendi.

Formandarũ literarum ratio.

Quintil. 1.2.

Lacedæmonij pueros ab ineunte statim ætate aliquo gloriæ stimulo duci voluerunt, ita vt & vituperatos dolor angeret, & laudibus efferrentur prouocarenturq́ue ad maiora. Quos verò hæc non mouere sentiebant, hos à virtute alienos, & velut ignauos aspernabantur, Sic in Lysandro honoris cupiditas & contentionis studium animaduersum virtutis spem præbuit. Præscribantur exempla, quæ legendo scribendoq́; imitetur, sed quæ insigne aliquid aut memorabile interim admoneant qualia sunt: SPARTAM NACTVS HANC ADORNA.

Plut. in Lys.

Sentẽtiæ præscribendorũ exemplorũ.

NON OPORTET PRINCIPEM SOLIDAM DORMIRE NOCTEM. DEVM TIME. DEVS OMNIA VIDET. QVOD TIBI NON VIS FIERI, ALTERI NE FECERIS, *& similia. Qua opera inculcatur scamnũ, musa, eadem licebit tradere, promuscis, spheristerium, amuletum, & dum crepo, Plato disputat, sortes mouetur. Interim pari labore & maiori fructu docuero, sobrius esto, & memento diffidere, habet Deus vindicem oculum, aliaq́, & voces & sententiæ grauitate cõmendabiles in hunc vsum parentur. Cùm autem ductus iam sequi cœperit, Quintilianus existimat non inutile eos tabellæ, quàm optimè insculpere, vt per illos, veluti sulcos ducatur stylus. Pingere autem & scribere literas principem ornat. Quare si quid præceptor dictet, id suis manibus excipiat. Augustus monarcha omnium maximus suos filios cupiebat hac ratione instituere, vt suum Chirographum imitarentur. Neq; res aspernãda benè scribendi facultas, è qua laudantur ab Ænea Syluio commemorati aliquot Cæsares & Pontifices scitè atq; expeditè literas pingentes: Maximè autem obnubilasse laudes Alfonsi Regis, quod literis ex aula datis suum nomen subscribens, serpentes ac monstra non literas pingere videretur. Quapropter etsi Principes rarius scribant sua manu, aliquoties tamen, cùm res postulat, si ipsi scribere cogantur, rectè & perspicuè literas deliniare laudabile, & vt elementa suis characteribus fingantur, veram formam exprimentibus. Est autem vetustarum literarum forma simplicior & legibilior, recentior affectatior ac florulenta magis. Qualemcunq; puer elegerit, exempla pulcherrima proponenda & emendatissima, & quæ sententias habeant non otiosas, vt paulò antè diximus.*

Scribere scitè principẽ ornat.

Suet. in Aug. Augustus.

Alfonsus rex.

Literarum figuræ quæ optimæ.

Parata legendi scribendiq́, ac pronunciandi facultate docendum octo esse in lingua Latina receptas Orationis partes, è quibus quatuor flexibiles, reliquas inflexibiles. Ex his tres per casus flecti: Nomen, Pronomẽ, Participium, vnam per tempora & modos, nempe Verbum. Ex ijs quæ non flectuntur esse quinquaginta Præpositiones, & quæ coniungunt orationem Coniunctiones, quæ subitum mentis affectum significant vocari Interiectiones. Quartam dici Aduerbia. Incipiet inde Nomina

Grammaticę progymnasmata. Orationis partes.

Genera. *inflectere, discetq́ sex esse nominum genera. Masculinum, vt hic Vlysses. Fœmininum, hæc Penelope. Neutrum, hoc animal. Omne, hic & hæc & hoc felix. Dubium, hic vel hæc dies. Commune, hic & hæc homo. Promiscuum quod Græcè Epicœnum dicitur, cum articulo vno vterq́ sexus* Numeri. *significatur: hic passer, tàm masculus quàm fœmina. Numeros esse apud Latinos duos: Singularem, vt homo. Pluralem, vt homines. Græcos etiã* Casus. *tertium habere dualem. Casus sex, Nominatiuum, Genitiuum, Datiuũ, Accusatiuum, Vocatiuum, Ablatiuum, Græcos Ablatiuo carere. Septimùm vsurpari, cum Ablatiuo vtimur sine Præpositione, vt pecunia omnes res parantur. Vocatiuum semper esse similem Nominatiuo, exceptis quibusdam primæ & secundæ inflexionis. Neutra semper habere Voca-* Declinationes. *tiuum similem Nominatiuo, & in plurali tres casus finire in a. Declinationes esse quinque. Primam finales habere syllabas a, as, es, & e. Secundam, us. Tertiam habere terminationes, a, e, o, c, d, l, n, r, s, t, x. Quartam, us & u. Quintam, es. Verba mòx sequi nomina, nam nomina & verba conficere orationem. Verbo quinque esse modos. Indicatiuum, in* Verborum modi. *quo indicamus vel referimus aliquid, vt lego. Imperatiuum, in quo præcipimus & hortamur, vt lege. Optatiuum, ab optando dictum, vtinam legerem. Subiunctiuum, cui subiungimus aliam orationem, vt cum le-* Tempora. *gam, Et Infinitiuum, vt legere. Tempora, Præsens, vt lego, legis. Præteritum imperfectum, legebam. Perfectum, legi. Plus quam perfectum, legeram. Futurum, legam, Numeros apud Latinos itidem in Verbis vt in Nominibus, Pronominibus & Participijs duos, Singularẽ & Pluralem. Personas tres: primam, vt ego lego secundam, tu legis, tertiam, ille* Coniugationes. *legit. Coniugationes Latinis esse* IIII. *Primam, quæ habet a longum ante finalem syllabam re in Infinitiuo, vt amare, Secundam e longum, docere, Tertiam e breuem, legere, Quartam i longum, vt audire.*

Syntaxis. *Quod ad Syntaxin attinet, quæ est congrua partium orationis constructio. Primùm sciat orationem, vt diximus, sine verbo constare non* Verborũ discrimina. *posse. Verborum quinque esse genera: Actiuum quod in o finit, huic iungitur Nominatiuus, Puer amat Deum. Passiuum ex Actiuo natum, addita r litera, vt ab amo Passiuum fit amor, postulat in Syntaxi à fronte*

Nomina-

Nominatiuum & à tergo Ablatiuum cum Præpositione a vel ab, interdũ & alios casus, vt pater amatur à filio. Neutrũ est, quod finit in o, & non habet Passiuum in or, nisi in tertijs personis, vt seruio, & ex his alia habent Genitiuũ vel Ablatiuum, vt indigeo pecuniæ vel pecunia, alia Datiuum, seruio tẽpori, alia Ablatiuum cum Præpositione, vt habito in domo aliena, vapulo à præceptore. Commune verbum finit vel in o vel in or, & habet significationem actiuam & passiuam, cum vsurpatur in significatione actiua habet Syntaxin actiuorum, cum in passiua passiuorum, vt criminor te, & criminor à te. Deponens finit in or sine actiuo in o, & retinet alteram significationem plærunque actiuam, vt recordor beneficiorum Dei, fruor, vtor fortuna prospera. Ad eundem modum & reliquarum partium Syntaxis succinctè tradet diligens institutor.

Traditis autem generalibus, quæ ad orationis partes & syntaxin pertinent. Mox vsus & obseruationes ex auctoribus ostendentur, ad quam rem seruient Colloquia Erasmi, item Mimi Publiani, Catonis disticha, Officia Ciceronis, Dicta sapientum, Prouerbia Salomonis, indidem vocabulorum significata & etyma, discrimina partium orationis, formæ declinandi ac coniugandi, postremò etiam Syntaxis, velut in speculo commonstranda. Seorsum interim Grammaticorum canones ac formulas proponere oportet, sed breues, atque eas subinde repetitas inculcare, nec præproperè aspernatis his ad alias disciplinas, quod vulgus facit, peruerso quæsito compendio festinare. At cum Grammaticæ institutiones initiò subausteræ & necessariæ magis quàm iucundæ sint, ea dexteritate doctoris inculcentur, & vna opera interpretatio fiat eximij alicuius scriptoris atq; indidem Grammaticæ obseruationes, vt diximus commostrentur, ne ingenia hæc immodicis præceptis onerentur, ac necessaria magis negligantur. Noui quosdam magni nominis in Italia viros, qui se Grammaticæ præcepta nunquam didicisse affirmabant, tametsi hos ego imitandos nũ ausim suadere, sed moderatis, & non nisi necessarijs, vt dixi, huiusmodi ingenia occupanda sunt. Nam Despauterij vel aliorum quorundam præceptis huius artis ediscendis tota adolescentia vix sufficeret. Et his maximè perceptis, tamen nihilominus ad auctores con- Vsus & obseruatiões Grãmaticæ. Præceptis ediscendis curiositas.

fugiendum erit ijs qui vsum cognoscere velint. Sed de his hactenus, quæ omnia fallens, & quasi per lusum expediet diligens & idoneus institutor.

Vsurpatio latini sermonis. *Interim sermonem Latinum inter sodales assiduè vsurpet, id quod citra fastidium peragetur, si inter pueros & ministros versetur loquaces & commodos, inuitante scilicet natura quadam imitandi voluptate, maximè si præceptoris dexteritate assiduaq; & tempestiua exercitatione adiuuetur, nam linguam discere qui velit, in multitudine versetur, vt Plato docet.* In Alcibiad. *Requirunt sanè hæc rudimenta singularem institutoris dexteritatem magis quàm illæ grauiores disciplinæ. Adeò refert quibus fundamentis inchoetur institutio, quo compendio artis & temporis.* Memoriæ ratio. *Memoria, quæ thesaurus est omnis eruditionis, exercitatione adiuuetur, quotidie aliquid ediscendo, recitando, ne torpor memoriam obruat. Socrates apud Platonē memoriæ magis mandando probat, quàm literis quæ velimus apud nos esse diuturna.* Plato in Phædro. *Nam externis literarū monumentis confisi, animo tecta non reuoluimus. Continetur autē memoria bona valetudine. Cauendum igitur in primis à repletione nimia, à crapula, à vino immodico, aut cereuisia crassa, item à supino cubitu. Non etiam obruatur memoria immodicis, nam Quintilianus ait, vt vascula angusti oris superinfusum liquorem respuunt, sensim ab influentibus replentur, sic puerorum ingenia non sunt obruenda nimia copia, sed videndum quantum capere possint.* Quint. lib. 1.

De officio atq; adeò necessario amore nutricij in alumnum, & huius vicissim in illum. Caput XI.

Institutor paternū induet in puerum instituendū amorem. F*Abius Quintilianus grauissimus pueritiæ formator in sua de Oratore institutione inter præcipua instituendæ pueritiæ præcepta requirit, vt institutor ex demandata prouincia paternum erga puerum induat affectum, & non tàm cogitet, quātum fortunarum reportare possit, quàm desiderio quodam tāti muneris gnauiter perfungendi impellatur solo de patria, communiq; Rep. benè merēdi proposito, atq; vt sibi suisq; salutarem fingens principem fidei concreditæ satisfaciat. Quæ sanè gloria nisi plærosq;*

rosque grauissimos viros solicitasset, nequaquam ad humilem illam alphabetariam laboris ac solicitudinis plenissimam prouinciam sese submisissent. Istuc prouocauit Lysiam vt Epaminondam, Aristotelem vt Alexandrum instituendos susciperent. Istuc impulit Ioiada, vt Ioas puerum tàm diligenter ac fideliter seruatum institueret. Quis vnquam mercenarius eam operam, eum laborē atq; tantas curas sustineret, quantumuis magno conductus? Quas parentes in liberis educandis subire non grauantur, imò matres etiā cantillantes infantium curæ totas interdum noctes inuigilant. Proinde summa morū comitate ac placiditate se ad eam ætatē submittant, & quasi reiuuenescant oportet qui hanc curā suscipiunt. Adeò abesse hic oportet tyrrannicam illam sententiam. Oderint dum metuant, quam Plagiarij quidam ludimagistri solis ferulis virgisq; metuendi crudeliter, sed tamen infeliciter imitantur. Puer etiam omnibus inuitamentis est incitandus ad amorē sui institutoris, nimirum vt hunc non aliter quàm parentem amet, ad huius sinum tanquam ad tutissimum asylum si quid doleat confugere assuescat. Efficiet autem id comitas institutoris. Præcipuus enim gradus est doctorē amari, vnde succedet nō terror, sed liberalis reuerentia, & qui literas prius amabat propter doctorē post doctorem amabit propter literas. Profuerit autē parētes cùm curarint quē requirimus laude dignū, eundē crebrò apud filium cōmendare, laudib. vehere, ac præcipere, vt huius dictis obsequatur. Philippus Alexandrū subinde hortatus est, vt Aristoteli se docilē præberet, & philosophiā perdisceret, ne multa faceret, quæ ipsum post fecisse pœniteret. Vnde Alexander summo Aristotelē amore prosecutus dicere solitus fuit, eū nō minus se quā parentē amare. Siquidē ab hoc viuēdi, ab illo benè viuēdi accepisset rationē. Phœnicē Achilles summa veneratione religiosissimè fouit, Plutarchū sic coluit Traianus, vt Consulatū Romæ tribuerit, neq; per Illyrim quicquā citra illius auctoritatē agere voluerit, vt testatur Suidas. Idē præstitit Ausonio Theodosius Connidæ pædagogo Thesei, vno antè Thesei festa die Athenienses arietē immolare memoriaq; beneficij & honorib. prosequi solere ad sua vsq; tempora scribit Plutarchus. Apud Iosephū videre licet Caij in nutriciū Agrippam pietatē. Antoninus optimus cordatissimusq;

Impera-

Aristoteles. Lysias. Ioada.

Pietas discipulorum in preceptores.

Plutarch. in Alex.

Alexander.

Vide Clemēt. pædago.

Phœnix.

Plutarchus.

Ausonius.

Connidas.

Plut. in Thes.

Ioseph. ἀρχαιολογίας lib. 18. c. 13.

M. Antonini in præceptores pietas. Capitolin. *Imperator præceptores tanta veneratione atque amore prosecutus est, vt imagines eorum in larario aureas haberet, sepulchra eorum aditu hostijs floribusq́ exornaret. Iunium Rusticum præceptorem idem tantopere colebat, vt omnia ei consilia & publica & priuata communicaret, & antè præfectum prætorio oscula daret, eundem iterum consulem faceret, ac statuas post obitum à Senatu postularet. Dumque educatorem defleret, & ab aulicis reuocaret, Permitte, inquit, vt homo sim, neque enim philosophia tollit affectus. Seuerus Imperator Hermocrati præceptori optionem dedit quiduis petendi, eoque petente* L. *talenta, quibus Deos coleret, parum ratus est quum plura commeruisset. Celebranda profectò pietas in discipulis, qui vitæ honestioris altores mutua veneratione atque gratitudine ἀντιπελαργοῦσι. Quod certè Attilius perpendit, vt tradit Papinianus Iurisconsultus. Atque idem aliàs inter eos, qui natalibus restituendi sunt, primùm memorat institutorem. Et rectè quidem: Nam si Athlethæ, qui strenuè iuuentutem exercuerunt honoribus afficiebantur, quæ coronæ debebuntur his, qui bonos principes patriæ tradunt? An nõ hic tibi colẽdus, qui ingentẽ auri, vim, facultates, ac ditiones totas præbuerit? quò magis is qui viam ostendit, qua hæc omnia assequaris? Non dicuntur hæc ideò, quod institutor ad harum rerum expectationem anhelare debeat, vt dixi, sed vt parentes interim, & puer ipse, ad pietatis gratitudinisque recordationem his exemplis inuitentur, memores, honorem artes alere. Videantq́ quantum pietatis affectum erga suos præceptores & educatores alumni præstantissimi principes præstiterint, adde quantùm hæc pietas mutua, discendi, docendiq́ tædium subleuet. Nam dictis pueri eorum, quos amant, libentius fidem habent, memoriæ tenacius mandant, breuiter, ad eorum quos amant studia & mores totos se componere student, emendati & castigati non irascuntur, memores illius: Quem diligo, castigo. Quod & si institutores suos oderint, & inuiti trahantur, adiganturq́ ad literas & disciplinas, labor omnis perit & gratia, Siquidem frustra seras in agrum qui semina respuat. Exemptis plærisque constat, quàm infeliciter cesserit illis, qui nimio metu principes cohibere conati sunt. Proderit hic plurimùm, si parentes & proceres frequenter*

Philostrat. in vitis Sophist.

Papinian. ff. de donat. l. Attilius. ff. de administ. tut. l. si plures. §. fi.

puerum

puerum inuisent, præceptorem, vt antè admonitum est, commendent, rectoresque in officio contineant. Nam sicut ostendimus, nullis satis honoribus compensari posse fidam, diligentem & piam institutionem, ita nullis satis dignis crucibus excarnificari poterunt, qui vel per negligentiam, vel de industria pueros suæ fidei & institutioni concreditos, vel prodiderint hostibus, vel corruperint praua institutione. Quod enim excogitari potest parricidium maius? Et rursum principes alumni reperti sunt, qui in benè meritos nutricios ac præceptores tyrannidem exercere non horruerint, cuius extant Neronis & Ptolomæi parricidij exempla, Sueto. in Nerone. *quorum alter Senecam, alter Aristomenem sustulit. Antoninus quoque* Plutar. de discrim. adula. & amici. *nutricios & medicos sustulit.* Lamprid. in Heliogab.

An eruditio in principe requirenda? Caput XII.

NE *superuacuam circa literas in docendo principe operam sumamus, dispiciendum prius, an literarum eruditio principi necessaria. Non* Plutar. de doctrin. Prin. *ignoro, audiri passim in aulis voces istas: Quid principi cum literis? hunccine Doctorem esse oportet? abundè suppeditabuntur, qui pro eo sapient. Idem Barbari etiam Gothi Amelesunthæ obijciebant, matro-* Amelesuntha. *næ heroicis dotibus ornatissimæ, quæ cùm filium Alaricum Theodorici ex sorore nepotem, & regni successorem more Romanorum principum li-* Alaricus. *teris erudiri cuperet, adque ludum literarium ire cogeret, tribus in hoc lectis Gothorum senioribus sapientia cæteris præstantibus, quos Alarico assistere iusserat, Gothi repugnantes vociferebantur, perdi puerum, non* Procop. de bello Goth. *conuenire eum literis emolliri, neque ferulis terreri, qui inter enses &* lib. 1. *hastas versari deberet. Atque huc quoque Gordiani Imperatoris dictum* Gordiani dictum. *torquetur, Imperatorem & milites arma non literas scire debere. Addunt alij, quod principum Romanorum vt quisque eruditissimus ita ferè pes-* C. de iur. delib. l. vlt. *simus fuerit, id quod in Nerone & Caracalla, & plærisque alijs declaratum. Multos è philosophorum scholis progressos, qui magis tyrannicè,*

auarius atque crudelius Remp. exercuerint, quàm literarum rudes. Hæ
Cicero Tusc. quæst. lib. 5. *voces, inquit Cicero, audiebantur ab Ephesijs, cum Hermodorus ciuitate pelleretur. Sic enim loquebantur & ipsi: Nemo de nobis vnus excellat,*
Alf. apophthegma. *sed si quis talis sit, alio in loco, & apud alios sit. Alfonsus Aragonum rex, cum audiret quendam contendentem non decere principem literas, fertur exclamasse: Eam vocem bouis esse & non hominis. Regium profectò fuit, hoc etiam epiphonema, nam reuera bouis & execranda, atq; in perniciem totius Reip. dicta, vox illa erat, & digna quæ publica omnium opera per*
Principũ eruditio lumen humanæ vitæ. *iugulum reprimeretur. Nam constat omnib. eruditionẽ & doctrinã principum esse lumẽ humanæ vitæ, neminem enim sapientẽ nasci, puerisq; stultitiam agnatam esse, quàm necesse sit institutione corrigere. Heroica ingenia quanquam natura per se acres impetus habeant, tamen nisi regantur doctrina, sæpe aberrant, vti suprà quoq; admonitum. Cicero pro Archia ostendit, etsi multi excellentes viri fuerint sine literarũ cognitione, tamen si eruditio accesserit ad eximiam naturam, singulare quiddam efficere solere, idq; exemplis ostendit in Africano, Catone, atq; alijs quibusdam. Itaq; etsi in Hercule & alijs plærisque maxima ingenij vis, tamen*
Theoc. Idyll. κδ. *præceptoribus excolendi literis tradebantur: Vnde extat Theocriti illud, quòd Herculem puerum Linus senex literis imbuerit:* γράμματα μὲν τὸν παῖδα γέρων Λῖνος ἐξεδίδαξεν. *Disciplinæ enim & literæ primùm animos ipsos veluti transmutant, feroces mitigant, humanitatem docent.*

Didicisse fideliter artes.

Menandri sententia. *Emollit mores, nec sinit esse feros, vt Poeta canit, imitatus Menandrum, qui alibi dicit:* ἡ παίδευσις ἥμερος ποιεῖ. *Cui accedit* οὐδὲν γὰρ ἄλλο μουσῶν εὐμενείας ἀπολαύουσιν ἄνθρωποι τοσοῦτον ὅσον ἐξαμερῶσαι τὴν φύσιν ὑπὸ λόγου καὶ
In Coriolano. παιδείας, *vt Plutarchus testatur. Literæ nanque ad vitam instituendam conducunt, & suppeditant consilia ad Rempublicam gerendam ne-*
Antist. dictũ. *cessaria. Quare Anthistenes rogatus, quid emolumenti ex literis sumpsisset: vt, inquit, mecum loqui possim. Sentiens doctos in omni negotio &*
Aristot. sententia. *fortuna habere, qui cum conferant. Aristoteles rogatus quid esset eruditio? In prosperis, inquit, ornamentum, in aduersis solatium. Breuiter*
Literæ ad quid conducant. *sublatis literis omnem humanitatem tolli, & barbariam quandam, plus*

quàm

quàm Turcicam sequi necesse. Principem autem, quo pluribus sapere oportet, hoc magis eruditum esse conuenit. Nullis bonis artibus carere debet, qui se ad imperandum natum esse arbitratur, nempe vt Deo pariter gratus & hominib. salutaris sit. Nam cùm illi subinde ius dicendum sit, in facinorosos animaduertendum, de diuinis humanisq; atq; adeò grauissimis rebus decernendum, fieri non potest quin sæpe aberret, si imperitus sit, idque cum magno publico malo. Quomodo leges, quomodo res à maioribus gestas cognoscet, nisi eruditus literarum? Ex his enim benè viuendi, ac sapienter imperandi percipitur ratio. Vnde Vegetius grauiter dixit: Neminem plura vel meliora scire debere quàm principem, cuius doctrina omnibus prosit subiectis. Diogenes χρυσόμηλον *appellauit diuitem ineruditum, Socrates aureum mancipium. Fit enim ferè vt principes rarò vera audiant, cùm quisque plausibilia magis quàm vera principi dicere ac fauorem emereri studeat. Hoc igitur magis cum literis conuenit, eum habere commercium, quæ non erubescunt quantumuis magnis monarchis, tàm acerba quàm dulcia dicere. Proinde Demetrius Phalereus regē Ptolomeum admonebat, vt conscriptos de regno* LIBROS *legeret, nam quæ amici dicere non auderent, ea in libris descripta cerni. Accedit quòd eruditio affectibus potentiorum reprimendis necessaria est, ne potentia rationem vincat, sed pijs & philosophicis præceptis affectus cohibeantur. Neq; enim fieri potest, vt malitia lateat in ijs, qui rerum potiuntur, veluti ij, qui comitiali morbo obnoxij, si in frigus incidant, continuò capitis vertigine torquentur, & vacillatio morbum arguit. Ita ineruditi fortuna & potentia subuecti in altum, vincuntur insolentia, fastu & cupiditatibus, quæ eruditi philosophicis præceptis imbuti vincunt ac premunt. Nam eruditio literarum non est inanis, quæ signa figat inertia, vt Pindarus ait, sed addit impetus, addit iudicium, quod inuitet ad honesta, addit delectum, quo sequamur potiora, addit prudentiam & fortitudinem.*

Veget. de re milit.

Aureū mancipiū diues.

Demetrij admonitio.

Plut. de doct. prin.

Idq; animaduertentes omniū ferè ætatum principes, vt quiq; maximè rebus gestis, & imperandi laude claruerunt, hoc fuerunt eruditiores. Doctrina certè institutum fuisse Achillem monstrat Homerus, cum ait eum

Achillis institutio.

laudes clarorum principum cithara decantasse, apparetque Musicam & historias, vt reliquam eius ætatis doctrinam didicisse. Nec decuit in eius clypeo depingi elementorum seriem, si tantùm fuisset rudis & sine pectore miles. Regum omnium haud dubiè ingeniosissimus Alexander, non modò primas literas, sed & Musicam & philosophiam percepit, Homeri Iliada rei militaris viaticum appellauit, eiusque Poëtæ scripta in tanto precio habuit, vt sub puluino semper posita ad manum haberet, ac dicere solere, se disciplinis malle excellere, quàm diuitijs. Et cũ expugnata vrbe auream capsam preciosissimis gemmis distinctam obtulissent, nihil preciosius ea recondendum quàm Homeri poëma existimauit. Atque vt Epaminondam, Iulium Cæsarem, Augustum, Antoninum, Traianum, Hadrianum taceam, de Carolo verè Magno, Christiano & Germano principe, proditum est Græcarum eum Latinarumque, adde sacrarum literarum, philosophiæ, mathematices fuisse peritum, & nocturnis lucubrationibus, cum interdiu præ negociorum crebris interpellationibus impediretur, historias & præcepta viuendi euoluere solitum. Alfonsus Rex Arragonum, cuius superius meminimus, plus se literis quàm armis promouisse fatebatur. Et vt bellatori nihil sit opus togatis artibus, certè ei viro, qui in pace gubernat Remp. aut consilijs adhibendus est, opus esse omni genere doctrinæ, res ipsa loquitur. Nec enim princeps domi leges emendare, iudicia constituere & regere potest, nisi & ipse multiplici eruditione instructus sit, & ad consilia doctissimos viros adhibeat. Quare ad Dionis amicos scribens Plato, existimat Remp. restitui non posse, nisi gubernatores philosophentur. At, inquiunt, habet princeps doctores, quorum consilijs vtatur. Misera prudentia, quæ semper ex alieno pendet arbitrio, quod si non rectè consulant, iudicare ille non potest. Cæterùm cum Christiani principes non solùm ciuilem disciplinã tueri debeant, verumetiam religionem, quam curam illis Dominus peculiariter commisit, oraculis sacris res ipsa flagitare videtur, vt & humanis & diuinis literis exculti sint. Theodosius nisi sacrarum literarum peritus fuisset (nam eas ad vnguem tenebat) non potuisset eo tempore religionis motus in dictis Concilijs consopire, atque eas leges ferre, quibus etiã posteri

[Margin notes: Ilias Homeri rei militaris viaticum. Plutarch. in Alex. — Caroli Magni eruditio. — Alfonsus. — Quare necessaria eruditio. — Theodosij eruditio sacrarũ literarũ.]

posteri fruuntur. Plutarchus philosophus grauissimus, singulari libello contestatus est, quàm eruditio in principe sit necessaria. Sed quid attinet causam apud omnes bonos & cordatos controuersia carentem exaggerare, cùm oracula diuina testentur, principes eruditos esse debere. Dominus per Mosen præcepit principibus legem, hoc est, Deuteronomion, nunquam de manibus deponendam. Et per Dauidem: Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta. Plutarch. lib. de doctrin. principum. Deut. 7. Psal. 2.

Quod Dionysius, Nero, Caracalla, eruditi fuerunt & mali, hoc non debetur literis, sed peruersæ naturæ. Nam si propterea vitandæ res, quod his plærique abutantur, erit igni & aqua abstinendum, quibus videmus quosdam abuti. Sic cùm literæ habeant infinitas commoditates, tamen nisi virtuti famulentur, poterit earum esse abusus vti rerum aliarum bonarum. Nam, vt Homerus de terra canit, ὅτι πολλὰ μὲν ἐσθλὰ, πολλὰ δὲ λυγρὰ *ferat. Ita disciplinæ, si in prauos incidunt, hominum vitijs non sua natura prauæ dicuntur. Diocletianus arma principi præ literarum studijs non negligenda censebat, in defendenda Rep. interim non vetuit literas discendas, cum Iustinianus sanciat Imperatoriam maiestatem, non armis solùm, sed Iuris quoq; peritia, munitam esse debere.* Confutatio obiectorum.

Adde artes esse portum calamitatis λιμένα τῆς ἀτυχίας. *Dionysius regno explosus literarum professione sustentabatur. Nero cùm prædicaretur, quod imperio explodendus esset,* πᾶσα, *inquit,* γαῖα τὸ τέχνιον τρέφει. Dionysius. Nero.

Quibus artibus ac linguis principem oporteat erudiri. Caput XIII.

AGesilaus fortissimus, cordatissimus, optimusque princeps, rogatus, quæ potissimùm pueris discenda essent? Ea, inquit, quibus cùm ad virilem ætatem peruenerint, vsuri sint. Protagoras apud Platonem ingenuos pueros ait institui solere, primùm moribus, pòst literis atque Musica ac rithmis ad modestiam concinnitatemque duci, omnem enim hominis vitam numerosa quadam consonantia indigere. Pòst gymna- Plut. in Laconicis. Mores. Literæ. Musica. Gymnastica.

sticis exerceri, vt aptum firmumq́ corporis habitum adepti optimè menti suggerant ministeriũ, néue corporis fragilitate impediti à ciuilib. actionibus impediantur, Schola egressos iura legesq́ à magistratibus discere. Alias apud eundẽ disseritur, quæ artes maximè vtiles sint Remp. gubernantibus, atq; duæ commemorantur, hæc animi, illa corporis. Et animi quidẽ legum conditricem, morumq́ disciplinam, animum ipsum in habitu quodã naturæ consentaneo formantem ac stabilientem, artem verò iudicialem, animum si quando lapsus fuerit restituentem. ferentemq́ Alexi pharmacum capessendæ Reip. vt quis discat quæ discenda sunt antequã ciuilia curentur. In corpore quoq; geminas eius curatrices, gymnasticen, quæ exercitio corpus in bona habitudine cõseruat, & medicinam, quæ amissam sanitatem restituat. Aristoteles ciuilem ait facultatem & rhetoricen & militarem complecti, illisq́ vtatur quoties eorum requirit operam, aut vt leges ferat, aut quid agendum sit, instituat. In politicis idem tradit disciplinas quatuor esse liberales, in quibus ingenui iuuenes institui consueuerint, literas, gymnasticen, musicen & picturam. Et literas quidem ad animum pertineri formandum, gymnasticam verò ad corpus roborandum, musicen ad voluptatem non solùm comparandam, sed vt hanc honestè traducat. Picturam, quòd ea ars facultatem contemplandorum corporum & formæ iudicia præberet. Cato, nullus, inquit, qui non didicit pingere, potest rectè iudicare. Lycurgus Lacedæmonios literis, musica, & palæstra instituendos voluit. Persæ pueros non literas vt consuetũ vulgò, sed æquum ab iniquo distinguere docebant, & quæ pœna improbis infligẽda, qui pace vel bello bonus, quæ turpis & honesti distinctio, in scholis ediscebantur. Ægyptij Geometriam & Arithmeticam, regium verò puerum magicas artes edocebant in primis, tanquã studia sanctiora: Ea enim erat non præstigiosum illud circulatorũ & veneficiorũ ludibrium, sed diuinorũ scientia, qua imbui regum filios voluerunt, quoniã ad magnæ fortunæ cultum ingenia excitaret. Qui mos Persarum quoq; regum frequens fuit, vt magicis artibus imbuerentur. Xenophon refert Socratem cãdidè solere suos docere, quousq; in disciplinis progrediendum: et Geometriam eò vsque discendam, quoad agro diuidendo, aut ædificio describendo sat conferat: idque adeò facilè

Plat. in Gorg. In Theage. Ciuilis disciplina. Plato in Alcibiade primo. Gymnastice & Medicina. Eth. 1. c. 2. Polit. 8. Literæ. Gymnastice. Musica. Pictura. Xen. de Rep. Lacedæm. Pæd. lib. 1. Alex. Neap. lib. 2. cap. 29. Magica ars. Quousq; in disciplinis progrediendum. Xen. Memor. lib. 4.

facilè esse, vt è se ipso facilè quis assequi queat, discere omnes illas Geometricas descriptiones improbabat. Idē in Astrologia, quòd diei, noctis, & mensis, & anni volutiones satis dignosci queat, itineris, excubiarū, & nauigationis gratia, ad ea, vt quæ noctu, aut menstruis & annuis dieb. fiant, discerni possit: atq; hæc facilè disci ab his, qui noctu venentur, aut nauigent. Varijs stellarum motibus, earumque distantijs, progressibus, cursibus discendis occupari dehortabatur: in quibus cognoscendis vita hominis occupata vtilitatis parum assequeretur, ab alijs autem magis necessarijs distraheretur. Germani olim indigenis contenti artibus, nihil præter militiam & agriculturam discebant: ita & Lacedæmonij peregrinas artes nō recipiebant, vt Plato testatur. Nos autē existimauimus principi eas artes necessarias, quæ ad benè viuendū & sapiēter imperandū idoneæ sint. Atq; hæ bifariam distinguuntur: hæ animi, illæ corporis, in vtrisq; opus principem instructum esse. Et animi quidem artes disciplinæ sunt, & linguæ, nempe quæ docent religionem, ius, & administrandæ Reipublicæ præcepta, ac mores. Hæc partim è Biblijs sacris, partim è Iurisconsultis, Philosophis, historia, rebus gestis maiorum, ac deniq; consuetudine bonorum, sapientumque hominum comparantur. Religio autem, vti sæpius admonui, cùm sit imperiorum omnium potissimùm instrumentum, in hac principem oportet in primis diligenter esse institutum: nam præter hoc, quòd sacrarum literarum noticia omnibus hominibus ad conscientiā confirmandam, tum principi præcipuè est necessaria: quo enim pacto controuersias de fide, sacramentis ac ceremonijs, de blasphemijs, hæreticis rectè dijudicabit, nisi sacrarum literarum peritus? Certè Constantinus & Theodosius non potuissent suorum temporum motus componere, nisi religionis iudicium habuissent.

Geometria, Astrologia.

Plato in Hippia.

Artes principi necessariæ.

Animi artes.

Religio.

Principi autem cùm philosophandum sit, sed paucis, non vacabit fortè omnia consummatè persequi. Diligens igitur & peritus institutor compendium harum artium concinnabit, & quàm fieri possit breuissimè præcepta tradantur.

Princip. philosophandū, sed paucis.

Ad disciplinas autem percipiendas, vti antè diximus, primùm opus est Grammaticis obseruationibus, vt & scribere, legere expeditè, & loqui

Grāmatica.

Latinè

Latinè sciat: Etsi, dum hæc inculcantur, obiter etiam religionis morumq; præcepta velut aliud agendo tradi poterint.

Dialectica. Rhetorica.

Grammaticen paulatim sequentur Dialecticæ atq; Rhetoricæ compendiaria rudimenta.

Arithmeticæ vsus.

Quibus, si quis calculi rationem breuem adiecerit, non repugnauero, maximè si puerum eò propensum videat: nam supputationibus operam dare Romæ in vsu fuit olim, tanquam inde redundaret ingenij ratio exactissima: Nulla enim disciplina, nullum negotium, cui hæc non ianuam aperiat. Quare veteres Philosophi citra mediocrem in Arithmeticis & Geometricis peritiam neminem recipiebant instituendum in Philosophia. Socrates apud Xenophontem suadet numerandi artem discendam, cum inutiles artes reijciat. Si quis Geometriam contemnendam dixerit, huic Marcellum vrbi Syracusanæ machinas admouentem apposuero, qui vnius Archimedis ingenio diu repressus est. Polybius ostendit grauissimis argumentis, quàm necessaria duci Geometriæ & Astrologiæ cognitio. Coniungere his licebit Geographiam, disciplinā in primis principi necessariam: Operæprecium enim principi fuerit nosse regionum locorumque rationes, distantias, item montium, syluarum, fluuiorum, marium situm, naturam atque amplitudinem: id quod historijs & intellgendis & memoriæ mandandis proderit plurimùm: adde etiam hostibus repellendis, expeditionibusq; ducendis. Quare veteres heroas constat locorum cognoscendorum gratià peregrinationes longinquas suscepisse, vt de Iasone, Vlysse & alijs traditur. Cyrus, Alexander & Hannibal, quàm longas huius rei gratia expeditiones susceperunt? Et nostra ætate Carolus V. Geographicis tabulis plurimùm tribuit, vt quæ ad expeditiones suscipiendas viam ostenderent.

Xenoph. citato loco. Geometriæ vtilitas. Polyb. lib. 8. Geographiæ principi necessariæ cognitio.

Musica.

Aristoteles etsi Musicen inter necessarias disciplinas referat, tamen ambigue scribit, quod ea plurimi voluptatis causa abutantur. Veteres certè eam inter disciplinas præcipuas collocarunt, siquidem Homerus fingit Achillem fortissimi principis, exemplar cithara in ipsis castris illustrium principum laudes decantare, atque sic tædium leuare. Et Alexandrum Magnum, aliosq; plurimos principes, in hac institutos fuisse proditum.

tum. Quare Plato hanc Gymnasticæ coniungit, appellatq́; eius sororem, quòd illa animum spiritumque, hæc corpus animi gratia mirificè formet. Gymnasticæ.

Astrologicis, etsi in his Carolum Magnum & alios principes aliquot peritos fuisse constat, tamen occupari diutius nolim, nisi elementis fortè quibusdam traditis, quibus anni temporumq́; ratio constat. Astrologiæ.

Historiam inprimis requirit principis institutio, nimirum vitæ imperijq́; administrandi magistram. In his enim licet intueri aliorum principum gubernationes & successus, morumque & gubernationis exempla hinc melius, quàm è Philosophis petentur. Siquidem vitæ principum & successus imperiorum prosunt, dum eorum exitu & deterrentur mali, & boni ad honestum virtutemque accenduntur. Speculum enim ciuilis vitæ historia, in quo heroes, principes, nobiles, & quotquot Reip. & imperijs destinati, se contemplari debent, historia est & moralis philosophia, iurisprudentia belliq́ue scientia. In primis Monarchiarum series discenda & memoria complectenda, in qua licet intueri omnium temporum mundi iam inde à creatione res gestas, gubernationum successus, quàm mirabiliter Deus regna & imperia dispenset & conseruet. Et quanquam ethnici vel prudentiæ vel ignauiæ principum ac gubernatorum ascribant successus, nonnulli fortunæ, vt de Alexandro & alijs plærisque proditum: Christiano tamen longè aliter sentiendum, & Salomonis ac Danielis vaticinijs fidem habendum. Id quod experimur & ipsi in veteris testamenti historijs demonstratum, felicitatem imperiorum à solo Deo pendere, qui vel pacem largitur, vel diabolo permittit ob peccata nostra dominari in principum animis. Licet videre mirabilem potentissimorũ regnorum, veluti Assyriorum, Persarum, Græcorum mutationem, vt à Daniele proditum. Surget, inquit, Rex potentissimus, & cùm steterit, conteretur regnum eius, & diuidetur in quatuor ventos cæli. Ex quibus mutationibus ac ruinis licebit mundi labascentis iconem præuidere. Quid enim aliud est imperiorum ruina, quàm ipsius mundi ad interitum tendentis proludium? & capita nostra leuanda esse, vt vicinum mundi finem expectemus? Adhæc licet in historia intueri,

Historiæ vtilitas.

Speculum ciuilis vitæ historia.

Dan. cap. 11.

Cacodæmon in tyrañorũ ingenijs dominatur. *quanta sit corruptæ hominum naturæ vis, quàm potenter cacodæmon in plærisq. principum ingenijs dominetur, vt non pastores & patres Reip. sed beluas furibundas potius agnoscas, et ad perdendum humanum genus natos magis quàm ad protegẽdos, pascendosq́, subditos cõstitutos dixeris. Ac breuiter homines ad pacem & charitatem natos, in mutuas cædes & lanienas ferarum in morem ruere. Hæc legentes subeat generis nostri per*

Peccatorum pœna. *transgreßionem corruptio & peccatis nostris debita pœna, vt non solùm impij affligantur, sed etiã pij, vt deniq. de primo homicidiorum auctore, & de tyrannide diaboli cogitemus, & ad respiciendum commoueamur.*

Porrò cùm tanta sit historiæ vtilitas, certi aliquot & optimi deligendi veluti præter historias veteris Testamẽti, Thucydidis, Xenophontis, Polybij, Herodiani, Plutarchi, Suetonii, atq. aliorum de principum vitis

Qui historici potissimum legendi. *ac rebus gestis scripta. Item Cæsaris, Taciti, Liuij, Procopij. Et inter recentiores Philippi de Caminis, Titerelli, Froscardi Gallica lingua scriptæ historiæ. Adde Bonfinij Hungariæ historiã atq. Capellæ de reb. gestis pro restitutione Sfortiæ, Pauli Iouij. In quib. Rerump. paulò antè nostrã ætatem mutationes & gubernationum mirabilẽ sortẽ intueri licebit, suntq́. hi omnes ferè historici magis fide digni, nempe homines politici, quos etiã ijs quæ prodiderunt magna parte interfuisse, & certius atq. vtilius scripsisse constat. Ex his vtiliora decerpenda, si omnes percurrere non liceat.*

ff. de orig. iu. l. 2. §. seruus. Iurisprudentia. *Porrò cùm patricio viro, vt inquit Iureconsultus, turpe est ius, in quo versatur ignorare, quo magis principi turpe, quẽ quotidie iuridicẽdo præsidere conuenit, id ignorare in quo versatur, atq. aliena semper niti prudentia? ex aliena tanquam asinus aures motitans pendere sententia? aut saltem non intelligere iustène, an iniustè quis pronunciauerit? æqua an iniqua consuluerit? Socrates dicere solitus: Vti absurdũ est artem profiteri*

Socratis sententia. *quam quis nõ dedicerit, & clauo aßidere, qui nauticæ artis imperitus: Sic multò absurdius Reipublicæ administrationem suscipere, eum qui politicæ philosophiæ sit ignarus. Iuris autem ars cum immenso pelago diffusa sit, & principem tot negotijs vndique auocantibus non vacet Iureconsultorum syluam euoluere, sed paucis ei philosophandum, diligentis & eruditi fuerit institutoris è Iureconsultorum scriptis, velut ex Iu-*

 stiniani

stiniani Institutionibus, è Codice, è Nouellis, è Pandectis, è Legibus XII. *Tab. scripti iuris veluti epitomen contrahere, præsertim eorum, quæ vt plurimùm vsui esse poterunt. Item consuetudines Feudorum, in primis autem patrias leges nosse oportet, atque Deuteronomium, omnia autem ad Euangelicas leges examinanda, maximè ad eam regulam:* QVOD TIBI NON VIS FIERI, ALTERI NE FECERIS. *Semper ad manum habeat locos quosdam communes Iurisprudentiæ, ad quos in deliberationibus & controuersijs confugere possit.*

Linguas præter vernaculam, latinā præcipuè callere conuenit, nam ea ferè totus Christianus orbis vtitur, adhæc vicinarum regionum, qualis est Germanis, Gallica, & Gallis Germanica. Caroli quarti sanctione, quæ aureæ bullæ titulum habet, promulgatum, vt liberi & successores electorum statim à septennio linguis Latinæ, Gallica & Vuandalica instituantur, quas liuguas Imperator necessarias existimauit, propterea quòd eos, qui imperij Romani veluti columnæ futuræ essent, cōueniret earum gentium linguas callere, quæ imperio subijcerentur, nimirum, vt in Imperio negotijs Cæsari assidentes simul, & intelligere, & in deliberationibus cōsulere, ac pro nata ijs vti queant. In hunc vsum Xerxem non piguit viginti duas linguas ediscere, quòd subditos totidem linguis distinctos haberet. Themistocles intra annum Persicam linguam didicit, quo citra interpretem, cum rege loqui posset. Plurimùm enim refert principes citra interpretes colloqui posse. Nam liberius agunt, & ipsi sæpe conficiunt, quòd per interpretes non perinde succederet. A maioribus meis accepi Vuilhelmum Iuliacensem Ducem, auum tuum maternum, vbi magnis sumptibus profectionem ad regem Galliæ arduorum negotiorum causa suscepisset, atque eius linguæ ignarus coactus fuisset per interprepretem loqui, magno redimere voluisse, si vel paucula verba cum rege citra interpretem loqui potuisset. Et tuæ adolescentiæ profuit plurimùm, quòd cum Imperatore, cum regibus ac principibus externis, Gallica simul & Latina lingua vti licuerit, quas puer etiamnum didiceras, atq; præter has etiam Græcæ atque Hebraicæ characteres atque rudimenta degustare vltro volueris. Hactenus de disciplinis & linguis.

Linguarū cognitio principi necessaria.

Caroli IIII. aurea bulla.

Xerxes.

Themistocles.

Vuilhelmus Iuliacens. dux II.

Gymnastica & corporis exercitia. Militaria exercitia & armorum tractandorum tyrocinia.

Artes autem & exercitia corporis, in quibus oportet principem esse instructum, præcipuæ sunt militares. Quanquam in pueritia quibusdam etiam alijs ad robur corporis, ad agilitatem ac labores ferendos uti nihil impedit, qualis est pilæ, disci iactandi, saliendi. Nicias apud Platonem contendit eam facultatem ingenuis adolescentibus parandam, per quam habitus corporis robustior acquiratur, & quæ in pugna & acie certaturis usui esse poterit, δοκεῖ γὰρ, *inquiens,* τοῦτο τὸ μάθημα τοῖς νέοις ὠφέλιμον εἶναι ἐπίστασθαι πολλαχῇ. *Inter præcipuas circa militiam artes habetur equestris, ea ferè omnium optimè discitur, cùm equus adulari nesciat, & principem sessorem perinde atque plebeium excutiat. Neque laude sua caret, si quis equum scitè instigando cohibendoque gubernare queat: Alexandrum ferunt cùm Bucephalus equus à Philippo Magno emptus ferocior videretur, quàm ut aliquem ex aulicis Philippi recipere vellet sessorem. Ipse contemplatus equum imperitè, inquit, & mollius equum tractant, correptumque aduersus solem constituit, animaduerterat enim equum umbra terreri, quare circumductum leniter blandeque contrectãdo, cùm nihilominus ferocius naribus spiraret, reiecta chlamyde, se iuueniliter attollens equum conscendit, acriterque ac scitè laxatis habenis circumduxit. Philippum primò solicitudo cœpit, ut autem ille lætus retorquens habenas equum incitauit, omnium admiratio secuta est. Paterque verò gaudio illachrymans descendentis caput exosculans ait, aliud fili regnum tibi par quæras, nec enim te Macedonia capit. Tyrocinijs primùm leuioribus principem, pòst liberioribus, veluti concursibus hastilium & dimicationibus cataphractorum ac iaculationibus exerceri oportet. Pedestris quoque pugnandi ars, quæ partim gladio exercetur, partim hasta, missilibusque; & hæc velut gymnastica adolescentiæ principis non negligenda. His adde iaculandi exercitium, quibus proximum, sed periculosum bombardæ & bellicarum machinarum tractandarum studium. In his & fabricandis & utendis mirum fuisse artificem Demetrium regem tradunt. Adde natandi peritiam, quæ sæpe maximos principes in grauissimis periculis seruauit, Nam de Iulio Cæsare proditum, cùm ab hostibus extremè urgeretur, natando discrimen euasisse, & altera manu.*

Plato in Lachete.

Equitãdi ars optimè disci tur à principibus.

Alexandri in equitando dexteritas.

Plutarch. in Alexand.

Plut. in Dem.

Natandi exercitium.

Plut. in Cæs.

manu sublata commentaria seruasse. Augustus traditur nepotes suos ipse natandi artem, & literas docuisse. Cato filium suum ipse edocuit rapidos fluuios natare. Conuenit autem principem ad omne armorum exercitijque genus tractandum erudiri. Id quod non laude solùm in principe dignum, verumetiam in omnem euentum vtile, si ad omnia exercitia sit appositus. Sic depingit Sillius Italicus indolem Scipionis:

Cæs. in Comment. Sueton. in Aug. Plut. in Catone. Sillius Italicus lib. 8.

Ipse inter medios ventura ingentia laudis
Signa dabat, vibrare sudem, transmittere saltu
Murales fossas, vndosum frangere nando
Indutus lorica vadum, spectacula tanta
Ante aciem virtutis erant, sæpe alite planta
Ilia perfossum, & campi per aperta volantem
Ipse pedes præuertit equum, sæpe arduus idem
Castrorum spacium & saxo transmisit & hasta. &c.

Terentius senex Pamphili ingenium ex hoc amatum dicit, quòd non vnius rei, cui adolescentia dedita esse solet, studiosus esset, sed omnia mediocriter, & sic cum omnibus versabatur, vt se nemini præponeret, sic enim citra inuidiam laudem meruisse, ita vt Chremes illius indole illectus filiam cum summa dote offerret. Impensè commendat principem, si omnibus honestis exercitijs sese accommodet, atque in omnibus mediocriter valeat. Qualem commemorat Liuius fuisse M. Valerium Coruinum, qui in ludis militaribus, cum velocitatis viriumque inter se æquales certamen ineunt, comiter facilis vincere erat, & vinci vultu eodem, nec quenque aspernari, parem qui se offerret, factis benignus pro re, dictis haud minus libertatis alienæ, quàm suæ dignitatis memor. Cyrus socios non prouocabat ad ea, quæ se melius tenere sentiebat, sed in quibus sciebat se inferiorem. Idem rogatus à matre, quare apud auum manere vellet: Quia, inquit, domi coætaneis meis iaculando superiorem; hic autem quia video me in equitando inferiorem, molestum mihi est. Quare si hic me reliqueris, & equitandi artem didicero, cùm ad Persas rediero, facilè me arbitror fore superiorem. Sicut Imperatorem non modò pugnare in acie oportet, sed tenere artes etiam regendi militis, instituendæ

Ad omnia mediocriter adolescentia exercenda.

M. Val. Coruinus. Liuius lib. 7. Dec. 1.

Cyr. modestia. Xenophon pediæ. lib. 1.

aciei: fallendi, eludendi hostis. In quem vsum strategemata Frontini, Aeliani de acie instituenda, & Vegetij de re militari libelli legendi. Atque vt semel finiam prudentia multarumq́, rerum experientia opus est principi, nimirum vt de rebus aptè iudicare, delicta coërcere, ordinare, munire statum ciuitatis, iniuriam subditorum arcere, in rebus gerendis occultas technas & imposturas prohibere sciat.

Prudentia principi necessaria.

De morum politicorum tyrocinijs, ac primùm de iustitia. Caput XIIII.

AC verò his fundamentis religionis & literarum iactis, mox adultiori tradantur morum & literarum exactiora exercitia, in primis autem iustitiae, quàm alterum & proximum esse à Religione diximus, administrandae Reip. fulcimentum. Et alia quidem est iustitia vniuersalis, quam τελείαν *vocat Aristoteles, vnà omnium inter homines virtus absolutissima, quae omnes virtutes, omniumq́, virtutum ac legum obedientiā complectitur, & sine qua nulla virtus perfecta, vt Iustinianus declarat. De iustitia autem fidei & Euangelica, qua soli credentes iusti reputantur, aliàs dicetur, nunc de ciuili loquimur. Alia autem particularis iustitia,* ἡ κατὰ μέρος δικαιοσύνη *suum cuique tribuens, vt Plato Simonidem imitatus definit. Vlpianus constantem & perpetuam esse voluntatem suum cuique ius tribuendi respondit. Atque haec propria virtutis species in aequalitate consistit, siue id proportione Geometrica fiat, pro rerum personarum ac circumstantiarum conditione, velut in muneribus decernendis, alia enim munera senibus, alia iunioribus competunt. Et in poenis infligendis, nō enim omnes iisdē poenis coërcendi, et haec distributiua* διανεμητικὴ *dicitur, vt Aristoteles docet. Siue Arithmetica proportione puta in commercijs & contractibus, quae in aequali rerum pensatione versatur, omniaq́ ad Arithmeticam aequalitatem exigit, vt in homicidio nihil interest, seruus an liber occisus. Nam quantum ad L. Corneliam de Sicarijs, omnes sunt aequaliter homines, & haec commutatiua dicitur, hoc est,* ἀλλακτική. *In vtraq́ aequalitas spectatur, ac iubet Aristoteles eā sumi in distributi-*

Iustitia alterum Reip. fulcimentum.

Noutel. const. 68. ξη.

l. iustitia. ff. de iust. & iur.

l. semper. ff. de iur. immun.

l. nō omnes. ff. de re mil.

Lib. Eth. 5.

l. 1. ff. ad l. Cor.

ſtributiua proportione Geometrica, in commutatiua proportione Arithmetica. Apud Perſas pueri in ſcholis iuſtitiam diſcebant vti apud nos literas. Cumq́ Cyro in iudicio puerili proponeretur, quod grandior breui tunica indutus, alteri puſillo longiorem induto eripuiſſet data huic breuiore. Cyrus præpoſtero iudicio grandiori longiorem tunicam adiudicauit, quare eo nomine vapulaſſe Xenophon ſcribit, quòd oblitus iuſtitiam, vim perhibere, & ſuum cuiq; tribuere, quòd in diſcernenda æqualitate errasſet vſus Geometrica pro Arithmetica proportione. Porrò cùm homo ad ſocietatem conditus ſit, ſocietas niſi iuſtitia contineatur (quæ petulantiam, cupiditatem, iniurias coerceat) diu ſubſiſtere non poterit. Siquidem iuſtitiæ munus eſt, honeſtè viuere, ius ſuum cuique tribuere, neminem lædere, bonos ac benemeritos fauore, honoribus proſequi; ſontes punire. Princeps autem huius ſocietatis cuſtos, Deique vicarius futurus, qui non ſolùm militarium armorum ſcientia, ſed & iuſti & iniuſti cognitione inſtituendus, ſedulò docendus iuſtitiam, cum apud omnes homines, tum apud principem virtutum omnium reginam eſſe, per quã primùm principes euecti, vt eſt apud Herodotum, de Deioce ſcribentem, qui propter ſingularem iuſtitiæ exiſtimationem apud Medos primus Rex creatus, vt publicè præeſſet cæteris, ac ius diceret, priuatis etiam liceret ſuis rebus obeundis liberius vacare. Conuenit igitur principem in tempore ad iuſtitiæ curam aſſueſcere, vt diſpiciat ne cui fiat iniuria, néue humiles à potentioribus opprimantur, vt controuerſiæ componantur, diſcat ſubditorum cauſas, querimonias libenter audire, iuſtitiamq́ue propter pacem tueri. Nulla enim pax poterit eſſe diuturna, vbi iuſtitia deſideratur, vbi neque facinoroſi coërcentur, neque boni defenduntur, vbi regiones malis hominibus non purgantur, vbi iudicia corrupta, vbi conſiliarij & officiales largitionibus obnoxij, ibi lites, ſeditiones, bella oriri neceſſe. Suggerendum iuniori principi, quòd ſi cui fiat iniuria, hanc totam in principem veluti cuſtodem populi redundare, non ſat eſſe officialibus atq; præfectis cõmittere, quin inſpiciendum gnauiter ac vigilandum, vt illi officio perfungantur. Vbi princeps iuſtitiam tuetur bonos defendẽdo, malos puniendo, hic feliciter

Cyri iudiciũ puerile.

Lib. 1. Pediæ.

Iuſtitiæ præcepta.

Iuſtitia regina.

Herod. in primo.

Non eſſe omnia officialibus concredenda.

Prouerb. 29. 3. Reg. 3. Dan. 13. Iustitiæ imago. Gell. lib. 14. 4.

ter omnia cedere. Sedes enim regis quæ verè iudicat pauperes perpetuò fortunata erit, inquit sapiens rex, proponenda Dauidis & Salomonis, Iosaphat, Danielis iudicia. Item iustitiæ ex Gellio descriptio, quæ forma & filo virginali, aspectu vehementi & formidabili, oculorum luminibus acribus, neque humilis, neque atrocis, sed reuerendæ cuiusdam tristitiæ dignitate depingitur. Ex qua imaginis significatione Chrysippus intelligi voluit principem ac iudicem, qui iustitiæ antistes est, esse oportere grauē, sanctum, seuerum, incorruptum, inadulabilem, contraq́ improbos, nocentesq́ immisericordē atq́ inexorabilē, vi & maiestate æquitatis, veritatisq́ terrificum. Hinc est quod iudices pinguntur sine manibus & oculis, quæ picturæ vtiliter pueris, qui his delectari solent, proponi poterunt. Semper meminerit princeps illius oraculi Christi: QVOD TIBI NON VIS FIERI, ALTERI NE FECERIS.

Christi regula.

Aequitas.

Porrò iustitiæ ac iuris veluti temperata adhibetur æquitas, quæ ab Aristotele ἐπιείκεια *dicitur, & Clementia. Æquitas aut si mauis æquum & bonum iuris stricti rigorem mitigat, è rerum personarum, locorumq́ circumstantijs colligens quid fieri aut non fieri oporteat, quam Cicero iustitiæ maximè propriam tradit. Atque de hac Vlpian. Hoc ait æstimare oportet, eum qui ius dicit pro conditione causæ vel personæ, vel temporis, & ita ordinem edictorum & compendium moderari. Cùm lex homicidium capite plectit, non intelligendū esse de fortuito, & quod defensionis causa sit æquitas docet, sed de homicidia petulanter ac dolo facto. Trebonius miles, quod C. Lusium præfectum occiderat, stuprum inferre volentem, non modò absolutus est à Mario, sed etiam corona, qua insigniri solebant præclara facinora petrantes, donatus. Non igitur apicibus iuris & maliciosæ callidæq́ interpretationi forensiū rabularū inhærendum, quam Cic. pro Muræna eleganter illudit, sed è circumstantijs, vt diximus, iura metienda. Omnis enim scientia, quæ est remota à iustitia, calliditatem potius quàm sapientiam appellandam, Cicero ex Platone tradit. Hinc est quod veteres dixerunt, summum ius, summam iniuriam esse. Plærunq́ enim sub auctoritate iuris periculosè erratur, vt Celsus respondit.*

Off. 1. L. Et si quis. § hæc notio. § & generaliter. ff. de reli. L. nōnunquā ff. de Iudic. L. Scientiam. § qui cum aliter. ff. ad L. Aquil. Plutarchus in Mario.

Off. 1. L. Si seruū. ff. de verb. oblig.

Caput

Caput XV.

Clementia.
De Inuentione lib. 2.
Lib. 2. de Clementia.

ALterum Iuſtitiæ ac Iuris temperamentum eſt Clementia, quam Cicero definit eſſe, per quam animi temerè ad vindictam concitati comitate retinentur. Seneca temperantiam animi in poteſtate vlciſcendi vel lenitatem ſuperioris aduerſus inferiorem in conſtituendis pœnis deſcribit, quæ virtus maximè principes decet. Nihil enim laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate & clementia vti grauiter ab eodem Cicerone dictum, cui accinit Poëta: Sola Deos æquat clementia nobis. Ab hac principes appellantur clementiſſimi, eamque maximè cõuenit exercere in eos, qui magis imprudentia peccauerunt quàm propoſito & dolo. Clementia eſt moderari pœnas eorum, qui ſunt ſanabiles. Inſanabiles autem tanquam deplorata membra, ne alia inficiant, è medio tollere. Ad clementiam pertinet patienter auſcultare querelis ſubditorum, neminem triſtem, ſi qua fieri poſſit, à facie principis dimittere. Thronus regis fulcitur clementia.

Seueritas Reip. Cauſa neceſſaria.
Rom. 13.
Seneca de trãquillitate c. 4

Clementia & manſuetudo ita adhibenda, vt non negligatur Reip. cauſa ſeueritas, ſine qua hæc adminiſtrari rectè non poterit. Nimia enim lenitas licentiam plærunque parit, ſiquidem non fruſtra gladium geſtat magiſtratus, inquit Paulus. Fronto de Neruæ imperio dicere ſolebat: Malum eſſe eum imperare, ſub quo nemini quicquam licet: ſed peius, ſub quo omnia licent. Non decet res ciuiles nimia verecundia & miſericordia, ſed firma potius frons, vt Seneca ait, & ſuperius in iuſtitiæ imagine declaratum eſt. Celebratur Aeſchinis dictum, inanem eſſe Rempublicam vbi pœnarum nerui deſiderantur in facinoroſis coërcendis, οὐδὲν εἶναι ὄφελος πόλεως, ἥτις μὴ νεῦρα ἐπὶ τοὺς ἀδικοῦντας ἔχει. *Temperanda autem ſeueritas iuſtitiæ clementià, decetque omnem caſtigationem contumelia vacare, neque ad eius, qui punit aliquem, aut verbis caſtigat, ſed ad Reip. vtilitatem referre. Inuitum ad ſupplicia venire oportet, perinde atque eum, qui membrum deploratum cogitur reſecare, ne totum corpus corrumpatur & pereat.*

Puniendi ratio.

Cauendum ne quid iratus committas, iratos enim de poteſtate exiſſe,

N id eſt,

Iratos nihil rectè facere. Tuscul. lib. 4.

id est, de consilio, de ratione, de mente, vt Cicero interpretatur. Græci ἐξεστάναι, eleganter dicunt. Colligere igitur seipsum prius debet iratus, & dissipatas animi partes rursus in suum locum congerere, donec ardor animi inuita ratione excitatus deferuescat, ne per iram aliquid vel dicamus aut faciamus. Res, inquit Xenophon, inconsiderata est ira plærunque, designans, quorum post pœniteat, ἀπρονόητον γὰρ ἡ ὀργὴ ὥστε πολλάκις ἐξεργάζεται ὧν μετανοεῖν. Basilius iram quemadmodum & reliquas animi affectiones impotentiores ebrietatis nomine appellauit. Qua si quis transuersum rapi se patiatur, eum in semet latrocinium exercere dixit Socrates.

Alexãdri irati impotẽtia.

Alexander Magnus vino incalescens Clytum charissimum, & secum educatum parum adulantem, & Persicam molliciem detestantem inter epulas confodit. Cuius facinoris posteà tanta pœnitentia ductus est, vt nisi fuissent qui impedirent, in seipsum traiecisset. Ira præcipitãtia Iudas occidit Thamar, Saul Sacerdotes interemit, adeò in Dauidem excandescens.

Princeps propria manu non cædat.

Monendus iunior princeps, ne sua manu quenquam cædat, è talitro ad pugnum, hinc ad fustem venitur, & ad ferrum, inquit ille. Sic igitur assuescere conuenit, vt in omnibus exercitijs & ludis ira reprimatur. At omnino non irasci hominis est affectibus prorsus carentis, vt Peripatetici dixerunt (iracundiam enim & indignationem, hoc est, τὸ θυμοειδὲς, quasi dicas animositatem, Plato cotem appellauit fortitudinis, non autem furorem & impotentiam animi, ὀργιλότητα.) Nam iræ locum dare furiosæ prorsus est beluæ.

Iracundiam cotem fortitudinis esse. Plato de ll. lib. 6.

Basil. psal. 41.

Iracundia aliquando est heroicus motus, quoties vitijs rebusque indignis irascimur. Talis fuit in Mose cum Aegyptium in Israelitam sæuientem occideret, & Phinees iusta ira in scortatores commotus eos interemit, reputatumque illi est ad iustitiam, vt Psaltes testatur.

Mosis indignatio. Exod. 2. Phinees. Num. 25. Psal. 106.

Tusc. quæst. lib. 4.

Verùm enimuero vlciscendæ priuatæ iniuriæ libidinem, vt Cicero definit, ab omni forti viro & excelso animo, in primis autem à principe, oportet esse alienam. Ferunt Iulium Cæsarem, tàm in administranda Republica quàm in victoria & hostibus vlciscendis mirabili vsum moderatione. Dauidem quoque singularem priuatæ iniuriæ contemptorem.

Iul. Cæsaris moderatio.

Dauid.

rem proponere licet, quid enim non perpessus à Saule, à Semei & filio suo Absolon. Adde insigne moderationis exemplum Ludouici XI. cum ciues suos Lutetiæ cerneret cum Carolo Burgundo de regno constituendo agitare. Magna profectò laus & heroico pectore digna posse priuatæ iniuriæ obliuisci. Plato censuit Reip. non esse vtiles ira præcipites, animique impotentia præditos, quare si hanc præcipitantiam in puero principe deprehendimus, sedulò hortandus cohibendusque, ne quid præcipitanter agat, sed seipsum reprimat, colligatq; ac differat in tempus aliud, dum ira deferuescat. Quod si natura asperitatem peperit ea coercenda moderatione ne erumpat, Reuereantur affectus aduentum rationis, veluti viri venerabilis conspectum puerorum immodestiam sistentis. Sic iræ incommodum euitabimus, si persuaserimus iræ, ne rationem præuertat, atq; hanc velut ἡγεμονικὸν reuereri discamus, iramq; & affectus rationis freno, tanquam equum indomitum cohibeamus. Cogitandum maximis monarchis sæpe dolorē moderatè ferēdum, iniuriam dissimulandā, iramq; reprimendam. Laudatur illud Architæ, qui cum vilico esset iratior, Quo te modò, inquit, accepissem, nisi iratus fuissem?

Fortitudo maxima. Philippus de Caminis li. 1. de Ludouic. XI. Ludouic. XI. Rex Gallo. Præcipites ira ad Remp. nō sunt idonei. Architas. Cic. Tusc. q. lib. 4.

Theodosius Imperator, cùm ob aulicum quendam ludis Circensibus occisum Thessalonicæ ingentem multitudinem trucidari iussisset, ab Ambrosio obiurgatus, monitusq; est, vt iratus nihil statueret, antequā viginti quatuor literas Græcas recenseret, vt videlicet interim iræ cōcitatio illa temporis interuallo languesceret. Fuitq; hæc præcipitantia legis ferendæ causa, quæ hodiè extat in Codice Iustiniani, qua cauetur, si quis Cæsareo edicto occidi, iussus executio sententiæ ad triginta dies prorogetur.

Theodosius. Euseb. Eccle. histo. lib. 9. Lex Theodosij. C. de pœn. l. si vindicari.

Quare non improbanda pueritiæ pædagogia, cùm eos, qui ira vincuntur, dicimus asino vehi, nimirum vt ab iræ impotentiæ deterreantur. Depingenda irati deformitas, facies liuida, oculi micantes, toruus vultus, ora fœda, quæ quantumuis pulchra ira reddit deformia, linquit enim omnis decor iratos. A vino & temulentia inprimis cauendum, nā si hæc accedat prorsus in trunculentā beluam degenerabit iratus, vt paulò ante in Alexandri exemplo declaratum. Quid enim ebrietas non designat? præsertim si præcipitantem & alioqui furiosum occupet? nam

Irati deformitas. de ll. lib. 2.

De ll. lib. 2. *id esset ignem igni addere, vt Plato prudenter docet, dum negat pueris ante decimum octauum annum vinum bibendum, ne calor vini ad ætatis feruorem accedat. Remouenda hominum furiosorum consuetudo, transit enim arcano quodam contagio vitiorum familiaritas.*

Sæpenumero principes initiò sunt miti ingenio, qui vbi adoleuerint in truculentiam degenerant, iuxta vulgare dictum: Jung Herrn / jung Bärn / Alt Herrn / alte Bärn. *Proinde qualescunque sint in pueritia, vndecunque à truculentia sunt retrahendi, & ad mansuetudinem ducendi. Cùm autem principes ferè vel ambitione vel voluptatum illecebris, luxu, crapula, vel denique ira vincantur, monendus puer est, maiorem fortitudinis laudem esse hæc monstra vincere, quàm hostes potentissimos bello superare, sic Claudianus alloquitur Honorium:*

Jung Herren Jung Bäre.

Fortitudo maxima.

Claudian. Panegyrico in 4. Consulat. Honorij.

Te Medus mollisq́ Arabs te Seres adorent,
Si metuis, prauaque cupis, si duceris ira,
Seruitij patiere iugum, tolerabis iniquas
Interius leges, tunc omnia iure tenebis,
Cum poteris Rex esse tui, procliuior vsus
In peiora datur, suadetque licentia luxum,
Illecebrisq́ effrena fauet, tunc viuere castè
Asperius cum prompta Venus, tunc durius iræ
Consulitur, cum pœna patet, sed comprime motus
Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit.

Hac fortitudinis virtute freti heroici viri in Deorum numerum sunt relati, vt testatur Plato. Hæc in excelsi animi magnitudine constituta non patitur vel ira, vel ambitione vel auaritia, vel denique voluptatum illecebris transuersum rapi, neque in aduersis deijci aut frangi, neque desperare propter ignauiam, neque confidere propter cupiditatem: Sperat enim infestis, metuit secundis,

In Lachete. Cic. 2. de na. Deorum.

Alteram sortem benè præparatum
Pectus.

Iam verò quo amabilior clementia hoc detestabilior crudelitas. Est enim naturæ, quam maximè sequi debemus, maximè inimica crudelitas.

tas. Quis non deteſtetur crudelitatem Phalaridis, qui æneo tauro, ſubiecto igni homines viuos exurebat, vt pro vlulatu humano mugitum ederent morientes, ne eiulatus humanæ vocis tyranni miſericordiã implorare poſſent, quã quia calamitoſis deeſſe voluit, teterrimũ artis ſuæ opus primus artifex incluſus meritò expertus eſt. Huc pertinet Aſtyagis truculentia, qui Harpago amico fideliſſimo filium epulandum propoſuit, quòd Cyro exponendo pepercerat, vt Herodotus tradit. Quod immanitatis exemplum ſecutus eſt Cambyſes, quem cum Traxexanpes inter amicos clariſſimus vino nimis deditum admoneret, vt parcius biberet, turpem eſſe dicens in rege ebrietatem, quem oculi omnium aureſq; inſequerentur. Ad hoc ille, vt ſcias, inquit, quam mihi non excidam, approbabo & oculos in officio eſſe & manus. Bibit deinde liberalius & capacioribus ſcyphis, & iam vinolentus obiurgatoris filium procedere vltra limen iubet, alleuataque ſuper caput ſiniſtra manu ſtare, ſumptoque arcu cor adoleſcentis figit. Id enim ſe petere dixerat, reciſoque pectore hærens in ipſo ſpiculum oſtendit, & reſpiciens patrem, an ſatis certam haberet manum interrogauit. O cruentam beluam, ô dignum, inquit Seneca, in quem omnium ſuorum arcus verterentur. Atque vtinam, inquit idem Philoſophus, ea feritas inter peregrina manſiſſet exempla, nec in Romanos mores cum alijs vitijs irarumque barbariè tranſiſſet. M. Mario, cui populus Romanus ſtatuas poſuerat, cui thure ſupplicauerat, Sylla crura perfringi, oculos erui, manus abſcindi iuſſit, & quaſi toties occidit, quoties vulnerauit, cuius ſupplicij fuit miniſter Catilina. Eodem referri poterunt Ptolomæi exempla, qui filium, quem è ſorore ſuſceperat, vxore præciſis pedib. capite ac manibus in ciſta chlamide opertum pro munere natalitio matri miſit; iuuentutem gymnaſio incluſam igne atque ferro necauit. Eiuſdem immanitatis extant Neronis, Commodi & aliorum plurium monſtrorum, potius quàm principum exempla, quæ meritò futuros principes admonere deberent, vt dum adhuc flecti poſſunt, affectuum impotentiam comprimere diſcerent.

Crudelitatis deteſtatio. Cic. epiſt. ad Caſſ. lib. 15. & Offic. 3. Phalaridis taurus. Val. Max. lib. 9. Herod. lib. 1. Aſtyagis in Harpali filiũ crudelitas. Cãbyſis truculentia. Seneca de Ira. lib. 3. Syllæ crudelitas in Mariũ. Val. Max. lib. 9.

De Liberalitate. Caput XVI.

CVM Iustitia Cicero coniungit Liberalitatem & Beneficentiam, siquidem Iustitiæ potissima pars est suum cuiq; tribuere, vt videlicet in vnumquenq; pro dignitate simus benefici. Liberalitatis duo maximè probabiles fontes, iudicium verum, & honesta beneuolentia, quando his nititur liberalitas, tunc maximè eius ratio constat. Videndum igitur principi vt beneficentia non temerè vtatur, ne in moriones, adulatores, malorumq; artium homines sit munificus magis quàm in bonos, egentes, eruditos, ac virtutibus insignes. Antoninus Imperator theatricos & saltatores, mimos, scenicosque artifices, ad imperij dignitates ac procurationes prouinciarum prouexit cum magno posteritatis opprobrio. Id quod Christiani pleriq; non verentur imitari, adulatores & histriones opibus augentes & dignitatibus, in voluptatum architectos facultates amplissimas profundentes, cùm potius in pauperes et calamitosos atq; adolescentes ingenio præstantes deceret esse liberales, nec enim deserenda sunt communia membra in Christo, in quibus maximè reficitur aut læditur Deus. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, clamabit, & ipse nec exaudietur. Considerandum quoque ne maior sit benignitas, quàm facultas. Quare Cicero iubet cautionem habendam, vt ea liberalitate vtamur, quæ prosit alijs, nemini noceat. Nam qui alijs nocent, vt in alios liberales sint, in eadem sunt iniustitia, & qui à subditis & alijs per fas & nefas emungunt, aut malis rationibus pepererunt, id si in pauperes, aut templa monasteriáue conuerterint, id neque Deo gratum, neque liberalitas censenda est. Nihil enim liberale quod non iustum. Adde eum qui gratificatur alicui, si obsit cui prodesse velle videtur, non liberalem sed perniciosum assentatorem existimandum. Liberalitate ac munificentia multi principes fauorem sibi & gloriam pararunt. Laudatur Cyri liberalitas etiamnum pueri, quòd dimensum sibi non seruarit, sed liberaliter in suos distribuerit, & institutores & benemeritos, quodq; vestem splendidam ab Astyage donatam vltrò æquali donârit, referuntur & alia pleraq; liberalitatis monumenta, à Xenophonte plerisq; locis

[Margin notes: Val. Max. — Herodian. in Anton. — In pauperes liberalitas exercenda. — Prouerb. 21. — Pediæ lib. 1. et 8. & Anabas lib. 1.]

locis de vtroq; Cyro. Mamea Alexandri Imperatoris mater filio pecuniam dare solita est, quàm benemeritis distribueret, vt fauorem sibi conciliaret. Ludouicus Gallorum rex liberalitate multum profecit, muneribus plurimos reconcilians offensos, aut quos putabat nocere posse. Tit. Vespasianus diem perijsse dicebat, si quo die nullum beneficium in aliquem collocasset. Pluris fiunt, quæ principibus donantur quàm quæ à priuatis, etiamsi viliora, vt Xenophon testatur.

Herodian. in Alex. Ludouicus XI. Gallorũ Rex. Phil. Cam. Titus Vespasianus. Sueto. in Tit.

De Fide & Veritate. Caput XVII.

HOC *loco addendum Iustitiæ fundamentum esse Fidem, hoc est, dictorum conuentorumque constantiam & veritatem, vt Cicero definit. Magnæ, inquit Pindarus, virtutis principium veritas,* ἡ ἀλήθεια ἀρχὴ μεγάλης ἀρετῆς. *Vnde legem illam* XII. *Tab. diligenter curare conuenit, qua cauetur* PACTA SERVANTVR. *Paulus quoq; Apostolus pactorum violatores tanquam impios execratur. Neque solùm exigere hæc princeps ab alijs, verùm ipse etiam præstare debet, vt superius ex Claudiani ad Honoriũ admonitione fiant: vsq; adeò oportet principem per omnem vitã veri, dictorum, promissorumq; esse obseruantem, vt illius dicto citius certiusq; quàm aliorum iureiurando fides habeatur, ad quem modum Nicoclem docet Isocrates iusiurandum maximum, & testimonium validissimum sua cuiusque fides, inquit Dionysius Halicarnass. & Hilarius Episcopus fidei constantiã in Germanis vnicè commendat, Christus enim veritas est, quare Christianos maximè decet veritatis tenaces esse, vtque fucus & dolus absit. Attilius regulus cum à Pœnis lapsus esset, atq; de captiuis mittendis Romã missus fide data se rediturum, ad suppliciũ redire maluit, quàm fidẽ licet hosti datam fallere. Carolus Burgundus notatus est, quòd Conestablium Franciæ, cui fidem dedisset, atque accersiuisset, eundem necandum tradiderit, quamobrem secuta ob id irati Dei grauis vindicta, qui nullum maleficium inultũ relinquit. Quibus igitur principem sustinere conuenit potius quàm promissis*

Fides & Veritas conuentorum. Offic. 1. Plutarchus in Mario. Pacta. Dictorũ promissorumq; præstatio. Hilar. de Trinit. lib. 12. Reguli fides. Carolus Burgundus.

missis dictisúe non stare. Memor sit illius: ANTEQVAM PROMITTAS DELIBERATO, *Vbi autem promiseris, præstato. Circunspectus sit princeps, ne vsquam erumpat verbum, quod suspicionem mendacij aut leuitatis præbere possit. Non citò res nouas euulget, etiamsi veros certosque, tamen principem rumores spargere parum decorum, quandoquidem vulgus cum principem auctorem habet, facilè de suo aliquid assuit famæ sparsæ. Plutarchus scribit tonsorem quendam apud Athenienses, cum ingens clades in Sicilia acceperat, cuius ipse famam in Pyræo forte à fugitiuo acceperat, relictaque tonstrina in ciuitatem rumorem attulisset, orta inde perturbatione in concione auctor rumoris flagitatus, quem cum edere non posset ad quæstiones trahi, atque rota extendi iussum. Dauid eum, qui casum Saulis nunciauerat, occidi iussit, supplicium pro Euangelio præbens. Ananias & Saphira ob mendacium subita morte sublati. Vsque adeò à mendacijs & futilitate abhorrere graues, & in primis principes viros decet. Epaminondas, ne per iocum quidem mentiendum putauit, vt refert Aemilius Probus. Quod si semel princeps mendacijs & futilitati assueuerit, ministros totamque aulam habebit mendacijs obnoxiam. Sic ait sapiens: Princeps qui delectatur mendacio, omnes ministros habet impios, cui succinit Psaltes, volens à principis aula abesse mendacia & fraudes, loquens falsitatem non dirigetur in conspectu oculorum meorum.*

[Res nouas nō temerè spargendas.] [περὶ ἀδολεσχίας.] [2. Reg. 1.] [Act. 5.] [Mendacia vitanda.] [Prouerb. 29.] [Psal. 101.]

De temperantia. Caput XVIII.

Temperantia quasi quidam ornatus est vitæ, in qua modestia, omnisque sedatio perturbationum animi, & rerum modus cernitur. Socrates apud Platonem inter virtutes morum primum locum tribuit temperantiæ, eaque inprimis nobiles & heroicis dotibus adolescentes instituendos censet, nimirum vt hac ipsa veluti sustentaculo lubricitas eius ætatis sustineatur, cæterisque virtutibus veluti præparamento temperetur. Habet hæc plures virtutum comites, etiam quod Latinè decorum, Græcè τὸ πρέπον dicitur, complexa. Et quanquam propriè frænandis vo-

[Plato in Charmide.] [Decorum.]

dis voluptatibus vehementioribus adhibetur velut alexicacon, attamen in cohibendis etiam affectibus admouetur, ne videlicet degeneremus in bruta, & quicquid viriliter, magnoque animo fit, id dignum viro & decorum existimatur. Iusta omnia decora, iniusta indecora censenda. Inter huius virtutis comites numeratur sobrietas & continentia, verecundia, modestia. Et quanquam alij alias praeferant, nos so[...]tati in victu primas tribuimus, vt quae crapulae ac temulentiae coërcendae adhibeatur, haec si negligatur, de alijs virtutibus retinendis parum spei relinquetur. Est enim mater & altrix, atque adeò conseruatrix omnium virtutum, immò sine qua nihil vel in aulis principum, nihil in ciuitatum curijs, vel populi concionibus, nihil denique in publicis vel priuatis, rectè consultum facto praestatur. Nam siue precandum, siue seriae aliquid rei agendum, omnia sobrius melius confeceris, quàm crapula obrutus. Vnde Graeci vt ostenderent mentem humanam in sua dignitate consistere non posse sine sobrietate, virtutem hanc insigni vocabulo σωφροσύνην nominarunt, linguae videlicet proprietate significare volentes, quanta virtus sit mentis conseruatio. Contra verò incontinentiam, ebrietatem, & crapulam vitiorum omnium fomitem, corporis & animi pestem ac peruersionem. Vt taceantur valetudinis incommoda, morborum fomenta è crapula proficiscentia. CRAPVLA *plures pereunt quàm gladio, quare à Theodoreto voluntaria insania, à Chrysostomo voluntarius appellatur daemon, αὐθαίρετος δαίμων, qui mentis omnem vsum peruertit, omnem humanae vitae dignitatem deturbat, ad omnia officia inutilem reddens, nihil rectè agi sinit. Quid enim homine ebrio vel turpius vel foedius, nihil profectò à trunco differente, cuius neque pes neque manus suo officio perfungitur, immò sui potius lutulentae in coeni volutabro se volutanti similis, qui mensam conuomentes de conuiuijs tanquam latrinae abducti, ac postridie crudi se rursus ingurgitant. Lacedaemonij, vt liberos suos ab hac turpitudine deterrerent, mancipia, helotas vocant, ebrios atque vomentes in conspectum producere solebant, vt horum foeditate beluinum hoc vitium detestari discerent. Quare Plato horum sobrietatem cùm primis laudibus vehit, ac Tarentinorum atque Athenienfium, aliarumque*

Sobrietas.

σωφροσύνη.

Basil. de ebrietate.

Theod. orat. 6.

Chrysost. 10. Hom. in Genes.

Pluta. in vita Demetrij.

lib. de ll. 1.

O gentium

Pæd. 8. gentium Bacchanalia, ebrietatisque consuetudines non immeritò eleuat.
Cyrus. De Cyro quoque proditum, quod seruis solitus indulgere, vt cibo potuq; ingurgitarentur, liberis nequaquam. Cùm autem priuatis tantopere abominabilis sit ebrietas, quantò magis Reipublicæ gubernatoribus?
Liuius 3. dec. lib. 3. Respublica Romana quandiu sobrietatem ac frugalitatem retinuit, tandiu cōtra omnes hostiū insultus stetit inconcussa.
Hannibal. Hannibal tum primum vinci cœpit, cùm exercitum suum Campano luxu & temulentia eneruari passus est.
Laert. Anacharsis dictum memorabile. Anacharsis dictum extat memorabile, vitem tres ferre vuas, primam voluptatis, secundam ebrietatis, tertiam mœroris.
Apul. apud Floridorum lib. 3. Apulei sententia. Apuleius primùm craterem ad sitim, secundum ad hilaritatem, tertium ad voluptatem, quartum ad insaniam pertinere dixit. Ebrietatem auferre cor, Oseas Propheta rectè cecinit, nempe præstantissimam hominis partem, & inter scelera cōmemorat, quæ implacabilem Dei iram merentur, sicut & idololatrian. E crapula & ebrietate insanæ libidines, stupra, adulteria, hinc rixæ vulnera, cædes, voces per iugulū rediturae.
Q. Curtius. Alexander. Quid nō ebrietas designat? Alexander rebus præclarè gestis, intemperantia, temulentiaq; in optimorum amicorum cædem prolapsus est.
3. Reg. 16. Ela Rex. Ela rex Israël in Thirsa potans & temulentus trucidatur.
Gene. 19. 3. Reg. 13. Loth. Amnō. Loth & Amnon vino madidi ad incæstum alter filiarū, alter sororis pertrahitur.
Iudith 12. Olofernes. Olofernem Iudith nulla perinde occasione truncare potuisset, nisi ebrietate consopitus fuisset.
Balthasar. Daniel. 5. Balthasar Chaldæorum rex per temulentiā & crapulā sacra vasa super bus violauit, quapropter regno simul & vita spoliatus est.
Seneca de ira lib. 3. Horribile, cuius supra quoq; mentionem fecimus, temulentiæ facinus à Cambyse Cyri filio designatū, in Paraxaspis filiū amici paterni, qui eum admonuit ebrietatis, fideliter quidē sed infeliciter.
Ebrietatis detestatio. E quibus omnib. apparet, quā calamitosa res sit, & cùm omnib. hominibus, tum principi & in primus Christiano, abominanda ebrietas, vt quē Deus cunctis præfecit animantibus, eum in suem, immanemq; bestiā deformari.
Prouerb. 31. Vnde nō abs re Sapiens, NOLITE, inquit, nolite regibus dare vinum, ne obliuiscantur iuris, &c. Et iterum: Vbi væ, vbi eiulatur? nimirum inter pocula. Hic omnium calamitatum seges.
1. Cor. 5. Ephes. 5. Et quod terribilius, Ebrij, inquit Apostolus, regnum Dei non possidebunt.
Orige. in Leuit. Et vinum, ait Origenes, in quo est luxuria, vt ostendat ex ebrie-

ebrietate primogenitam generari luxuriam. Agesilaus quantopere suos exemplo ad sobrietatem & continentiam inuitat? Cyrus ethnicus & puer apud Astyagen auum maternum eleganti in Sacam pincernam vsus est ioco, quòd venenum misceret fundendo vinum, nempe in illorum ludens temulentiam. Eundem ferunt aquam è Choaspe fluuio decoctam in argenteis vasis multis carrucis circumuexisse quocunque proficisceretur. Magna est regis temperantia, quòd rex aquam potius quàm vinum biberit, quam secum circumuexit, vt populum exemplo commoneret ad temperantiam. Quoties maiorum nostrorum frugalitatem, fortitudinem, cæterasque virtutes ac res gestas expendimus, meritò pudere nos deberet luxus et inertiæ. Primùm sancti Patriarchæ nullo alio cibo & potu vtebantur, quàm fructuum, aut pane & aqua. Post diluuium concessæ carnes, sed parcè tantùm vsurpatæ. Serò in Germaniam ex Gallia & Italia luxus & splendor, apparatus mensarum, vnà cum exotico vestitus luxu transijt, & simul cum hoc vitiorum fomite Germanica virtus, fortitudo & constantia, degenerauit. Hodie principes, & qui vocantur nobiles, iuxta Prophetam ad bibendum vinum potentes sunt, & ad miscendum ebrietatem viri fortes. Solem neque occidentem neque orientem vident, vt Cicero ait, Vnde fit, vt exemplo suo compleant terram compotationibus & belluationibus: Surgent igitur Cyrus & Agesilaus, cum hac principum ac nobilium generatione & condemnabunt eam. Siquidem nostræ ætatis Thrasones quidam militesque gloriosi non dubitant cœlum terra miscere, si videant à præpotandi consuetudine principem aliquem iuniorem auocari, quasi hanc artem discere, ac non dediscere oporteat potius. Ingentes sæpe nobis hac de re pugnæ fuerunt cum vastissimis Polyphemis. Scit tua Celsitudo, quibus technis illecebrisque à quibusdam sæpe tentatum sit in maximis principum cōuentibus, vt ad ebrietatis volutabrum te pellicerent. Sed habenda gratia seruatori Deo, qui tuam Cels. hactenus ab ea turpitudine incontaminatam seruârit. Rogandus idem & danda opera, vt deinceps ad finē vitæ ab eadem peste te tueatur. Si quidem & corpus & animum habebis incolumem, & Deo & Reip. vtilitati seruies expeditius, Nam vt vasta &

Agesilaus.

Cyri in pincernam dictū argutum.

Xenoph. pæd. lib. 1.

Frugalitas maiorum in victu.

Luxus Germaniam perdit.

Esa. 5.

Cicero 2. de finib.

Præpotandi cōsuetudine auocandus princeps.

Cryso. in Ep. ad Timoth. 1. Hom. 13. c. 4.

O 2 *perpetua*

Crapulæ & ebrietatis incommoda.

perpetua nubium densitas radios solis non sinit vim sui fulgoris ostendere, ita & vini & delitiarum euaporationes cerebrum, non secus quàm scopulum nactæ, illudque crassa nube tegentes non permittunt liberè vsquam intendere se, verum in vmbris perpetuis detinent eum, qui sic affectus iacet. Et quanto corporis crassities magis distenditur, tanto anima plus extenuatur atque imbecillior redditur. Et quod delitijs paratur corporis, pituita, catarrus, ructus, vomitusq́, & id genus putredines crapulæ præmia sunt, &c. Quid enim aliud ciborum superflua cura, quàm stercoris exaggeratio? Latrinas cautè curamus, ne exhalet ad superiora fœtor, ventrem interim non cessamus nimio onere replere, vt euaporatione sua arcem illam mentis cerebrum obtundat. Salomon non solùm tradit ebriosos tumultuari, sed etiam tum esse insanos cum non biberunt. Subsannatores, inquiens, facit vinum, & tumultus parit ebrietas. Quisquis illa delectatur non erit sapiens. Ebrietas enim sensim facit ferociores, minus continentes & immoderatos in omnibus actionibus, inflammat libidines, iracundiam & omnis generis affectus, tùm quoque cum vinum concoctum putatur. Quare non modò cùm potatur periculum, verumetiam cùm non potas, reliquias furoris retines. Oportet igitur solicitos esse hos, qui principis iuuentuti regendæ præsunt, vt in tanto aulico luxu & illecebris ab intemperantium consuetudine & commessationibus immoderatis retrahatur. Quandoquidem hoc malum per omnes ferè aulas serpit Germanorum, neque vllis rebus magis student excellere principes quàm ijs, à quibus deberent esse alienissimi, nempe commessationibus, luxu, inutili pompa. Non ignoramus præpotandi consuetudinem vetustissimis historijs proditam non esse nouam, sicut alia quædam horrenda vitia ipsa vetustate nihilo commendabiliora. Quare hæc consuetudo, quo & vetustior & latius propagata, hoc diligentius abolenda, cauendaque, & vehementer probandi mihi videntur, qui legibus licentiam huius turpitudinis coërcent, quas vtilissimum esset ab omnibus receptas & sartas tectas præstari.

Prouerb. 20.

Vitia vetustate detestãda.

De Con-

De Continentia. Caput XIX.

SEquitur Continentia, Cicero ἐγκράτειαν interpretatur, eamque in victu cultuque corporis tuendi causa cohibendisque voluptatibus constituit. Socrates apud Xenophontem virtutis fundamentum κρηπῖδα ἀρετῆς vocat ἐγκράτειαν. Hanc Cyrus sic exercebat, vt declaret se nusquam per voluptates ab honestis publicisue actionibus distrahi. Celebratur Musonij saluberrimum ἐνθυμημάτιον apud Gellium: SI QVID LABOREM RECTE FECERIS, LABOR CITO PERIT, BENE FACTVM AVTEM NVNQVAM RECEDET, SED SI QVA PER VOLVPTATEM NEQVITER FECERIS, VOLVPTAS CITO ABIT, NEQVITER FACTVM PERPETVO MANET. Cum incontinentia sapientiam, omnesque honestas actiones impediat, nihil cogitat, habetque iucundius quàm fructum libidinis, nec suppliciũ grauius, quam frustrationem cupiditatis, vt inquit Columella. Quare Socrates principatu dignos existimabat bonorum, malorumque ratiocinatores, hoc est, (Xenophontis verbo vtar) διαλεκτικωτάτους, vt qui colligerent, quid vnaquæque res esset. Iulianus Bacchilidis versus in ore habere consueuit Pudicitiæ elogium exprimentes, Latinè sic sonantes:

Continẽtia.

A. Gell. lib. 16. c. 1.

Xen. ἀπομνημονευμάτων. lib. δ'.

Vt nisi sit viuo facies expressa colore
Non decus in picto corpore truncus habet:
Sic hominis mores spreti sine honore manebunt
Ni sint ornati laude Pudicitiæ.

Proinde inprimis hoc in promptu habere conuenit, quantum homo pecudibus præstet. Illæ nihil præter voluptates sentiunt atque ad eam feruntur toto impetu. Homini autem mens data & ratio, quæ cupiditatibus illicitis dominetur. Scipionis hominis ethnici est continentia memorabilis, Cui cùm inter captiuos eximiæ formæ virgo offerretur, comperissetque illustri loco natam, ac nobili eius gentis Indibili desponsatam, accersitis parentibus, & sponso inuiolatam reddidit, aurum quoq;

Scipionis cõtinẽtiæ laus.

Liuius Decadis 3. lib. 6.

quod pro redemptione puellæ oblatum erat dotis summæ adiecit. Si hæc in ethnico, quanto magis Christiano continentiæ ratio est habenda? Qui doctus est à Christo ipso scortatores & adulteros, à regno Dei excludendos, & æternis ignibus tradendos. Memorabile exemplum Iosephi Patriarchæ ab vxore domini sui sollicitati, quanta constantia reueritus præceptum Dei, etiam cum suo periculo restiterit prouocanti. At Dominus copiosissimè eius continentiam compensauit. Incontinentes autem quàm graues semper calamitates sint secutæ, declarant multorum incontinentium hominum exempla. Quantopere libidinis & auaritiæ furori similes impetus ab illustrium virorum pectoribus consilio ac ratione summoti esse debeant, declarat, quòd ij demum penates, ea ciuitas, id regnum, æterno in gradu facilè steterit, vbi minimum virium Veneris pecuniæque cupido, quæ radix est omnium malorum, sibi vindicauit. Nam quo istæ pestes penetrarint, iniuria ibi dominatur, infamia flagrat. Exercenda igitur hæc ætas laboribus, exercitijs & animi & corporis honestis, quibus à libidinibus, crapula & commessationibus, retrahatur. Vehementer deturpat summos atque infimos libidinis infamia, & morum intemperantia animorumq́ inclinationem alienat, & dignitatem eleuat.

Iosephi Patriarchæ continentia. Gene. 39.

Val. Max. de Abstinentia. Cõtinentiæ commoda.

Libidinis infamia.

Verecundia.

Continentiæ affinem facit Ambrosius Verecundiā & Pudorem, tàm in verbis quàm gestibus atque factis. Verecundia autem cùm omni ætate commendabilis, tum maximè necessaria pueritiæ & adolescentiæ, ἀναισχυντία, inquit Xenophon, omnis turpitudinis dux. Diogenes erubescenti adolescenti, & ob id perturbato: Bono, inquit, animo esto fili, istiusmodi est virtutis tinctura. Desperanda illius salus, quem desijt pudere, sic viuendum cum omnibus, vt nos nemini præponamus, ad honorem exhibendum propensi, nobis si exhibeatur modestè repudiemus, semper submissè gerentes nos, memores eum qui se effert, humiliandum, vt suprà annotatum, c. 13. Non neglexerunt hanc virtutis partem sapientissimi Legumlatores in Græcis ciuitatibus. Siquidem Lycurgus præcepit, vt in publico pueri manus inter vestes tegeret, & verecundè incederent. Apud Persas in conspectu seniorum semper versabantur adolescentes, neque seorsum vel cubabant, vel quidquā agebant, nisi his veluti arbitris

Laert. in Diogen.

& agno-

& agnothetis. Verba sint casta & ab omni obscœnitate aliena, immò turpiloquentiam et blasphemias, diras imprecationes, tanquam pestem fugiant & abominentur, memores de omni verbo otioso rationem reddendam summo iudici. Vulgus nobiliũ nisi altero verbo cruces, vulnera, supplicia Christi, & turpiloquia crepẽt nõ arbitrantur se supra vulgus esse hominum. Laudanda hoc loco pia serenissimi adolescentis Eduardi Angliæ, regis pædia & gubernatorũ prudens sedulitas, vti mihi, cum legatione ad regẽ fungerer, in aula relatum. Rex iã tum adolescens natura & institutione castissimis morib. & pudore virgineo ac regia planè indole. Cum è coætaneis nobilioribus quidam ad iurandum, & ad ferociora verba regem hortaretur, sic inquiens, decere Regiam maiestatẽ detonare ac iuramẽtis fulminare. Illæ, vt sunt puerorũ ingenia, ad quiduis inuitandũ prona, suum hortatorẽ secutus, cùm à suis institutorib. deprehenderetur præter consuetudinẽ iuramentis et blasphemijs vti. Rogatus ecquid sic præter morem iuraret, atq; insolenter loqueretur. Ingenuè confessus est suum coætaneum docuisse sic decere loqui. Puerum igitur illum, auctorem, in conspectu regis virgis acriter castigarunt regemq; monuerunt, hanc esse huius insolentiæ mercedem, atq; vt meminerit eam se quoq; cõmeruisse, quare deinceps abstineat ab ea insolentia. Iuramenta igitur & blasphemias, scurrilia, turpiaque vel dictu vel factu, tanquã venenatissimum contagium seriò auersetur atq; fugiat princeps, tantum abest, vt arrideat atq; applaudet. Natura autem duce fugiat celetq; omne quod ab oculorum auriumq; approbatione abhorret, à gestibus obscœnis abstineat, neq; patiatur ab alijs obscœnam naturæ partẽ intueri. Eas partes, inquit Cicero, quas natura celauit, easdẽ omnès qui sanæ mentis sunt, remouet ab oculis, ipsiq; necessitati dant operam, vt quã occultissimè pareant. Quarumq; partium corporis vsus sunt necessarij, eas neq; partes neq; earum vsus suis nominib. appellant, quodq; facere turpe non est, modò fiat occultè, id dicere obscœnũ est. Itaq; nec earũ rerum actio petulantia vacat, nec orationis obscœnitas. Apud Persas summo probro ducebatur, si quis exscreare vel meiere in publico cõspiceretur. Accepimus auũ tuum maternũ Vuilhelmum ducem Iuliacensem adeò fuisse honestæ verecundiæ studiosum, vt quoties in comi-

Verecundia in sermone.
Matth. 12.
Iuramenta & blasphemiæ vitanda.
Eduardus Rex Angliæ.
Partes pudẽdæ.
Cic. off. 1.
Xenoph. pædiæ lib. 1.
Vuilhelmus dux Iuliacen.

in comitatu suorum vel equitaret vel obambularet, & natura vrinam mittendam postularet, procul solus secedere consueuerit, nec quenquam in conspectum admittens. Quin ad extremam ætatem vsque pudorem in aula sua adeò seueriter tutatus est, vt omnem turpiloquentiam & impuritatem exploderet. Est autem verecundia sic tutanda, ne in vitiosam verecundiam incidamus, quam Græci δυσωπίαν vocant. Neque enim decet principem sic esse verecundum, vt quæ recta sunt aut ad officium suum pertinent, dicere aut mandare reuereri debeat, & vicißim quæ iniqua sunt negare postulantibus non ausit, hæc enim non est virtus illa, de qua nos loquimur, sed pusillanimitas & inanis metus, quem in principem cadere non decet.

Vitiosa verecūdia de qua Plutar. περὶ δυσωπίας.

De sermonis & alloquij temperamento. Caput XX.

Sermonis & alloquij ratio.

AD hanc partem modestiæ & verecundiæ pertinet sermonis ratio, vt neque petulanter neque intempestiuè aut immodestè citraq́ pudorem sermone vtamur. Quin potius tardi simus & verecundi ad loquendum, præsertim iuuenes apud seniores & dignitate reuerendos, vt aliorum sermonem non interrumpamus. Laudatur apud Homerum Telemachus Nestorem aditurus, senem & sapientem virum, quæritur enim se adolescentem imperitum pudore teneri adeundi reuerendi senis:

Odyss. γ΄.

πῶς, inquit, τ᾽ ἄρ ἴω πῶς τ᾽ ἄρ προσπτύξομαι αὐτόν.
οὐδέ τί πω μύθοισι πεπείρημαι πυκινοῖσι.
αἰδὼς δ᾽ ἂν νέον ἄνδρα γεραίτερον ἐξερέεσθαι.

Quapropter hic quoque decorum & personarum & locorum ac temporum seruare decet, ne quid præcipitanter, inconsideratè, intempestiuè aut impudenter effutiamus, licetq́ huc accommodare, quòd Iuriconsf. de Xenijs dixit accipiendis, οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων. *Sermo semper cum gratia sit sale conditus, iuxta Apostoli admonitionem, vt opportuno loco & tempore magistra modestia proferantur verba. Aliter cum potentibus, aliter cum mediocribus, aliter cum humilibus,*

ff. de off. procons. l. soli.
Coll. 4.

aliter

aliter cum præfractis loquendum. In neminem petulantius aut procacius tibi inuehendum etiam lacessito. Magis enim te apud Deum & apud homines lædes, quàm illum ipsum cui maledixeris. Diogenes audiens adolescentem honesta specie verbis intempestiuis vtentem, Non te, inquit, pudet, qui ex eburnea vagina plumbeum educas gladium? Sermo, inquit Ambrosius, speculum est mentis, è quo illa non secus quàm è speculo corpus oppositum redditur, & ex tinnitu olla integra ne sit, declaratur, sic è verbis hominis ingenium & natura proditur. Magna igitur in sermone cautio principi esse debet, & verborum moderatio sic temperanda, vt circumspectè loquatur, neque effutiat vel parum decora, vel cuius pœnitere possit. A parentibus accepimus ad Carolum Burgundum in obsidione Nouesij venisse magni nominis, sed dubiæ prudentiæ principem, Is quoties Carolum adibat sic edoctus erat, ne quid temerè καὶ ὅτι περ ἐπ' ἀκαιρίμαν γλῶτταν ἔλθοι *excideret, sed si quid proponeretur respõderet se cum cõsiliarijs deliberaturum. Quod cùm aliquoties Carolus audisset: Nequaquam, inquit, hic fatuus est, vti hactenus à plærisque habitus, qui citra consilium suorum nihil temerè statuere velit. Tandem iterum congressus, cùm Carolus sermone absoluto, eamus, inquit, ad sacrum, quo peracto vnà prandebimus. Hic ille, cùm id quod edoctus erat à suis responderet, sermo hominis prudentiam prodidit. Proinde tacere aliquoties proderit magis quàm stultè loqui. Et cùm omnium oculi & aures in iuniores principes veluti orientem solem conijciãtur, circumspectè illis loquendum, præsertim in congressibus legatorum aut externorum, qui accuratissimè solent verborum principis habere rationem. E sermone nimirum velut mentis charactere futuri principis indolem metientes. Decet autem esse* φιλοπροσήγορον τῷ τρόπῳ καὶ τῷ λόγῳ εὐπροσήγορον. *Si fortè occurrant salutandi vel subditi vel externi, quos non norit, prius à suis de conditione cognoscat, inde comiter compellet, dextram porrigat, percontetur vnde adsint, vt res domi habeant. Si viri graues sint, aut docti, honorem exhibeat, sermones misceat, sed non diuturnos, neque ineptos neq; prolixos de ijsdem rebus,* τὰς ἐντεύξεις μὴ πυκνὰς ποιοῦ τοῖς αὐτοῖς, μὴ δὲ μακρὰς περὶ αὐτῶν, *vt Demonicum suum docuit Isocrates. Quòd si*

Laertius in Diog.

Carolus Burgund.

Principis cuiusdam stupiditas.

Sermo character animi.

Isocrates ad Demonicum.

vel legati vel externi sint hos potius adeat, quàm suos, atque hilari quadam modestia eos excipiat, principis eorum loco honoret, caput aperiet, genuaq́ leniter flectat, percontetur ecquid eorum princeps valeat, & cætera pro conditione principum & regionum, vt res habeant, an tranquilla omnia? Alexander Magnus adolescens, etiamnum cùm absente Philippo legati à Persarum rege venissent, eos alloqui comitate, iucundissimaque consuetudine sibi coniunxit, admiratos in ea ætate, nihil puerile aut humile temerariumúe sciscitantem, sed modestè, & de viarum longitudine itinerumq́ue difficultate perquirentem, multa enim nunc super rege, qualis in hostes, nunc super Persis, quæ munitiones, quæ potentia rogitabat. Hanc adolescentis prudentiam stupentes legati, nihil tàm latè diffusam patris gloriam præ huius pueri comitate cum grauitate coniuncta duxerunt. Proditum est regẽ Gallorum Ludouicum XI. mira dexteritate polluisse in modestia et alloquio externorum, omnes interrogasse, deq́ omnibus verecundè perquisiuisse, Qua ratione effecit, vt qui per totã Europam essent in auctoritate eos omnes, eorumq́ conditiones cognosceret. In primis igitur danda opera principi, vt nihil temerè excidere sinat, néue de rebus non planè perspectis acrius cõtendat. Megabyzes rex cùm Appelli assideret, & nescio quid de colorib. loqui conaretur: Vides, inquit Apelles, hos pueros melidem colorem terentes tacentem te admiratos auro & purpura suspiciendum, at ijdem, vbi de reb. ignotis impudẽtius loqueris, derident. Si crebrius cum aliquo loqui cõtingat, cauendũ, vt iam paulò ante dictum, ne diutius, & de ijsdem semper ac vanis rebus cramben recoctã ingerat, veluti de venatione & pompis conuiuiorum, de lusibus, de quib. rebus principes ferè loqui gaudent. Animaduertendũ quatenus sermo delectationem habeat, & vt incipiẽdi ratio sit, & finiẽdi modus, siue dicat ipse, aut ad interrogata respõdeat cũ modesta promptitudine, id fiat et præmeditatè potius quàm ex tẽpore & præcipitanter, Laconicè magis quã verbosè, maxime ratione habita eorum, cum quib. loquatur, & quibus de rebus fiat sermo, vt decori seruiat, ac serijs grauitatem, iocosis lepôrẽ adhibeat. Atq́ sic deniq́ temperandus sermo, vt eos, cum quib. loquatur, vereri et diligere videatur, ea est comitas, nihil de seipso iactet, absit φιλαυτία. Cauenda insuper

Plutarch. in Alexand.

Alexandri indoles & dexteritas in colloquio legatorum.

Ludouic. XI.

Megabyzes.

Nõ crebrius de ijsdem loquendum.

Sermonis tẽperatura.

ſuper perturbationes in ſermone, ne aut concitatior vel ad iracundiam vel cupiditate m aliquam impotentius feratur, aut vitium in moribus declaret, quod tum maximè fieri ſolet, cum ſtudioſè abſentes notare quis vult, aut maledicè & contumelioſè inceſſere, abſtinendum enim eſt ab obtrectatione & mordacitate.

Præcipuum autem fuerit, ne princeps diſcat formidare homines, néue ob frequentem cœtum attonitus reddatur, quare conueniet, vt ludis agendis exerceatur, publiceq́; aliquoties recitet aliquid memoriter in corona ſuorum. In pronunciãdo corporis decens habitus, geſtusq́; ſimul cum ſermonis decoro congruat, ita vt nec pedibus aut manib. geſticuletur, nec oculi aliorſum intenti ſint, quàm in eum qui cum loquatur, vultu nec prono, nec ſupino, ſed directo: In proferẽdo nec hæſitandum, nec præcipitanda verba, ſed clarè, diſtinctè ac ſignificãter proferenda. Vox lenis, ſuauis, minimeq́; pertinax, qualis in Socraticis probatur. In quibus omnib. naturam plurimum exercitatio adiuuabit, & imitatio preſsè & leniter loquentium, quod fuiſſe in Catulis Cicero ſcribit, vt qui lingua exquiſitiſſima vti putabantur. Inferioris notæ hominib. et miniſtris nõ nimium ſe præbeat familiarẽ vel colloquio vel cõſuetudine. Eos vbiq; modeſta quadã grauitate cõpellans, ita vt reuereantur & ament potius quàm vt ex nimia familiaritate contemnere diſcant. Vnde Calliſt. Iuriſconſ. tradit præſidem prouinciæ non debere prouinciales in interiorem familiaritatem admittere. Nam ex conuerſatione æquali dignitatis contemptum naſci. Meminerit igitur, iuxta Xenocratis præceptum, vbique ſe eſſe principem, neq; eo nomine indignum quicquam admittat.

Princeps ne diſcat formidare homines.

Geſtus decorum cũ ſermone congruat.

Pronunciatio.

Vox.

Catulorum ſermo.

Nimia familiaritas contemptũ parit.

l. properandũ. ff. de off. præſid.

De Veſtitu cultuque temperando. Caput XXI.

AD Modeſtiam Verecundiamq́; & decorum pertinere videtur cultus veſtitusque ratio, ſiquidem ex pennis cognoſcitur auis, vt dici ſolet. Iſocrates poſtulat decentem elegantiã circa veſtitum, non autem oſtentationem & faſtum εἶναι βούλου τὰ περὶ τὴν ἐσθῆτα φιλόκαλος, ἀλλὰ μὴ καλλωπιστής. *Siquidem illud ad magnificentiã pertinet, hoc verò ad curioſitatem*

De veſtitu.

Iſocrates ad Demonicũ & ad Nicoclem.

& superfluam affectationem. Ad Nicoclem verò principem delicatum in vestitu esse vult τρυφᾶν ἐν ταῖς ἐσθῆσι, nempe vt intuentes ex splendore cultus principatu dignum existiment homines. Idem testatur Xenocrates in suis legibus. In scripturis quoque sacris legitur regina Saba deauratis vestibus. Et Salomon aliјque sancti Reges & principes, pro maiestate sua splendido vsi sunt cultu corporis. Ioseph & Daniel purpuram gestabant & torques aureos, nec peccabant, sicut nec Hester. Quin potius videndum quo animo gestetur. Videmus enim sæpe pauperculum noua veste, aut etiam monachum cinericia cuculla maiorem in animo fastum ac gloriam occultare, quàm principem purpura aut textili auro. Vulgus plærunque principes metitur ex vestitu & corporis gestibus. Quare in excipiendis legatis, atque in pompis publicis non improbandum si princeps suo ordine digno cultu ornetur, maximè iuniores principes, & orientes, vt sic dicam, soles, ita tamen vt interim meminerint apparatum hunc non esse, quod principem præstet. Cyaxares apud Xenophontem in aduentu Indorum legatorum Cyro nepoti iuniori principi splendidam misit vestem, quo magis conspicuus adolescens rex esset. Curandum autem vt elegantia magis & decorum paretur, quàm splendor, & munditia adhibeatur, non odiosa nec exquisita nimis, tantum fugiat inhumanam & agrestem feritatem, vt Cicero docet. Qua in re passim multum peccatur splendore nimis operoso, cultuque histrionico magis quàm decenti, adeò, vt etiam vulgus horum luxum externum imitari gestiens sumptibus se exhauriat atque perdat. Quorsum autem attinet principem hoc ornatu ambitiosè se venditare, cum omnibus perspicuum sit principem horum habere quantum libeat, & cùm ea ostentet & luxurietur, quid aliud quàm sanguinem & sudorem populi exponit oculis, quibus ipse ad voluptatem abutitur? Mollicies vestitus in Antonino, Bassiano, Cassiano ac Commodo, reprobatur. Ostentare vestem & superbire in ea, perinde est ac si quis stigmatis, aut furti, aut similis flagitij nota superbiat. Quin, vt Chrysost. testatur, potius conditionis nostræ & calamitatis admonere nos deberet vestis tegumentum, Siquidem ob peccatum Adam pudefactum tegi oportuit, quia propter transgressionem pœna.

3. Reg. 10.
Gen. 41.
Daniel. 5.
Esther 2.

Cic. off. 1.

Principē non decet luxum ostentare in vestitu.

Herodi. lib. 5.

Chryso. in 3. Gen.

Vestis peccati occasione data.

pœna mortis reus factus est protoplastus, opusque habebat veste, quæ confusionem tegeret, & sunt ei pelliceæ paratæ vestes, quo docemur, vt mollem & dissolutam vitam fugiamus. Hic considerent epulenti & splendidi, qui in vermium luxuriant operibus & vestiuntur sericis, idipsum præuaricationis & peccati esse auctoramentum. Adde in Dei & naturæ leges peccari, quæ vsum vestium ad tegendum tantùm honestè concesserunt, & ad frigus arcendum, eam nos ad fastum & partes corporis parum pudicas ostentandum prostituimus. Proinde maximè conduceret principes frugali cultu vti & parabili, nempe quo populum ad frugalitatem inuitent. Nam dum principem apparet splendore & luxu delectari, ac se ventitare, aulici quoq; & nobiles eius luxum certatim æmulantur, plærique etiam inuiti ne contemnantur. Hos deinde ciues & reliquum vulgus sectantur, fitq; vt certatim quasi per manus tradito luxu sumptibus exoticoq; cultu exhauriantur, opesq; in has nugas perfundentes se suaque perdant. Nihil est quod tàm exhauriat ditiones quàm exotica tum gulæ irritamenta, tum vestium luxuries. Agesilaus fortissimus Lacedæmoniorum rex, quatuor temporibus, vna tantùm veste, eadem in tentorijs culcitra cum alijs vtebatur, assiduè in ore habens, principis esse non mollitiæ delitijsúe, sed temperantia, fortitudine, sapientia, priuatis hominibus antecellere. Idem rogatus, cur acri hyeme solo pallio tectus obambularet absque tunica, vt inquit, iuuenes hanc rationem vitæ imitentur: Nihil est enim quod populus citius imitatur, quàm principum mores. Cato Vticensis cùm Romæ videret passim purpuram ac murice tinctas vestes gestari, ipse quo hæc cõtemptabilia redderet fuscam vestem induebat, & nudis interim pedibus incedebat. Item Augustus summus monarha non temerè alia quàm domestica à sorore, aut filia, aut neptibus, confecta vtebatur veste. Idem in Carolo V. Romanorum Imperatore animaduertere licet vestitu neque splendido neque affectato, sed simplici vti consueto. Nostra tempora, vt alijs vitijs extremè laborant, ita luxu vestium thrasonicam stultitiam, & maximè cultus externi intemperantiam ostentat. Sophonias Propheta inter impios, quos Dominus in die iræ suæ visitaturus est secundo loco numerat eos, qui pe-

Exoticus luxus.

Agesilai Apophth. Plutar. in Laconicis.

Cato Vticen. Plutar. in Catone.

Suet. in Aug. Augustus.

Carol. Imp.

Sophoniæ 1.

regrino cultu fœdisq́; cupiditatibus se venditant, de vestitu ad valetudinem accommodo inferius c. 29. plura dicemus.

De inceſſu, geſtumque corporis decoro, deq́; formæ dignitate. Caput XXII.

CVM vulgus solùm formæ, corporisq́; cultum ac morum exteriorum dignitatem respiciat, & quoties in pubicum prodit princeps, certatim omnes ad contemplandum accurrant, eius formam, moresque diligentissimè obseruent, referantque: Hic nequaquam negligentem esse oportet, sed danda opera, ne in publico vel incessu vel corporis gestu aliquo indecoro maiestatem, dignitatemúe principalẽ eleuet. Nam vt harmonia in fidibus, ita in vita opus est omnium actionum concentu. Decori interim memorem esse oportet principem, vt quidquid vel dicat vel faciat, semper cogitet se principem esse, caueatque, ne quid eo nomine indecorum admittat iuxta Xenocratis præceptum. Constat autem dignitas & maiestas in tribus, virtute, felicitate, & inclinatione animorum in populo, vt in Scipione, quanquam adolescente, tamen erat dignitas, auctoritas & maiestas; lucebat primùm in eo eximia virtus continentiæ & fortitudinis. Quæ morum dignitas in principe ad auctoritatem parandam & tuendam plurimùm valet: populoq́; persuadet diuinitùs adiuuari. Nam Dei munus est in principe dignitas & maiestas, quòd incendantur homines admiratione virtutis & existimatione præsentiæ numinis. Armat enim, vt ille inquit, maiestas æterna ducem. Memorabilis est sententia Salomonis, vt oculus videat, & auris audiat Deus facit. Primùm enim vt princeps rectè imperet consilio & virtute, Deinde vt populus obtemperet, non excutiat rectè monentes, vtrunq́; opus Dei est, vt valeret consilio Themistocles, & ne eius consilia aspernarentur Græci, vtrunq́; faciebat Deus. Vt Alexander virtute valeret, atq́; vt exercitus libenter talem ducem sequeretur diuinitùs fiebat, hæc non omnibus contingunt. Antiocho hæc defuerunt, & Ptolomæo Physco, quorum vterque despectus, neque virtute, neque ornatu dignus fuit aut honore regio, vt Daniel testatur.

Vide Ambr. off.

Maiestas principis in trib⁹.

Syllius Italicus.

Prouerb. 20.

Themistocles.

Alexander.

Antiochus.

Ptol. Physc.

Dan. 11.

teſtatur. Cicero in Imperatore requirit maturitatem auctoritatemq́ue, quam tantùm in Pompeio fuiſſe refert. Mithridates ſola Pompei maieſtate cohibitus eſt, ac Tigranes retardatus. In Traiano tanta fuit maieſtas, vt ſine ornatu regio latere nõ potuerit prodente videlicet oris dignitate, quantumuis mentitum habitum: Et in Pertinace Imperatore ſingularis quoq; fuiſſe perhibetur dignitas. Catilinam quantumuis nobilẽ genere, ſed ingenio malo Salluſtius deſcribit colore exangui, oculis fœdis, inceſſu tardo. Ita depingitur ab Homero Therſites. Primùm, inquit Porphyrius, ſpecies digna πρῶτον εἶδος ἄξιον τυράννιδος. *Sint igitur principis geſtus, vultus, verba, facta, inceſſus, motus, habitusq́; corporis tẽperata modeſtia & maieſtate heroica reuerẽda, ita vt eius aſpectu populus ſpectatur exemplo ad virtutis inuitetur imitationem, meliorq́; reddatur, non faſtu barbarico terreatur, aut vitiorum contagium contrahat. Inceſſus ſit neq; mollis pomparum ferculis, vt Ciceronis verbo vtar, adſimilis, neq; concitatus (qui feſtinantia leuitatis iudicium prædicat) ſed lentior & modeſta quadam grauitate maturatus, & heroico decore ſuſpiciẽdus. Sint viæ rectæ non declinantes, neq; ad dextram neq; ad ſiniſtram. Caput & oculi non vltro citroq́; iactentur, manus non geſticulentur, ſed quietæ & compoſitæ ſunto. Vultus neque inconſtans neque proteruus aut tyrannicus, ſed hilaris & ſerenus, clementiæ cuiuſdam miſerabilibus expectandæ ſignificationem præbens. Principem autem, quia parum decet vel propter pericula, vel propter decorum ſolùm, ac citra famulitium incedere, curandum hic vt ſatellitium ſit modeſtum, atq; pro ratione loci ac temporis cõditione honeſtum, non barbarico faſtu ac tumultu horrendum, ita vt potius reuerendus ſit, quàm vel ob tyranni ſpeciem metuendus, vel ob humilitatem contemnendus. Sicubi honeſtos ciues præterire contingat, ſi ſic ferat ratio, benigniter compellet aut ſalutet, nutu clementiam oſtendat. Mirum enim quã hæc res cõciliet fauorẽ, ſi ciues videant ſe nõ contemni. Miſerabiles & ſupplicatorios libellos offerentes nequaquã repelli ſinat, neq;* δυσπρόσοδον *ſe præbeat, ſed benigniter recipiat. Plato Dionẽ increpat, quòd minus quã decebat affabilis eſſet. Neceſſariũ monẽs in reb. gerendis beneuolentiã auſteritatẽ verò ſolitudinẽ parere amicorum,* ἡ δ᾽ αὐθάδεια ἐρημίᾳ ξύνοικος.

Pompei maieſtas. Traiani. Pertinacis. Catilinæ deſpectus. Salluſt. in Catil. Therſites. Thab. β. Inceſſus. Porph. περὶ εἰδῶν. Geſtus. Cic. off. 1. Famulitij ratio. Principẽ decet benigna compellatio. Dio. Plato. Ep. 4.

Hactenus

Cicero de 4. virtutũ fontibus. Cic. in off.

Hactenus de religionis progymnasmatibus ac morum politicorum pædagogia, quam Cicero quatuor officiorum fontibus complectitur, atq; ex aliqua harum partium oriri omne, quod honestum est, tradit. Ait enim aut in veri perspicientia solertiaque versari officium, aut in tuenda hominum societate suum cuique tribuendo, & rerum contractarum fide, aut in animi excelsi aut inuicti magnitudine, aut in omniũ quæ dicuntur aut fiunt modo et ordine. Quæ inter se uincta sunt et implicata, è singulis tamẽ certa officiorum virtutumq; genera nasci. Virtutum autẽ conspirationem esse quandam sic copulatam, vt omnes omnium participes sint, nec alia ab alijs possit separari, & tamen proprium suum cuique munus sit, nempe prudentiæ in delectu bonorum & malorum, temperantiæ in voluptatib. cohibendis, iustitiæ in tribuendo cuiq; quod suum, fortitudinis in laboribus. Quare principẽ instituere oportet, ne vel in pietate vel in delectu bonorum & malorum, vel in tribuendo suum cuiq;, aut in animi fortitudine ac temperantia & decoro vsquam deficiat, ne videlicet concentum hunc virtutum conturbet, nam vna amissa omnium iacturam faciet.

Virtutũ conspiratio.

Assuescat igitur, discatq; princeps has virtutes amplecti, & contraria vitia in pueritia vitare, assuescat æquitati, clementiæ, veritati, fidei, promissis præstandis, temperantiæ, continentiæ, sobrietati, modestiæ, verecundiæ in colloquio, in gestibus, cultu, ac breuiter vndecunque virtutum specimina præ se ferat, detq; operam ne vllam iracundiæ, crudelitatis, leuitatis, mendacij, vanitatis, intemperantiæ, obscœnitatis, libidinum, luxusq; vel leuissimam suspicionem de se præbeat, semper memor se non solùm peccare, quòd vitijs obnoxius sit, sed quòd sua vitia transfundat in subditos, atque exemplo plus quàm peccato noceat, vt Poëta Claudianus Honorium admonuit: Componitur orbis

Exemplo plus quàm peccato nocet Princeps.

Regis ad exemplum, neque sic componere sensus
Humanos edicta valent quàm vita regentis. Et mox:
Hic te præterea crebro sermone monebo,
Vt te totius medio telluris in orbe
Viuere cognoscas, cunctis tua gentibus esse

Vitia principũ omnibus patent,

Facta

Facta palam, nec posse dari regalibus vnquam
Secretum vitijs, nam lux altissima fati
Occultum nihil esse sinit, latebrasque per omnes
Intrat, & abstrusos explorat fama recessus. Cui respondet Satyricus:
Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet quanto maior qui peccat habetur.

Quemadmodum, inquit Plutarchus, maiori sunt dedecori verucæ fiscusue in facie quàm næui in reliquo corpore: Ita principum & Remp. administrantium vel minima errata pro magnis habentur. Et quia vulgus, quod sibi solùm peccat, ob parata delicta punitur, quanto maiore principem pœna dignum existimamus, qui & sibi & alijs peccandi ansam præbet? Taprobanæ insulæ reges si peccarent, capite plectebantur, eadem in principes & priuatos seueritas, vt testatur Plinius. Et apud Venetos ducem alioqui regia dignitate conspicuum, certis tamen legibus circumscriptum sua, si has transgrediatur, manet pœna. Taprobanæ Reges. Venetorum Dux.

De temporis dispensatione, ac diei horis, in certas operas partiendis, & quibus studijs quæque horæ accommodandæ. Caput XXIII.

COlumella grauissimus rei rusticæ scriptor, villicum diligentem tradit operas partiri debere, quid quibusque temporibus accommodandum, ne videlicet intempestiuitate fructus operis perdatur. Idem hic in instituendo obseruare conuenit, totumque tempus commodè sic distribuendum, vt simul & serijs & ludis suum quodque tempus destinetur, nullumque tempus destinetur, nullumque tempus vacuum sit & otiosum, sed sit semper quod agatur, ne nihil agendo malè agere discatur, vt Catonis oraculo proditum, ἡ γὰρ ἀργία τῆς κακουργίας ἀρχή. *Mamea Alexandri Imperatoris mater, ne quod spacium superesset vacandi malis artibus occupato rebus potioribus, crebrius actibus adhibuit filium. Proinde vt tem-* Colum. lib. 11. cap. 1. & 2. Otia dant vitia. Colu. lib. 11. cap. 2. Herod. lib. 6.

Operarũ partiendarũ ratio. Matutinum tempus. *pus (quo nihil preciosius) rectè dispensetur diei horæ in certas suas operas partiendæ. Id quod etiam Plinium & Pium Pontif. atque alios fecisse legimus, nimirum vt matutinis, id est, ἑωθινοῖς vel dilucularijs horis occupetur ijs, quæ mentis vigorem atque intentionem requirant acriorem. Pomeridianis, quæ exercitationem & hilaritatem, non tamen sine fructu afferant. Diluculo surgere, simul & valetudini tuendæ, & negotijs omnibus, ac studijs accommodatißimum putat Aristot. Quare hanc vitæ nostræ optimam, suauißimamq́ portionem inanem effluere non patiamur. Xerxes Persarum rex Cubiculario suo præcepisse traditur, vt diluculo surgentem admoneret eorum, quæ pater Mesoromasdes illi moriens mandasset.*

Aristo. œcon. Xerxes. Plutar. de doctrina principum.

Cùm autẽ in omnibus, & ante omnia regnum Dei quærendũ sit eiusq́ gloria, sæpius id repetendum. primùm igitur vbi surgitur statim ad creatorem & gubernatorẽ omniũ Deum Opt. Max. erigenda mens eiusq́ beneficia expendenda, agendæ gratiæ eius diuinæ benignitati, quòd ea nocte seruarit incolumem, precandumq́, vt diem itidem illucescentem felicem esse concedat, poterit autem hac aut simili oratione vti:

Oratio Eotina iunioris principis. 3. Reg. 3. 2. Paralip. 5. Prouer. 21.

O cœli, ô terræ, rerumque omnium conditor Opt. Max. qui incomprehensibili tuo numine, iustoque arbitrio vniuersa dispensas, regis & moderaris per quem reges regnant, & principes dominantur, à quo deniq́ magistratus omnes, potestatem, administrationemq́ accipiunt. Ego tuæ benignitatis humilis creatura, tãto tuo populo gubernando destinatus minister, rogo te atq́ obtestor per tuã ineffabilem bonitatẽ, digneris mihi largiri sedium tuarum aßistricẽ sapientiã, quæ mecum sit & mecum laboret, quæque vias meas, actionesque omnes dirigat, ne qua in obliquum à tuo ductu deflectã. Adhæc verbi tui doctrina, animũ meũ, qui in manu tua est, sic illustres, vt sciam quid acceptum sit apud te, quidue abominabile. Largire vt hæc mea pueritia vera pietate verbi tui doctrina, ijsq́ studijs imbuatur, quæ adultiori mihi vsui & necessaria futura sint, atq́ vbi ad rerũ administrationem peruenero, digneris mihi concedere cõsiliarios, officiales, ministros pios & incorruptos, quorum adminiculo fretus queam præesse ditionib. istis, populoq́ tàm numeroso, ac breuiter spartã mihi concreditam

ditam adornare ad tuam gloriam, & Reipub. vtilitatem, atque animæ meæ salutem, quia tuum est regnum, potentia, & gloria, in omne æuum, Amen.

Inde repetenda fidei professio, præcepta Decalogi, & ad horũ præscriptum omnia studia actionesq; dirigãtur, ab his ne latum digitum recedendum. In vestiendo commendoque non decet nimium curiosum esse, sed mundities & commoditas hic magis spectetur quàm splendor. Vestimenta per ministros expurgata compositè induenda gestandaq;, pectendum caput, lauandæ manus, facies, aqua pura, os itidem aqua aceto vinoùe modicè diluta abluatur, eaq; omnia expeditè, ne more mulicularum annus sit antequàm comaris. Prius atq; admittatur aliquis, aut cubiculum exeatur, aut ad studia literarum aliaùe negotia properetur, cõponat se paululũ inambuletq;, videlicet memorabilia ex lectione hesterna repetẽs, & quod eo die iam instante agitandum, quaq; ratione cõficiendum expendat. Vbi autem ex ephebis excesserit, & prouectior factus fuerit, omnino assuescat princeps, antequã aut admittat aliquẽ aut prodeat foras, legere aliquid in sacris literis, hauriat fundamenta religionis Christianæ, nõ è lacunis humanarum constitutionum, sed è fontibus, vt teneat certa testimonia tradita in scripturis sacris, legat caput aliquod è nouo aut veteri Testamento, quod veluti PENSVM PERSOLVENDVM, *antequàm negotijs externis vacet, atque hæc non solùm puero, sed adultiori, & in omnem ætatem præstanda sunt. Quibus absolutis tum demum ad literarum studia aut negotia necessaria procedat. Æstate sexta aut septima, hybernis horis septima aut octaua scholis vacet puer vna atque altera hora. Quid autem prælegendum sit dexteritate institutoris pro alumni conditione atq; ingenio committimus, tametsi parata legendi scribendiq; facultate, & crassiorib. Grãmaticæ præceptis traditis. Terentius aut Colloquia Erasmi prælegi poterunt, Itẽ Catonis Disticha, Mimi Publiani, Phocilidis sentẽtiæ, Prouerbia Salomonis, vt iã antè dixi. His adiungi poterint Grãmatica, præcepta in hoc decerpta, vt loquẽdi mediocrem rationẽ præparet, fiant crebræ repetitiones, & Grãmaticæ Formulæ exigãtur, tàm Etymologiæ, quàm Syntaxeωs. Quotidie scriptum aliquod*

Mane agẽda.

Pensum prĩcipis.

Studijs destinandæ horæ.

excerpendum aut exhibendum, quod egregiam aliquam sententiam habeat tantisper, dum ipse meditari & componere aliquid didicerit. Adultiori in hebdomadæ bis aut ter thema proponatur, prælegantur Officia Ciceronis, Apophthegmata: Item Plutarchi selecta ex Isocrate & Xenophonte quædam, è sacris, è veteri Testamento, Deuteronomium, Iosue, Regum libri cum Paralipomenis, & similia deligantur principe Christiano digna: Festis & sub festum legenda sacra.

Exercitia & studia pomeridiana.

Pomeridianis horis statim à prandio nolim studijs occupari, sed lusibus honestis, vnam atq; alteram horam transigere. Si cælum commodum sub diuo, aut deambulandum, aut equitandum, aut sagittis, aut globulis, aut cursu, aut pila certandum. Si pluuiosum, aut aliàs incommodum cælum, domi sub tecto, aut gymnastica exercenda, hastis, gladijs, alijsq; instrumentis, quæ ad corporis exercitationem, agilitatem & vsum rei militaris conducere poterunt, vt suprà quoque dictum. Aut musicis modulationibus, instrumẽtis, testudine, cythara, fistulis, tibijs exercitium quærendum, atque his rebus singuli artifices adhibeantur. Eaque conuenit subinde mutare, & nouitate recreetur, magis quàm grauetur puer.

Fabularũ & apologorum ratio.

Ouid. Metamorph. lib. 2.
Liuius Dec. 1. lib. 2.
Gell. lib. 2. c. 19.
Hor. ep. lib. 9.
Horatius Sermo. lib. 2.
Homerus Odyss. κ.
De Sphynge Hesiodus, Theog. & Diodor. lib. 4.
Sampson Iudic. 14.
Zop. Herod. lib. 3.

Inter ludendum, ambulandum, inter seria, inter iocos, semper vel vocabulum lepidum, vel sententiam memorabilẽ proferat, & instillet institutor, modò Græcè, modò Latinè, nonnunquam apophthegma vel adagium captata occasione proponatur. Eaq; vesperi repetat, dum cubitum itur ac mane eadem exigat. Delectatur ea ætas maximè fabulis, quare has quoq; proponere conuenit, verùm non aniles & inutiles, sed regium ac serium monentes. Qualis est Phaëtontis fabula apud Hesiodum & Ouidium, qui impetrato ab auo curru solis, eoque per imperitiam neglectius gubernato, vt propius terram deflecteret orbem conflagrauit. Hanc fabulam adumbrare principem, qui malè Rempublicam administrando subditos in perniciem conijcit. Item Cassitæ apud Gellium exemplo admonendus princeps, ne omnia alienis oculis, & auribus committat. Menenij apud Liuium, de Satyro & homine Aesopi. Equi & muris, vulpis & leonis, cerui & equi, muris syluestris & vrbani apud Horatium, de socijs Vlyssis in porcos versis. Item ænigmata, veluti Sphyngis, Samsonis, Darij de Zo-

de Zopyro. Apud Platonem de homine non homine. Neque negligenda emblemata, velut prætorem non solùm manus, sed etiam oculos continentes habere decet. Nō dissimile Iudex et Senatus, sine oculis et manibus. Sylurus filios fasciculum virgarum confringere iubens: Item insignia, vt S.P.Q.R. *Centaurus significans secreta principum consilia esse debere. Delphinum ancoram tenentem significare principem subditorum incolumitatem procurare. Arbor apud Danielem, quæ bestijs vmbram præbet, Spartam nactus, hanc adorna. Hæc & similia mirè blandiuntur puerorum auribus, & adultis vtilitatem afferent, & discent libentius, si eorum argumenta tabellis depicta oculis subijciantur, & quidquid narratur, velut in tabella demonstretur. Accommodanda exempla amoris in subditos, atque clementiæ. Ad querimonias pauperum, & supplicum audiendas, quale illud eius, qui alteram aurem manu obturabat, inquiens, illam seruari alteri parti. Ad vitandam incontinentiam, exemplum Scipionis, virginem intactam reddentis sponso cum dote. Ad crapulam & ebrietatem detestandam, ostententur ebriosorum turpitudines, incommoda corporis & animi, quemadmodum seruos temulentos liberis ostentabant Lacedæmonij. Breuiter, omnia pia & salubria verba, opera, gestus, actiones, in postibus, fenestris, parietibus, mane, vesperi, inter ludendum, prandendum, cœnandum, ambulandum, vbique obuersentur. Non longè post hæc historiolæ, ac primùm quidem breuiusculæ & sanctæ, qualis Salomonis sapiētiam postulantis. Saulis vltio ob præuaricatū verbum Domini, aut etiam è prophanis, Deciorum & Curtij, ob incolumitatem Reip. occumbentium. Huc facilimè picturis elegantiusculis prouocabitur puellus, quare profuerit ad manum habere Biblia depicta. Liuium, Dionem, Plutarchum, ac similes historias, libros figuris & imaginibus adornatos. Non incommodè his adiungi poterit orbis descriptio in charta exhibita. Vnde nesciens per lusum Geographiam haurire possit principi, cum primis necessariam. Hic per præceptorem ostendetur, vbi in Asia Turca, & quantam orbis partem obtineat, vbi Indi Aethiopes, vbi Hierosolyma, vbi Christus passus in Syria, item quam expeditionem Cyrus, quam Alexander, quam Hannibal è Carthagine*

Plato de rep. lib. 5. Aenigmata. Cic. off. 1. Emblemata. Sylurus vide Plutarch. Centaurus, vide Emble. Alciati. Insignia. Vide Erasm. Adag. Apophthegmata. Malle vnum ciuē seruare, quàm mille hostes superare. Exempla vitandorum vitiorum. Pia & salubria vbique occurrant. Historiolæ. Picturæ. Geographicę picturæ. Liuius lib. 2. Decad. 3.

Stratagemata. *soluens in Hispaniam, atque inde per Galliam, atq; Alpes, quos aceto ruperat in Italiam exercitum tantum transmiserit. Adde stratagemata, quale Hannibalis fasces sarmentorum accensos præligantis boum cornibus, atque hoc fallaci apparatu præsidium Romanorum fugantis. Non*

Animantiũ figuræ & naturæ. *repugnauero si animantium, plantarum figuras, siquidem delectari puerum senseris ostentes, ita vt semper vtilitatem aliquam inde reportet, præsertim eorum, quæ non paßim obuia onocratuli, tragelaphi, elephanti. Quarum rerum picturæ arrident pueris, interim admonendum animal illud Elephas vel elephantus dici, & prominens illud, ei esse veluti manum, vocarique promuscidem. Si venationibus delectetur, vt solent ferè principes omnes, ostendes ceruos, capreolos, ibices. De natura leporis quod superfœtet. De cerui viuacitate, quòd serpentem voret, de cornibus abiectis, maximè sinistro. Iul. Cæsarem album ceruum reperisse, quo occiso collare inuentum cute obductum, in quo Alexandri Magni insigne, item de apri auditu acerrimo. In Libya leones capi prætenso igne, nam ignem intueri non sustinent, vt Oppianus scribit. Item quòd tàm ferox animal gallum timeat. Partalim vino capi. Si piscationi vacetur, habes quæ de Echeneide pisciculo memorãtur, qui onerariã remoretur nauem, etiam plenis ventis agitatam. De Pompilo nauis deductore, & nautilo pisce, qui pedes extendens tenuemq; membranam λέπτον ὑμένα inflans instar nauis fertur, artemq; nauigandi docuerit: de Delphino, de muræna coeunte cum serpente, de cancri astutia, qui dum ostrea in sole testas aperit lapillum aduoluit inter testas, atque sic captas deuorat. hæc & similia licet apud Basilium in suo Hexamero ex Oppiano plæraque deprompta reperire ad mores & pietatem eleganter accommodata. His rebus impensè delectantur pueri.*

Vide Oppian. in κυνηγετικοῖς.

Aristotel.
Plinius.
Aelian.

Pisciũ natura miranda.

Cancri astutia.

Ad secundam aut tertiam à prandio horam, Poëta aut scriptor aliquis legatur, qui vtili festiuitate delectet, velut Virgilius, Horatius, Claudianus, Fabellæ Aesopi, post & historiæ Thucydidis, Xenophontis, Liuij, Iul. Cæsaris, Q. Curtij, Plutarchi vitæ, atq; hic obseruanda principum ingenia, studia, successus Imperiorum, maximè Germanici imperij, itẽ Gallici, Philippi de Caminis, Froschardi, & quos suprà cap. 12. historicos deligendos

gendos scripsimus. Adde stratagemata ex Frontino, Vegetio, & recentioribus. Item Geographica, resque gestæ in tabulis monstrentur, de natura animalium, piscium, plantarum, item de meteorologicis mineralibus, ex Aristotele, Plinio, Aeliano, memorabilia excerpenda, atq; subinde cum voluptate tradenda. Hic rursus intermissio studiorum fiat.

Hora quarta lingua Gallica aut alia, legendus, vel Froschardus vel Philippus de Caminis. Et institutio quædam principis Gallica olim apud Balticum mare reperta à tuis maioribus diligenter seruata in bibliotheca paterna, quæ si publicata esset, magno vsui esse queat, poterũt & alia Gallicè, aut alia lingua scripta adhiberi, selecta tamẽ, nã Gallica lingua multũ habet mollitiei & parũ verecundiæ, quare nolim Centenouelles & similes impuros libros Gallicos proponi. Idq; apud Germanos, quib propter vicinitatẽ & cõmercia ea lingua vtilis, apud alias nationes aliã linguã proponere licebit, vt suprà de artibus principi necessarijs admonuimus. Latinã autẽ linguam discere vbiq; necessariũ, vt quæ toto propè orbe vsui esse poterit. Proinde ea in cõfabulationib. & inter ludendũ vtantur, aut lingua Gallica aliaúe quã discere magis fuerit operæprecium. Literis quoq; manuscriptis assuescat, & legendo & scribendo, quib. nisi quis assueuerit, non facilè assequetur aut imitabitur. Quare scriptum semper aliquod eius linguæ exhibendum proposito themate, quo manus exerceatur, & lectio. Quia autem diximus superius, memoriam thesaurum esse eruditionis, profuerit quotidie atq; subbinde aliquid memoriter recitandũ exigere, quo memoria exerceatur, quam nisi exercueris debilitatur, pueri etiã animos erigunt, audentioresq; in hominum cœtu ad dicendum redduntur. Curandum modis omnibus, ne vel δυσωπίᾳ, aut populi, aut turbæ conspectu consternetur aut terreatur puer princeps, quin potius assuescat masculà, dulci tamen pronunciatione intrepidè in cõcionibus & conuentib. dicere. Nam quantum commendet principem, ipsius vox apud populũ exemplis quotidianis perspicuum. Fabellas igitur pueri primùm recitare discant, velut Cassitæ apud Gelliũ, et Pauonis apud Aesopũ. Inde orationũ ἀντιλογίαν, quales Scipionis & Hannibalis, ex Liuio instituatur certamẽ cũ antagonista sodali, M. Portij Catonis pro l. Oppia, et l. Valerij de abrogãda

Institutio principis Gallicè scripta.

Latina lingua vbique vtilis.

Themata.

Memoriæ exercitium.

Ne homines timere discat.

Tyrocinia ad declamandum.

Dec. 3. lib. 4. ac lib. 10.

eadem

Liuius Dec. 4. lib. 4. *eadem apud eundem Liuium. Ex Herodoto Otanis pro statu populari, & Megabyzis Oligarchiam, Dariíq; monarchiam defendentis. E Thucydide Corcyrensium & Corinthiorum & Atheniensium orationes. Item Periclis orationes ad Pop. & similes, iisque exercitijs ad certamen animentur, vti T. Celsitud. cum generoso Comite Nuenario aliquando declamandi certamẽ instituimus. interim Dialogi, Comediæ, sed castæ recitandæ atq; agendæ. Incredibile, quàm hæc animos puerorum erigant. Siquidem hic amores, audacia, vrbanitates, iræ, odia, exprimuntur, quæ in Reip. conuentibus crebrò occurrunt, & his exercitijs simul & ad publicè dicendum accommodatiores redduntur pueri, & ad eloquentiam lingua, vox & corporis habitus, exercetur, actio, verba ac recitatio, si opus sit, corrigatur. Neque negligendum sermonis tàm Latini quàm Gallici, Italici, vel vicini exercitium, nam & scribendo loquendoq; fit* Thematia. *parabilior sermonis facultas. Thematijs igitur propositis exercendus puer. Hic primùm fabellæ, epistolæ, orationes proponendæ, quas modò è vernaculis in Latinam, ac rursus è Latinis in vernaculam, vel aliam linguam, transferre discant. Mirum quàm hac ratione linguarum proprietas comparetur. Sermonis facultas inter pueros, vt dixi, loquaces citra fastidium paratur. Nam linguam qui discere velit, versetur, in-*Plato in Alcibiade. *quit Plato, in multitudine. Leges etiam constituendæ, vt Latinè aut Gallicè, aut lingua magis necessaria loquantur, negligenti pœna sit vel terram osculari, vel aliud quippiam seruile præstare, ita verecundia magis quàm verberibus lingua ipsa vti consuescent. Quanquam Gallica in vulgaribus congressibus, & lectione facilè paretur. Latina potius literatos requirit sodales, quare cum præceptoribus hæc frequenter vsurpanda.*

A cœna agenda. *A cœna sicut & à prandio bilarioribus confabulationibus, musicis atque lusibus honestis, aut inambulationibus, exercitijsque leuibus, & minimè laboriosis vtendum, vt paulo ante à prandio obseruandum admonuimus, & infrà de valetudine dicetur.*

Vesperi, maturè, hoc est, circa nonam, cubitum se recipiat puer, hic tacitus, atq; seorsim in cubiculo meditetur, quibus studijs dies transactus, exigetq;

exigetque institutor vel pædonomus, quid eo die memoria dignum didicerit aut præstiterit, ne dies vlla sine linea effluxisse sentiatur, & vt id quod carminibus Virgilij nomine, sed ex Pythagoricis aureis translatis versibus proditum est:

Non prius in dulcem declinent lumina somnum
Omnia quàm longi reputaueris acta diei
Quo prætergressus, quid gestum in tempore, quid non
Cur isti facto decor absfuit aut ratio illi.
Quid mihi præteritum, cur hæc sententia sedit
Quàm melius mutare fuit, miseratus egentem.
Quur aliquem fracta persensi mente dolorem
Quid volui quod nolle bonum foret? vtile honesto
Cur malus antè tuli, num dicto aut denique vultu
Perstrictus quisquam, cur me natura magis, quàm
Disciplina trahit. Sic dicta & facta per omnia
Ingrediens, ortuq; à vespere cuncta reuoluens
Offensus prauis dat palmam & præmia rectis.

Expendenda præcepta Decalogi, vnà cum fidei professione, post an spartam vbique suam adornare studuerit. Quod si deprehensum fuerit, aut hic aut aliàs grauius admissum fatebitur culpam Deo, rogabitque veniam. Si nihil occurat agendæ gratiæ Deo seruatori, quòd à peccatis seruârit. Postremò in lectum se reclinans communiat & frontem & pectus crucis signo: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. In pace simul dormiens & requiescens se Deo commendet, preceturque, vt idem seruator ab omni incommodo corporis & animæ, ea nocte tueri, & oculos illuminare dignetur, ne obdormiat in mortem, vel dicat: Dignare Domine nocte ista, sine peccato me custodire. Psal. 4. *His & similibus sententijs è scriptura collectis se committere Deo condiscat puer princeps. Titus Vespasianus, Romanæ Reipub. delitiæ reputare vesperi solebat, num eo die benemeritum in Remp. aut in amicum contulisset. Quod si non deprehenderet: Diem, inquit, perdidi. Cæteras communes instituendi rationes consultò prætermisimus, quas quilibet institutor facilè accerset.*

Sueto. in Tit. Vespas.

Diē perdidi.

K De obiur-

De obiurgando, & an cædere oporteat puellum principem? Caput XXIIII.

CHrysippo pueri omnes infensi sunt, qui primus virgas in scholas intulisse proditur, putarità non verba satis ad pueritiæ petulantiam coërcendam, quin vbi his non profeceris, acerbius etiam instandum, atq; flagris vtendum. At nō Chrysippus primus virgas ostendit, sed Salomon quoq; eas probasse videtur, stultitia, inquiens, alligata est in corde pueri, virga disciplinæ diffugabit eā. Noli à puero subtrahere disciplinā, si percusseris eum virga, nō morietur, virga percuties eum, et liberabis animā eius ab inferno. Quibus subscribens Chrysostomus existimat omnino, si res requirat, virgæ non parcendum siquidem Heli filios suos verbis castigauit quidē, verùm cùm his nihil promouisset, neq; in tēpore virgis cohibuisset, immorigeri redditi & præfracti, præceptū Domini violarūt, quapropter pater simul cum liberis grauiter multatus est vt Regum historia testatur. Vates Psalmographus: Erudimini, inquit, qui iudicatis terram. Græcè legitur παιδεύσατε, quod frequentius ad castigationē morum pertinet. Quod nimirum pueri seueritate disciplinæ coërcentur. Lycurgus pædonomis hoc ius concessit, vt quidquid factu optimum existimarēt, pueris imperarent, & sicubi deliquissent, verberibus cæderent, adhibitis è puberum numero, qui flagra ferrent, vt verberibus, cùm opus foret pueros afficerent, quo facient, vt multi pueri verecundiam tuerentur, & facilius iussis parerent. Cyrus rex laudatissimus apud Xenoph. narrat se in iustitiæ disciplina à magistro verberibus cæsum, quod minus rectè iudicarit. De veterum Romanorum ritibus traditur pueros liberalia studia, & animi cultum ediscere solitos, à quibus, si quis offensum esset, prætextati anguillarum tergore, pueri ferula, à parentibus verò leuioribus flagris vel plagis plectebantur, quibus exciti disciplinis ad virtutem vegetabant animos corporaque.

[Margin: Prouerb.22. Prouerb.23. Chrysost cōtra Vitup. monast. lib.3. Heli. 1.Reg.1. Psal.2. Eras. in Psal. 2. Lycurgus. Xen. in Lacæd. Rep. & Pediæ 1. Alex. Nea.46.]

At contra Fab. Quintil. indulgentior, atque huic ætati gratior pueros omnino cædi non vult, quòd peruersa vt ipse inquit, ingenia ad quæuis verbera obdurent. Cato putat eum, qui vxorē aut liberos pulsasset, impium esse,

[Margin: Quint. lib. de Instit.7. Plutar. in Catone.]

esse, perinde ac si sanctissimis Deorum templis manus intulisset. Sarpedon Catonis pædagogus homo comis & vrbanus cõmendatur, quòd verba in promptu haberet magis quàm verbera. Sed additur Catonem omnibus illius iussis parere solitum. Gothi indignè tulerunt Alaricum adhuc puerum, Theodorici Bernensis successorem, à matre Amalezunta ad ludũ literarium ablegari ac verberibus cædi. Quare lacrymantem puerũ conspicientes obiurgabant matrem dicentes: Non decere eum, qui res maximas cum audacia & fortitudine aggressurus esset, præceptoris formidine terreri, neq; eum, qui ferulas exhorruerit, gladios & arma cõtempturum. Siquidem eum, qui liberis imperaturus sit, non inuitum plagis seruorum in morem ad virtutem ac literas impellendum, sed volentem ducendum, atq; sic assuefaciendum, vt virtutem amare, vitia fugere, literas discere, & quæ optima sunt, sua spontè consectari velit.

Sarpedonis laus.
Alaricus.
Procop. lib. 1.
Amalezuntha.

Porrò mihi neutra pars neq; recipienda prorsus, neq; reijciẽda videtur, sed prudentem institutorem velim ingenium suscepti alumni diligenter contemplari atq; metiri, vt aliàs admonitum est, nempe quorsum vergat, quibus delectetur, quibus offendatur, gloriæue stimulis excitetur, an laude, an deniq; præmijs ducatur. Lycon philosophus ostendit duos acerrimos stimulos excitandis puerorum ingenijs, pudorem & laudem, his maximè vrgendus puer, audiat & alios ob rectè facta laudari, & ob malè acta vituperari, vtraq; certè prodesse poterunt. Nazianzenus laudari, inquit, multis profuit, alijs vituperari, si in tempore adhibeantur, intempestiuè verò si proferantur nocent. Nonnulli priuata alij publica admonitione erubescunt. In primis igitur laudibus excitetur iuxta Poetæ sententiam:

Stimuli duo excitandis pueris ad discendum traditi.
Greg. Nazianz. de Epuc.
Correct.

Excitat auditor studium, laudataq; virtus
Crescit, & immensum gloria calcar habet.

Salomon instituturus filium pulcherrimam collo bullam, aureumq; torquẽ, pollicetur discenti munuscula. Quod si laudib. & vituperio te nihil proficere senseris, adhibẽdæ admonitiones seueriores, atq; etiã minæ intentandæ. Si nec his emendetur aut deterreatur, et res flagitet alium puerum in conspectu eius virgis castiget præceptor, perinde ac cæso catello leoni terrorem infringit domitor, mineturq; similem pœnam, nisi obtemperet,

Prouerb. 1.

 vt su-

vt superius de Eduardo rege diximus. Sin autem sæpius condonatum delictum periculosum iterare non cesset, omnibusque tentatis cohiberi non possit, & ætas talis sit quæ patiatur, & ingenium puelli Phrygium sit, certè virgæ parcendum non censeo. Virga enim cæsus non moritur, inquit Sapiens, præsertim si à vitijs enormibus & periculosis aliter abduci non possit. Sunt qui reueriti pueri ad indignationem propensum ingenium alios personatos subornant, à quibus castigetur, idque ea persona, quàm maximè exosam velint: ita tamen id faciendum, vt intelligat inuitum huc venire. Atqui propter literas non cædendos, cùm ad has per lusum & suauitate alliciendi sint. Tametsi reperiantur plagiarij & carnifices quidam truculenti, qui impotentia sæpe iræ seuerius in pueros furibundi feruntur, nihil aliud in Scholis agentes, quàm quod ferulis & virgis bonas horas terant. Nonnunquam temulenti vel aliàs exacerbati iracundiam in pauidam turbam eiaculantur, sæpe etiam animi gratia cædunt, non virgis flagellantes, sed capillis rapientes, cædunt, trahunt, pedibus conculcant, pulsant, contunduntque caput, os, maxillas, ferulis, fustibusq; tenella corpuscula frangunt, quod si omnino castigatio necessaria, non cædendi pueri in alia parte corporis quàm natibus, his enim virga cæsis nihil incommodi affertur corpori. Iulianus Iureconsultus scribit, Aquilia teneri præceptorē, qui atrocius puerum castigarit. Et Paulus Iureconsultus addit, proxima lege nimiam seueritatem instituroris culpæ assignari. Auxonem equitem Romanum scribunt filium flagellando interemisse. Quare sic omnes tàm patres quàm liberi commoti fuere, vt graphijs eum occidissent, nisi Augusti auctoritate seruatus fuisset. D. Adrianus quendam transportari iussit, qui filium, quod nouercam compresserat, necasset, patriam potestatem ratus, non in atrocitate, sed pietate consistere, vt tradit Iureconsi. Castigatio igitur sic temperanda, vt quemadmodum ait Seneca, castiges citra contumeliam atque iracundiam. Cicero ait, castigationem nonnunquam necessariam, sed sic moderandam, ne id videamur facere irati, verùm vt ad secandum & vrendum veniunt medici, sic & ad hoc genus castigandi raró inuitique veniemus, neque vnquam nisi necessariò, & cùm nulla reperitur alia medicina.

Prouerb. 23.

ff. ad l. Aquil. l. præceptor. & l. præced.

Auxonis crudelitas, in filio castigãdo.

l. diuus. ff. de paricid.

Castigatiõis modus.

Cic. off. 1.

medicina. Ira procul absit, cum qua nihil rectè fit, & vt ait Xenophon, Res inconsiderata est ira ἀπερινόητον ἡ ὄργη, quæ sæpe facere cogit, quorum post pœniteat. Clementi potius vtendum castigatione, grauitate tamen adiuncta, ita vt seueritas retineatur, & contumelia repellatur, atque illud ipsum acerbitatis, quod habet obiurgatio, significandum est ipsius causa susceptum esse: Mox etiam & semper medicamentum adhibendum, nempe placida monitio, detestatio vitij, ob quod castigatus est, & ad virtutem contrariam hortatio. Ita fiet vt puer, quòd maximè conuenit, studeat reconciliari castigatori. Et nisi prorsus præfracti sit ingenij in posterum gratiam habebit ob castigationem: Si minus, & operam & impensam perdideris, tuo interim officio perfunctus eris. Certum est enim, si quos pueri non metuunt ac reuerentur præceptores, hos nec amare. Quare in primis curet auctoritatem ac maturitatem tueri institutor apud puerum. Sunt ingenia quædam peruersa ac præfracta, & naturali quadam arte ad conceptam iram dissimulandam nata, in his igitur cognoscendis perspicacem esse oportet. Id quod haud dubiè in Nerone præuidit Seneca, & in Ptolomæo Aristomenes. Hos, quandiu adhuc sequax est materia, flectere commodis modis conuenit, nam adultiorem principem obiurgare, ac in metu continere parum tutum est, sed hic potius modesta grauitate sic se comparet preceptor, vt reuerentia deterreat, magis quàm metu à peccando puerum. Nam ijs, qui auctoritate sua apud principes freti, eos in metu continere voluerunt, infeliciter cessisse compertum est, & cum in alijs cum in Comite S. Pauli Conestablio Franciæ, ac Carolo Burgundo, luculentum periculi extat exemplum. Adde Michaëlem Zilagium Vngarum, quòd Matthiam regem nepotem liberius castigasset, atque tetricis verbis corripuisset, ne in pœnitendam intemperantiam prolaberetur, in extremum vitæ discrimen peruenisse, vt Bonfinius auctor est. Nam vt sunt aulæ inuidia & factionibus plenæ, qui principum vitia corripiunt, atque cupiditates impedire cupiunt, facilè adulatorum atque detrectatorum studijs in periculum pertrahuntur. Curtius memorat Ephestionem regi Alexandro longè omnium charissimum, & cum ipso pariter educatum, secretorum

Xen. in Hippica.
Ira nihil rectè fit.
Ingenia perdita.
Philip. de Camin. lib. 4. & 5.
Comes S. Pauli.
Mich. Zilag.
Bonf. decad. 3. lib. 10.
Q. Curt. 8.
Ephestion.

omnium arbitriū, libertatisq́; in admonendo illo nō aliud ius tenuisse, quod tamen ita vsurpabat, vt magis à rege permissum quàm vendicatum ab eo videretur. Mea sententia profuerit institutorem imitari, quod Columella scribit de bono villico, vt malis cauere ne peccet operarius, quàm cùm peccauerit punire. Ita formando principi omnes viæ ad peccandum, percludendæ, tollendæ occasiones, vt suprà dixi, & admonitionibus maturis retrahendus à malis conatibus. Nam cùm puer hic, qualis qualis sit ad principatum educandus, neque habiturus alium quem reuerebitur quàm Deum solum, magna oportet sedulitate hunc ad Dei metum inducere, atque efficacibus præceptis præmunire & exemplis præmiorum, quæ consecuti sunt boni principes, quibus eruditio, & probitas dignitatem, & felicem rerum successum attulerunt. Et quia Deum reueriti eius mandata obseruarint, in hac vita, gloria, sapientia, opibus, corporis salubritate, longæuitate, & post hanc vitam æterna beatitudine donati sunt, quod de Dauide, Salomone, Iosaphat, Ezechia, scriptura testatur. Deinde vindictæ proponendæ sunt, quibus mali principes, qui concupiscentijs suis indulserunt, nec Deum reueriti sunt, malè multati sunt in hac vita temporaria, & in futura nunquam finiendas pœnas luunt, vt de Saule, Nabuchodonosore, Balthasare, Herode, Achab, Iezebele proditum. Et hodie manifesta Dei vltione intuemur quorundam principum tyrannidem atque scelera puniri, alij ditionibus exiguntur, alij morbis vltricibus officij neglecti admonentur. Deus enim vindicem habet oculum, qui omnia videt, audit, gubernatque vindex omnis mali, & boni compensator. Quod si in hac vita afflictionem, iudiciumque intermittat, in futura tamen ineuitabilis & formidabilis omnibus facinorosis iudex futurus, acerrimam administratæ Spartæ est exacturus rationem. His & similibus exemplis stimulisq́; proderit adolescentem principem pro indolis ratione admonere, quæsita vndecunque occasione, hortari quoque ad lectionem. Libri enim non metuunt furorem principum & indignationem, quò minus vera moneant aut acerbius obiurgent.

Salubre consilium.

Columel. lib. 11. c. 1.

Dei metus in primis principi inculciendus.

Apud ſuósne an apud exteros & in aula, an ſeorſim educandus princeps? Caput XXV.

IAM inde à priſcis vſurpatum videmus, vt heroës & ingenui parentes ſuos liberos peregrè ad mores, diſciplinas ac linguas externas percipiendas ablegent. Græcis ſolenne fuit apud Chaldæos & Aegyptios peregrinari. Romani atque etiam Scythæ & longinquæ nationes liberos ſuos Athenas mittebant, tanquam ad mercaturam bonarum artium, vt Cicero ait, Germani non ita pridem idem imitati cœperunt filios in Italiam, Galliamq́ mittere ſtudiorum, linguarū, militiæ atq́ commerciorum gratia, à vetere nimirum more ſuo recedentes, nempe indigenis artibus, hoc eſt, agricultura & militia contenti olim Germani ab externorū negociationibus abſtinebant. Quem maiorum noſtrorum morē, ſi adhuc retineremus, noſtramq́ Germanam ſimplicitatem ac integritatē boni conſuleremus, neq́ externos mores ac gentes admiſiſſemus, præclarius nobiſcum ageretur. Cato & alij veteres Romanæ integritatis viri querebantur cum externis diſciplinis luxum quoq́ importari: Ita nos dum peregrinis moribus, linguisq́ ſtudemus, quod illic diſcendū erat vtile negligimus, mollitiem, luxum leuitatē aliosq́ malos alienarum nationū mores reportamus, Et quæ maiores noſtri, veluti petulantiam, mollitiem, & thraſonicam leuitatē abominabantur, ea nos Sybaritis molliores magnis impenſis ſtudijsq́ comparamus, veteremq́ illam maiorum noſtrorum maſculam, & multorum literis commendatam virtutem reijcientes externa imperia, religiones, & omnia turpitudinis genera ſubſtituentes recipimus. Porrò quia hoc tempore quorundam principum res, cum propter affinitates & commercia, tum propter ditionum vicinitatem poſtulare videntur, vt externorum linguas & mores cognoſcant. Non repugnauero, vt videlicet princeps externorum moribus noſcendis linguisq́ diſcendis aliquandiu à conſpectu gremioque materno ſegregetur, modò in aulam mittatur rectè inſtitutam, nimirum vbi non luxus, mollities, prępotationes, gula,

Germani olim ab externis abſtinebant.

Cor. Tacit. de moribus Germ. & Cæſ. de bell. Gall. lib. 6.

Externus luxus cum peregrinis moribus inuectus.

prædium suum rusticum nunquam esset egressus. Veteres Venerem fingebant pedibus testudinem prementem, loquentemq́; οἰκ۞ φίλ۞, οἰκ۞ ἄρισ۞, significare volentes matremfamiliâs ab ædibus discedere non debere. Quod symbolum maximè ad principem pertinere videtur, vt domi apud suos & educetur & maneat assiduus, nimirum quo iam inde à pueris & suis assuescat, statum, conditiones cognoscat & curæ sit, patrios cultusq́, habitusq́, locorum, Nempè statuta, priuilegia, cõsuetudines ciuium, omniumq́, ordinum suæ ditionis ingenia discere. Quæ res cùm in vniuersum gubernationi plurimum prodesse, tum amorem mutuum confouere solet, vt videlicet subditi principem suis moribus assuetum & vtentem diligant, & ipse assueta quoque redamet magis quam externa: Nam si peregrinis moribus hominibusque assuetus fuerit, illos etiam suis anteponet, repudiatis patrijs. Quod certè magnam sæpe inuidiam maximis monarchis & principibus conciliauit. De cyro iam diximus. Venonem Parthi non ob aliud oderant quàm quòd apud Romanos obses & hostium artibus infectus fuerat, diuersis à maiorum institutis, rarò in venatu, segni equorum cura, quoties per vrbem incederet lecticæ gestamine, fastuque erga patrias epulas irridebantur & Græci comites, prompti aditus obuia comitas, ignotæ Parthis virtutes, noua vitia, & quia eorum moribus aliena, perinde odium prauis & honestis, vt Tacitus memorat. Vnde factum vt excito Artabano regno exploderetur.

Princeps nusquam melius quàm apud suos educatur.

Id notet Princeps.

Cor. Tac. li. 2.

Venones Parthorum R.

Ad eundem modum profectiones & peregrinationes crebræ non probandæ in principibus, nisi necessitas publicæ vtilitatis exigat, sed potius vt apum rex se in medio suorum contineat. Aeneas & Vlysses multarum gentium vrbiumq́, lustratione celebres sunt, sed partim necessitate impulsi, partim cum suorum subditorum magno detrimento. Et dum externis occupandis inhiant, plerunq́, id accidit quod cani Aesopico, quod certè Cyro, Alexandro, Hannibali, immò etiam Christianis Friderico, Vladislao & alijs plerisque parum feliciter cessit, dum suis relictis peregrina regna inuaserunt. Hierosolomytanæ & Compostellanæ nauigationes quid aliud proficiunt quàm si cubiculo inclusus cogites te nauigare eodem? Quod si maximè vacaret, ac principi iuueni nondum imperio

Peregrinationes Principum.

Apum Rex.

admoto citra periculum liceret lustrare Italiam, Galliam atq; Germaniam, quæ certè nostra ætate regiones sunt Christiani orbis præcipuè spectandæ, & quid quibusq; in locis dignum obseruatu vel institutorum vel antiquitatum vel ædificiorũ ac munitionũ, non magnopere repugnauero.

In aula parentum, an seorsim educãda pueritia principis.

Sed quæres in auláne paterna maternáue, an seorsim in ditionibus suis priuata aula educãdus? Quinctilianus futurum oratorem instituens in scholasticorum turba versari mauult, idq; multis rationib. contendens, quas recensere hoc loco superuacuum arbitror. Siquidem Principis institutionem vti longè aliam ostẽdimus esse quàm priuati, ita rarò videmus principes gubernationi destinatos in cœtu Scholasticorum aut publicis gymnasijs institui. Sed in aulis ferè, neq; id nouum est institutũ. Sic Daniel & heroici liberi Iudæorum ac Babyloniorum in conspectu Regis educabantur. Et Cato filium suum domi institui voluit. Equidem principem puerũ, nisi sit aula cùm primis benè instituta moribus & disciplina, quales paucas reperias, malim in huius temporis aularum licentia & dissolutione seorsim educari, priuata quadam œconomia qualem superius descripsimus, cùm ob alias causas corruptionis, tum quod plus auocamenti sit à recta institutione, neq; rectoribus ea est auctoritas & facultas formandi, quæ esse potest si seorsim educetur. Subinde tamẽ parentes puerum tanquam segetem adhuc in herba pullulantem visere conducet, non aliter quàm agricolam subinde agri sui cultores visitare atque inspicere cessantes vrgere proderit, vt suo de Rectoribus capite IIII. diximus superius.

Inst. Orat. lib. 1. cap. 3.

Daniel. 1.
Plutarch. in Cat.

De valetudine ac forma tuenda, Cap. XXVI.

PYrrhus Epirotarum rex Dijs immolans proditur non regni amplitudinẽ aut diuitias aut gloriam optasse sed sanitatem. Vnde ab Imperatorib. liber mandator dariũ solebat, in quo prius de valetudine curãda præceptum continebatur. Antiochus prælio cum Galatis conflicturus per quietem arbitratus est Alexandrũ sibi assistere ac monere, vt prius quàm in aciem milites perduceret signũ proponeret ὑγιαίνειν, id est, bene valere. Pythagoras quoque ea vsus est salutatione in Epistolis. Et Socrates

Pythagoræ παραγγέλματα.

crates apud Platonem à Pane alijsq́ dijs postulat, vt intus pulcher efficiatur, & exteriora interioribus sint amica. Apud eundem traditur corporis habitum firmum menti suggerere ministerium aptum, ne corporum imbecillitate impediti militaribus ciuilibusq́ actionibus tanquam laboriosis absterreamur. Multum enim positum est momenti ad virtutem in victu ipso atque cultu corporis. Sæpe enim morbos peruertere mentem videmus, neque abs re, nam corpore benè constituto, cætera melius cedunt, sin autem malè habeat corpus, etiamsi omnes & animi & fortunæ dotes affundantur, parum nobis vsui esse poterunt. Nam hi rectius valent qui corpore sunt viribus valido, quo in bellorum certamine se suosq́ seruare, patriam tueri, periculaque superare possint, & vitam lætam & plenam auctoritatis ducant, suisq́ liberis optimos posteritatis fructus relinquant. Adde animum officio suo ritè persungi non posse si imbecillitate corporis impediatur, siquidem obliuio, mœror, furor, animiq́ue durities à corporis mala habitudine oritur, vt eleganter disputat apud Xenoph. Socrates. Quare hîc repetenda quæ initiò de cura infantis iam editi diximus, frustra de semine præparando laborem sumi ab agricola nisi terram prius idoneam effecerit. primùm igitur precandum à Deo, vt sit mens sana in corpore sano, deinde cura diligentiaque adhibenda, vt ea vsurpemus quæ ad corpus firmandum conducunt, animi vigorem excitent, & ad institutionem reddant habiliorem. Infantes autem nonnunquam vel à parentibus morbidis vel intempestiuè procreantibus redduntur vitiosi. Interdum verò nati quidem bona temperatura integrisque membris, intemperantia vel morbis nutricum corrumpuntur, ac simul cum lacte malam valetudinem sugunt. Hæc vt cauerentur suprà de nutricibus deligendis admonuimus. Iam verò si nata sit soboles, qualem optamus, salubris beneque temperati corporis, eam ne socordia aut vitio aliquo nostro sinamus corrumpi aduigilādum erit. Id autem ne fiat partim efficies cœli locorumque delectu, partim victus vestitusque ratione, quibus corpora vegetantur, aluntur atque confouentur, partim exercitio, motu corporis, adde quietis & somni moderatione. In omnibus tuendæ valetudinis rationibus optimum est vt suam quisque naturam norit, attestantibus

Plato. in Protag.

Corporis habitus menti suggerit ministerium.

Morbi è corporis mala habitudine.

Memor. lib. 3.

Mens sit sana in corpore sano.

Iuuenalis Satyra 10.

Suam quisq; naturam norit.

De loco ad bonam valetudinem deligendo. Caput XXVII.

Socrates apud Xenoph. Si quis, inquit, cerdonem aut fabrum instituat, aut equitem, is certum habet locum, quo eum mittat. At si quis instituere aut discere, quod sit iustum, aut liberos erudire paret, non inueniet locum idoneum. Principibus autem facilè fuerit in tàm ampla ditione locorumq́ delectu habitationem & salubritate aëris & ceteris huic instituto accommodis rebus destinare. Deligendus autem puero educando locus est & salubris aëris temperatura & amœnitate, venationibus, inambulationibus & exercitijs corporis idoneus. In primis ab incursibus & insidijs tutus. Vt semina & plantæ non quibuslibet locis proueniunt æquè feliciter, sed hîc segetes melius, illic felicius vuæ, vt Poeta canit. Ita non quælibet loca quibuslibet corporũ constitutionibus cõgruunt. Cyrus apud Xenoph. Persicam regionem vt montosam & asperam duris & laboriosis hominibus educandis conuenire contendit. Ex Platone obseruatũ aëris temperaturam, locorumq́ rationẽ plurimùm ad salubritatem corporis, atque adeò ad disciplinas indipiscendas efficere. Vnde Græciam traditum disciplinæ aptiorem, nam Græcos mediam regionem sortitos ingenio cæteris hominibus præstantiores tradit Aristoteles. Phœnicem Aegyptum pecuniæ cumulandæ & quæstui, sicut hodie Venetiæ & Brabantia homines sagaces edunt ad quæstum. In furorem & iram propensos videmus, qui apud Barbaros educati sunt. Mores enim sicuti plantas ad regiones habitum respondere existimant. Cicero videre, inquit, licet acutiora ingenia & ad intelligendum aptiora, eorum qui terras incollunt, in quibus aër purus ac tenuis, quàm illorum, qui vtuntur crasso. Vitanda loca paludibus putrida, vaporosa, nebulosa, & supra modum calida. Nam præstant malæ valetudinis causas. Ad æstiuos temperandos calores & amœnitatem locorum plurimùm conferunt salientes riui. Vitanda etiam loca, quæ infestis eius regionis ventis obnoxia sunt, & flumini imposita magno. Quod si habeat præstat auersam frontem habitationis a flumine esse, cùm plerique amnes æstate vaporatis hyeme

Xenoph. ἀπομνημ. δ'.

Locorum ratio.

Ped lib. 1. Persica regio.

Timæo Plato Menexemo. & de ll. lib. 6. Græcia.

Phœnice. Aegyptus. Pol. 7.

Cic. de Nat. Deor. lib. 2. Mores ad regionis habitum accommodari.

Lib. 1.

Celf. lib. 1. c. 2.

Habitatiões, cubicula, cellaria, quam regionẽ spectare debeãt.

Cato de re Rust. lib. 1. c. 1.

Situs optimus habitationis.

Varro de re Rustica lib. 1. c. 4. & c. 13.

Aeris ratio.

Col. lib. 1. c. 3.

Vitruuius lib. 1. c. 4.

Aegin. lib. 1.

Palladius lib. 1. c. 3.

frigidis nebulis caligent, quæ nisi in maiorum ventorum inspirantium submoueantur pestem inferunt hominibus pecudibusq́, vt Columella testatur. Idem à paludibus & militari via vult esse remotam salubrem habitationem, quod illa caloribus noxium virus eructet, gignetq́ue, & aculeatorum & venenatorum animalium examina, è quibus cæci sæpe morbi gignantur. Sed regiones omnes, vt loca quædam habent alijs amæniora salubrioraq́, ita conuenit principi delectum habere, vt habitationẽ editiorem ad orientem & meridiem spectantem eligat sub aëre subtili, nec frigido, nec humido. Id Aristoteli & Aeginethæ placere video, quibus etiam Celsus subscribens: Habitare, inquit, ædificio lucido perflatũ æstiuum, hybernum solem habentem. Vitandæ ædes obscuræ, situ aut vaporibus obnoxiæ, perflatu carentes. Cubicula & cœnacula orientem maximè ventum excipiant, alta, lucida, perflatum habentia, item apothecæ, vestiaria, bibliothecæ, armaria, & quidquid à putredine & rubigine ac tineis velimus sartum tectum præstari, orientali septentrionalique regioni opponemus, hæc enim, quia à calore solis remota, non ita est obnoxia mutationi ac corruptioni. Item latrinæ quoq, ad eandẽ regionem collocatæ non perinde fœtorem edunt, quàm quæ ad meridiem & occidentem. Cauere igitur, vt Celso placet, oportet meridianum solem in ædificijs, item matutinum, & vespertinum frigus, atq, auras & fluminorũ & stagnorum. Cato eum situm optimum iudicat, quæ sit sub radice montis, & spectet ad meridianam cœli partem. Varro & Columella eum aërem petẽdum, qui calore & frigore tẽperatus sit, quem ferè obtinet collis, quod neq, depressus hyeme pruinis, aut torret æstate vaporibus. Idem fere Vitruuius & Aegineta: Aerem nempe deligendum planè purum, quem neq, stagnorum, neq, paludis, neq, alicuius barathri pestiferam auram eructantes exhalationes perturbant. E diuerso qui latrina quapiam vastum aliquod oppidum aut numerosam turbam purgante inficitur pestilens est. Adde aëris etiam salubritatem declarare habitatorum considerata corpuscula, si color sanus, capitis firma synceritas, inoffensum lumen oculorum, purus auditus, etsi fauces liquidæ vocis commeatum præbent. Contraria his noxium cœli spiritum profitentur. Vitiosus etiam aër, qui nebulosus, & qui in valle iu-

gis vndiq; celsis inclusus, nullam alicunde suscipiens auram. Quicunq; igitur ad hunc modum infectus fuerit aër, omni ætati, omniq; temperamento iuxta officit, vt Galenus & Æginetha testantur. Hippocratem mutatione ædificiorum ciuitatē pestilentia liberasse traditum est à Varrone & Vitruuio, & alijs plærisq;. Postremò, quia aqua plurimùm ad valetudinem facit, huius quoq; nō mediocris ratio habēda, nam ea plurimùm omniū nutrimentorū vtimur. Quæ sic agnoscetur primùm, ne à lacunis, aut à palude profluat, nec de metallis originē ducat. Sed sit perspicui coloris, nec vllo aut sapore aut odore vitietur. Nullus limus insidat, frigus tepore suo mulceat, æstatis incendia frigore moderetur. Sed quia solet his omnibus in speciem custoditis occultiorem nōxam, tectior seruare natura, ipsam quoq; ex incolarum salubritate noscamus. Si fauces bibentium puræ sint, si saluo capite, in pulmonibus, ac thorace, aut nulla est, aut rara causatio, nam plærunq; has nōxas corporis ad inferiorem partem, quæ suprà sunt corrupta, demittunt, vt vitia à capite ad pulmonē vel stomachū morbi causæ decurrant, tunc culpandus aër potius inuenitur. Vbi hoc quoq; Celsus admonendum putat, vt si mutandus sit locus, quòd neq; è salubri in grauem, neque è graui in salubrem transitus tutus sit. E salubri in grauem prima hyeme, è graui in eum, qui salubris est, prima æstate transire melius: Atq; hæc de loco corporis salubritati congruente. In eo etiam deligendo prospiciendum, ne sit vel insidijs, vt diximus, obnoxius, aut vicinus auocamentis, quæ & gubernando puero & instituendo possint esse obstaculo.

Galen. de tuenda val. Paul. Aegin. lib. 1. de arte medica.

Aquæ ratio.

Varro de re rust. lib. 1. c. 4. Vitruuius lib. 1. c. 4. Palladius lib. 1. c. 4.

Celsus lib. 1. c. 3.

Aeris mutandi cautio.

De cibo potuque ad valetudinem accommodo. Caput XXVIII.

DE crapulæ & intemperantiæ vitio vitando superius traditum, vbi de virtutum officijs disseruimus. Hic de diæta valetudini & animo vegetando idonea dicetur. Frustra enim valetudinem remedijs & pharmacis curare studemus, si cibo, potu, atque diætæ intemperamento, nos ipsos perdamus. Id quod Persius queritur:

Persius Satyra 2.

Poscis

Poscis opem neruis corpusque fidele senectæ:
Esto agè sed grandes patinæ tucetaque crassa
Annuere his superos vetuêre Iouemque morantur.

Ita Cynicus irridebat eos, qui pro sanitate litarent, & interim immodico cibo & potu se ingurgitarent. Nam cùm nutrimentum sit elementum & principium omnium animantium, neque viuere quisquam potest nisi nutriatur, vt testatur Socrates apud Xenophontem, & respondent quæ Athenæus addit: Videri hominum corpora perinde affici atque plantas, quæ si nimio imbre vel inundatione ingurgitentur non posse in altum surgere, neque oportuno tempore fructum producere, sed si moderato & quantùm natura requirit liquore aspergantur, & lætiores crescere, & maturè vberes producere fructus: Ita & nostra corpora, si enim alimentum immoderatè, & supra vel minus quàm natura requirat, ingurgitemus simul & mentem, ac corpus hebetari, ac vigorem sepeliri experimur. Quare Hippocrates requirit ἀκορίαν τροφῆς *non nimiam exaturationem nutrimenti, vt Clemens in lib. Strom. A. Gell. ex Varrone tradit pueros impuberes, si cibo potuque ac somno plurimo vtantur, fieri hebetiores. Quandoquidem cibo, quo vtare interesse aliquid ad mentis aciem putatur. Timæus docet humores prauos vndiq, animum perturbare, atque afficere ægritudine, inconstantia, audacia, formidine, obliuione, inertia. Galenus addit mores consentaneos constitutioni corporis gigni. Lycurgus cùm videret apud Græcos pueros pro ventris capacitate repleri, ipse instituit, ne crapula grauarentur, & inediam ferre discerent, ratus hos ad labores tollerandos accommodatiores, & omnem cibum admissuros, ac etiam salubriores fore, & corporis statura meliore. Socratis sententia est, non viuere nos vt edamus, sed edere vt viuamus, hoc est, non tantùm sumendũ quantùm possimus, sed quantum necessitas postulat, & quod dici solet: Necessitati locus seruandus. Vnde rex apud Danielem pueris dimensum constituit, ne crapula perderentur ingenia. Alexander quoque Imperator adhuc puer à matre in poculentis & esculentis magna diligentia custodiebatur, vt testatur Herodianus. Ferculorum varietas cum primis fugienda. Apud veteres cum*

apparatu

Xenoph. ἀπομνη. β'.
Athenæi sententia.
Dipnosoph. α.
Cibus nimius noxius ingenio & valetudini.
Noct. Att. lib. 4.
Daniel 1.
Herod. lib. 5.
Fercula immodica.

apparatu magnifico exquisitissimæ epulæ dabantur, trinis ferculis, secutis mox temporibus etiam senis Romani cœnam exhibuere, idque luxuriæ erat, quo modo Augustus conuiuia inijsse fertur, qui non amplius trinis ferculis, aut cum abundantissimè senis conuiuebatur. Tiberius diebus solemnibus etiam pridiana sæpe opsonia & semesa opposuit. Titus cœnas iucundas magis quàm operosas instituit. Theodosius modico & castrensi cibo contentus fuit. Traianus in vescendo frugalissimus fuisse fertur & Iulianus. Abominandus Neronis, Caligulæ, Heliogabuli perditæ luxuriæ, cœnarumq́ apparatus. Temperandum etiam à noxijs veluti vehementer salsis & ardentioribus aromatibus vino, potionibusq́, trimmate ac aromatite, Cretico vino & similibus, quandoquidem hæc corpora per se calida adurunt, illa siticulosa nimis reddunt. Abstinendum à crudis grossis ac difficilis concoctionis cibis medici præcipiunt, immoderato etiam carnium esu, præsertim crassiorum, quæ ingenia puerorum inertia reddunt & stupida. Idem sentiendum de præpinguibus ac viscosis piscibus. Alimentis potius lenioribus alendi pueri, primùm, quales sunt putes, olera, oua recentia, lactaria, offulæ, butyrum, placentæ, auiculæ, pullastri, & similia, quæ concoctionis sunt facilioris. E piscibus pusilli, nam grandiores non probantur à medicis ac præpingues, atq; ex his magis fluuiatiles, quàm palustres. Cibo autem meliore, si temperatè sumatur, corpora vegetari tradunt, physici maximè euchimis, hic enim bonum generant sanguinem. Sanguis spiritui seruit, spiritus sensibus, sensus rationi & intellectui. Tenuissima sanguinis pars in cordis fontem fluit, vbi vitalis virtus viget: Vnde creati spiritus cerebri Palladis arcem ascendunt, in quibus sentiendi mouendique vis dominatur, itaq; talis ferè contemplatio qualis sensus, talis sensus qualis sanguis, vt tradit Marsilius Ficinus è medicorum placitis. Siquidem τὸ αἷμα πλεῖς ξυμβάλλεται μέρος σωματος. Hippocrates inquit: Quare hominibus gubernationi, & studijs, ingenioq́ destinatis, maximè conueniunt exquisiti cibi. Tametsi sanum hominem, & qui negotijs ac rei militari, omniq́ enentui educatur, parabili cibo assuescere, varioq́ vitæ generi, ac cuiuis diætæ se accommodare conueniat, vt Celsus ex Hippocratis Aphorismo scripsisse

T videtur.

Suet. in Aug. Vide Alexan. Neap.
Augustus.
Tiberius.
Titus.
Theodosius.
Nero.
Heliogabulus.
Noxij cibi & potus.
Cibi pueris idonei.
Cibo idoneo ingenia foueri.
Marsilius Ficinus lib. 1. c. 2.
Cels. lib. 1. de re med.

videtur. Sanum, inquiens, hominē vitæ genus variū habere oportet, modò ruri esse, modò in vrbe, sæpiusq; in agro, nauigare, venari, quiescere interdum, sed frequentius se exercere. Siquidem ignauia corpus hebetat, labor firmat. Nullum cibi genus refugere, quo populus vtatur. Interdū in conuiuio esse, interdum ab eo se retrahere, modò plus iusto, modò nō amplius absumere. Bis die potius quàm semel cibum sumere receptum. Ieiunia ante sedecim annos, aut circiter in pueris nō admodum requirenda, vt Hieronymus Lætam docuit. Attamen princeps in tantis delitijs sobrietatis frenis cohibendus, et temperantiæ tyrocinia iaciēda sunt. Tempus certum præscribi nō potest, sed suum cuiq; pro ratione loci & tēporis assignandum. Ammianus scribit, Persis nullam horam præscriptam cibi sumēdi, præter quàm regibus: sed suum cuiq; ventrē solarium esse. Apud Plautum Parasitus destomachatur in eos, qui horologiorū vsum commēti sunt, cum venter sit optimum horologium. Cibum rectius ordimur à leuiorib. humidioribus atq; laxātibus. Celsus præcipit ab oleribus & salsamentis similibusq; rebus incipiendum melius, post carnem absumendam, quæ assa optima aut elixa sit. Condita omnia duabus de causis inutilia sunt: quòd & plus propter dulcedinem absumitur, & quod modò par est, tamen ægrius concoquitur. Secunda mensa bono stomacho nihil nocet, in imbecillo coacescit. Si quis itaq; hoc parum valet, fructus & bellaria melius primo cibo absumere Celsus suadet. Atque cauendum ne pueri adhibeantur illis varijs & prolixijs conuiuijs, repotijs & comessationibus, quæ nonnunquam in multam noctem producuntur, explentq; salsis & aromatibus ac viro. Vbi

Frigida cum calidis pugnant, humentia siccis:
Mollia cum duris, cum dulcibus acria certant.

Quæ etsi sæpius iam dicta, tamen bis aut ter, quæ pulchra aut necessaria repetenda sunt iuxta Platonicum prouerbium.

Suprà ostendimus, quàm sit crapulæ ebrietatisque turpido vitanda, hic de moderato & ad valetudinem vsurpando victu disserimus.

A vino meraciore prorsus abstinere pueros conuenit, vtendum potius cereuisia bene cocta Germanis, neq; illa nimis crassa neq; recente aut vetusta nimis. In Gallia, Italia & Hispania pueri ante adolescentiam vix

vinum

Ieiunia nimia pueritiæ nō couenire. Hier. ad Lætam.

Ammia. Marcel. lib. 23. Persarū mos.

Venter optimum horologium.

Celf. lib. 1. 2.

Cœna à quibus cibis ordienda.

Secūda mensa.

Repotia cauenda.

Vini quæ ratio habenda.

vinum attingunt, nisi vehementer dilutum & perparcè. Plato ante annū decimum octauū ætatis à vino penitus abstinendum existimat. Testantur veterum historiæ vini vsum non modò Germanis olim nō fuisse vsurpatum, verum etiam alijs pluribus nationibus. Pueris autē maximè à vino meraciore temperandū. Nam cum succo abundent siti, non adeò grauātur, & quia calidiores natura, his si calidiorē cibum vel potum præbeas, perinde feceris, ac si oleum camino addideris. Muniendus igitur aduersus vini insidias, non fuga sicut Aegyptij, neq; ingurgitatione nostrorum pestilentissimo more, sed animi cōstantia, moderationeq́; vsus tēperans fiat & continens. Non audiendi, qui dicunt, oportere principem assuescere vini potui, quasi periculum sit ne discat bibere. De Cyro fertur, quod cum Lacedæmonijs societatem initurus: Cor dicebat sibi longè grauius, quàm fratri esse, nam plus meri quàm ille biberet, & melius ferret. Bibendū ita censuit interim, vt sitiens desineret ὥστε διψῶντα πίνειν. Adolescentem vino assuefieri, & ad omnem diætæ rationem assuescere non admodum repugnauero, si sic ingenium & natura ferat. Plato quidem modicos vini haustus concedit, sed honestis inter bibendum remissionibus refici animos ad sobrietatis officia sapienter existimat. Sunt qui putent, non sæpius in mensa bibendum, quàm ter aut quater ad summum, atque hunc morem vidimus obseruare Imperatorem Carolum, & Galliarum regem Franciscum. Suetonius testatur, Augustum nō amplius ter in cœna bibere solitum, & cùm largissimè sextantes non excessisse, neque temerè interdiu, sed tantùm pro potione sumpsisse perfusum aqua panem, aut succo vinosiore aridumúe pomum. Breuiter, famem cibus, sitis potum, exspectet, & si fieri potest, auiditas vtriusque supersit, mensæ & fastidium absit. Cibus & potus sic seruiat, vt iuxta Platonis sententiam Philosophiæ ministerium præstare possit. Pytagoras cùm videret quendam curare indulgentius corpus: Hic, inquit, non cessat molestiorem carcerem sibi struere. Inter prandendum ac cœnandū facetijs, sed eruditis, castis, atq; etiam musicis vti cōuenit, facessant lasciuiæ, turpitudines. Neq; hic de serijs & de secretis disputandum, quod quidam præter decorum facere consueuerunt. A prandio & cœna similiter bilarioribus confabulationibus, itē musicis

Notet princeps.

Cyrus.

Cibi et potus moderatio.

Musica inter prandendū & hilariores confabulationes.

& inambulationibus vacandum, non dormiendum. Exercitationes etiam sint minus laboriosæ, nam laboriosiores cibum antecedere debent, siquidem hæ ante cibum vtiles sunt, statim à cibo neque legendum, neq; scribendum, neque serij aliquid meditandum, ventre adhuc cibi saburra graui, siquidem hæc concoctionem impediunt, & capitis cient grauedinem. Plutarchus & Celsus vocis exercitium probant, etsi non desint qui contrà sentiant.

De amictu ad valetudinem & commoditatem accommodando. Cap. XXIX.

QVemadmodum ad omnem fortunam sunt accommodatiores, qui quibuslibet cibis assueuerunt, ita & de vestitu sentiendum, in quo non simpliciter vulgus principum ac potentiorum peccat, quidam enim pueros, cùm ad elegantiam exquisitius ornare student, nimium constringunt, impediuntque, quò minus tenella membra liberos motus flagitantia ad iustam magnitudinem & æqualem corporis proportionem augescant, alij corpuscula alioqui satis natura calentia nimio pondere vestium suffocant vestitu molesto, auro, argentoque, ad ostentationem tanquam humanos simios excolentes effeminant, docentes vestium luxum admirari. Quæ certè plurimùm à priscorum more dissident, qui natos ad flumina primum deferebant, sæuoque gelu durabant & vndis. Nam vt arborum partes durabiliores redduntur, quæ Aquilone oppositæ, quàm quæ Austro, ita fortiores, firmioresq; fieri credũtur, qui à pueritia duritiæ & laborib. assuescerent: quem more etsi Galenus tanquam ferum & barbarum improbet, Aristoteles tamen mediocris frigoris tolerantiam, et ad sanitatem, & ad res bellicas vtilem existimat. Antiphon Sophista, cum reprehendisset Socratem vilissimo vestitu indutum: Hic ignoras, inquit, vestem vsus causa indui. At tu, quando vidisti me frigoris gratia domi manentem, aut ob æstum pro vmbra certantem? Nam cùm vestis ad tegendum, aut ad frigora, æstumque pellendum inuenta, néue nos lædat auræ molestia, illas pellibus suffultas vestes ignorabat maiorum conti-

Abusus in vestitu puerorum.

Galen. lib. 1. de San. tuenda.

Arist. polit. 7. c. 17.

Vestes vsus causa.

continentia, sed adulti ferarũ rhenonibus amiciebantur, rerum gestarum magnitudine toto orbe celebres, ac longæuitate & valetudine nobis feliciores. Vnde nos pudere debet quoties illorum frugalitatem ac temperantiam in memoriam reuocamus. Lycurgus cùm videret Græcorum pueros vario vestitu educari, instituit, vt vna tantùm veste vterentur, & pro calciamentis pedum nuditate ratus hac ratione & caloribus & frigori facilius eos assuefieri, & ad omnem vsum & exercitationem fieri expeditiores. Xenoph. Lacæd. Rep. Plutarch. apophth.

Quia igitur conuenit principem ad omnem euentum fortunæ instructum esse, vestitu & cibo quibuslibet assuescere debet, vt pro re nata & frigus & inediam tolerare queat. In vestitu autem ad valetudinem comparato duo potissimùm præstanda, munditics & commoditas. Vt videlicet munda magis & modestiæ conueniens sit vestis quàm splendida, néue pondere aut incommoditate grauet, neq; tenuitate corpori incommoda vel algoris vel æstus afferat, vel squalore contemptibiles reddat. Reliqua de vestium luxu require suprà, cap. XXI. In vestitu duo spectanda.

De exercitatione valetudini puerili congrua. Cap. xxx.

SVperius capite quarto à nobis dictum, vti homo ex animo & corpore constat, ita pueritiæ studia & occupationes bifariam partiri oportere, alteram animi exercitationem esse, alteram corporis, vnam doctrinæ, alteram ludi & exercitij corporis, vtraque vtilis & necessaria. Siquidem otio & inertia corpora flaccescunt, & corpus diu rectè valere non potest, si excercitio careat. Otium enim κακυργίας ἀρχή. *Quare cùm otij vitandi & valetudinis tuendæ causa exercitia conueniant, & pueri his delectentur, deligenda honesta & vtilia. Ea autem vtilia sunt, quæ corpus agitatione exercent. Deligenda, inquit Isocrates, quibus melior fias. Motu autem & agitatione non minus quàm cibo opus est in valetudinis firmitate conseruanda. Lycurgi legibus iuuentus erudiebatur laboribus, venando, currendo, esuriendo, sitiendo, algendo, æstuando. Quibus exer-*

citijs ad laborem doloremq́, si sic necessitas ferat, ferendum, roborarentur adulti. Vnde Graeci qui formam Reip. dederunt, corpora iuuenum laboribus veluti callo muniri voluerunt.

Coriolanus. Plutarch. in Coriolano. Xenoph. in Rep. Lacedæ. Polit. 8. c. 3.

Coriolanus cursu omnisq́ generis exercitijs & laboribus corpus reddidit ineluctabile, vt Plutarchus auctor. Eos enim qui sese exercitationi dederint, & colore insignes, & corpore vegeto fieri certum est, otio solutos & imbelles reddi, neque diu corpora rectè valere posse, quæ illis destituuntur. Vnde Aristoteles non abs re gymnasticen inter eas artes nominat, quibus pueri sunt instituendi. Nam his corporis partes præparantur quo minus aduersis afficiãtur, vtq́ robustiora & infracta ad operationes quasq; reddantur, & cibi ab his validius attrahuntur, promptius permutantur, vt inde alant, liberius quoq; emoliũtur ob inductum ex vehementiore pulmonis motione feruore, præterea non meatus solùm corporis purgant, sed redundantias etiã omnes fermè corporis conficiunt & euacuant, vt Aeginetha testatur.

Paul. Aeginetha lib. 1. c. 16. Polit. Xenoph. ἀπομνημ. Exercitiorũ modus. Plato in Timæo.

Sunt autem exercitia hominum sic temperanda vt simul & corpus agile reddant excitentq́, & animo non officiant. Siquidem animum & corpus simul laborare non decere, cùm alterum alteri sit impedimento, ex Aristotelis sententia. Socrates apud Xenophontem tantum laborandum docet, quantum animus libenter suscipit, atq; hanc exercitationem ad sanitatem cõducere. Plato neque animam sine corpore neq; corpus sine anima mouendum. Ita ijs qui vehementius incumbunt disciplinis, gymnasticam adhibendam. Clemens Stromaton lib. 5. citat Hippocratis dictum, Impigram probantis laborũ susceptionem & nutrimenti non nimiam exaturationẽ, ἀοκνίαν πόνων ϗ ἀκορίαν τροφῆς. *Exercitia autem ne sint vehemẽtiora, sed terminum exercitationis anhelitus mutationem postulat Galenus, & ante exercitationem excrementorũ euacuationem.*

Paul. Aegin. lib. 1. cap. 16. Celsus lib. 1. Lassitudo citra fatigationem. Lib. 8. ped. Li. 2. ἀπομνημ.

Meta, inquit Aeginetha, vehementiæ esto, animæ ad spissitudinem alteratio. Celsus finem exercitationis esse debere ait sudorem, aut certè lassitudinem, quæ sit citra fatigationem. Xenophon tradit Cyrum & Persas nunquam cibum sumere nisi sudassent, neque equis prius quàm exercitatis pabulum præbere, & aliàs nunquam. Cyrus inquit ad Lysandrum hospitẽ, se prandere solitum, dum per valetudinem licet, ante quàm aut bel-

licum

licum aut rusticum aliquod opus aut actionum aliquid honestarum quo moueretur absoluerit. Apud eundem in disputatione quam cum Aristippo Socrates habuit, docetur nullos hominum debere ab exercitatione abstinere, sed ad æstum & frigus atque duritiem exercitandos maximè Principes & gubernatores. Et paulò superius tradit eos qui natura imbecilles sunt corporis exercitatione robustiores fieri ijs qui natura robustiores. Xenoph. Oecon. Xenoph. ad fin. primi lib. ἀπομνημ.

Quoties principum liberi exercitijs vacant, præfectus aulæ & institutor veluti præsides & agonothetæ semper adsint, certaminaq; moderentur, ne quid præter ætatem, præter vires & decorū, tentetur. Verùm quia aliæ ætati alia exercitia conueniunt, de infantiū motibus & exercitatione dictum est priùs, hîc de puerorum atq; adolescentum exercitijs dicendū erit, his enim Arist. ante pubertatē nondum laboriosa conuenire putat, veluti grauia onera tollere, disco certare, cum feris pugnare, apros & vrsos configere, aut irritatos venabulis excipere, & machinis certare grauioribus, sed leuiora & ætati corporiq; habitudini cōgrua, qualia sunt inambulandi, cursitandi, saltandi. Deambulationis exercitiū expeditius quàm currendi putat Phædrus apud Platonē, item gestandi, vehendi, equitandi. Pilæ lusum in sphæristerijs Hippocrati probatur trochi, fritilli, scacorū, globulorum, circuli, orbiculorū in tabula iactationē, cantandi, recitandi, canendi, nam vocis exercitia probare videtur Plut. etsi Celsus, è quo ille plæraq; ad verbū videtur transcripsisse, repugnet. Adde musica instrumenta, tibias, testudinem, citharam, item hominū facetorum confabulationes, quos tamen castos malim quàm scurras aut moriones, turpiloquos ac pomiliones, quos etiā Augustus abominabatur veluti naturæ ludibria. Exercitationem autem omnem honestam & castam esse decet. Sic Plato, videte, inquit, pueri, vt otium in re quapiam honesta collocetis. Tradunt quidam, antiquæ fuisse disciplinæ ingenuos pueros ac Senatorum filios Schola egressos ad ludum saltatorium frequentes commeare, & cum crotalis neruorumque & tibiarum cantibus ad numerum certo modo psallere. Id quod apud Græcos, Persas, Indos, dignum laude & exquisitæ artis fuisse, Homero teste probatur, qui inter cætera ludicra liberalia saltationem ponit. Saltare & equitare Persæ habebant præcipuum exercitium. Pol. 8. Puerorum exercitia. Deambulandi exercitiū. Plato in Phædro in principio. Pilæ lusum imprimis probat Hippocrates. Vocis exercitia. Plutar. de valetu. tuenda. Musica. Sueto. in August. Saltatoria ars. Alex. Neap. lib. 2. cap. 25.

Lace-

Lucian. περὶ ὀρχήσεως. *Lacedæmonij etiam ſaltationem tanquam ad bellum vtilem, vt greſſu cõpoſito incederent inter quotidianas diſciplinas habuere. Et Lucianus huius artis & honeſtatem & dignitatem colligit cum ab antiquitate quippe quam & Poëtæ & alij Scriptores celebrarunt, tum ab vtilitate, vt quæ non oblectet ſolùm, ſed etiam ad corporis agilitatem & vires comparandas conducat. Poſtremò eam artem ſapientiam & mores hominum formare colligit, idq́ exemplis tum Philoſophorum tum Barbarorum amplificat. Sunt & luſus qui decent. Ita Cyrus ludendo regia munia obibat, officia diſpenſabat, controuerſias dirimebat, etiamnum puer Principis indolem præ ſe ferens. Seuerus Imperator in ſua pueritia nullum ludum exercebat, niſi ad iudices, cum ipſe prælatis faſcibus ac ſecuribus ordine puerorum circumſtante ſederet & iudicaret. Ita ludi & exercitationes corporis nõ minorem interdum fructum præbent quàm ſeria, vt Plinius teſtatur. Vnde conuenit in ijs artibus maximè exerceri, quæ vſui futuræ ſint aliquando, quales ſunt ſagittandi, quam artem etiam Dauid præcepit, natandi qua Cæſar incolumis euaſit, nauem gubernandi, qua arte videmus magnos etiã heroas excelluiſſe. Sunt exercitationes aliæ quæ adultioribus conueniunt magis, quales ſunt gladiatorij ludi, quorum rabie immoderata tenebatur Commodus Imperator, chororum Antoninus, Heliogabalus & Baſſianus. Adultioribus etiam cõgruunt magis haſtilium concurſus, equitum peditumq́ armatorum certamina, baliſtarum, bombardarum, acrochiriſmi luctæ, venandi etiam vſus non improbandus ſi moderatus ſit, nam hæc quaſi rei bellicæ tyrocinia ſtrenuos reddere putarunt quidam. Vnde optimos fortiſſimosq́ Principes venationibus tanquam rei ſaluberrimæ vacaſſe, quæ & currendo, equitando, ferasq́ inſequendo, excipiendoq́, frigus, æſtus, ſitim, famem tolerãdo corpus, ad militare robur exerceat, Xenophon & Dion teſtantur. Cyrus ſuos milites ad prandium aut cœnam non admiſit, niſi ſudaſſent, aut venatum eduxiſſet, vt ante quoq́ dictum, atq́ ipſe iam inde à pueritia venandi exercitio non citra periculũ deditus fuit. At cùm hæc exercitatio periculoſa ſit, vt dixi, in pueris, & principes alioqui plus ſatis huic ſtudio ſint dediti, temperandum, aut certè nõ niſi adhibitis cuſtodibus, vt Xenophon de Cyro narrat,*

Xenoph. ped. lib. 1. Cyrus. Seuerus Imp. Spartian. Plin. Epiſt. Sagitãdi exercitium. Plut. in Cæſ. Spartian. Venationis exercitium. Xenoph. de venatione. Plin Paneg. Xenoph. ped. lib. 1.

ad hoc exercitium mittendi præsertim pueri principes. Nam & Cyrus grauiter obiurgatus est à Cyaxare auunculo quòd neglectis custodib. temerè ferã inuadendo in periculũ venisset. Ab ijs igitur exercitijs periculosis abstinendum, quæ & vtilitatis parũ afferant, & corpus plus æquo debilitent, qualia sunt onerum leuandorum et tormẽtorum bellicorum tractandorum nisi cum summa cautione. Est autem pueris omnino à serijs studijs aliquando remissio concedenda, vt sint animo laxato & tædium discendi discutiatur. Remissio olim principibus erat lustrare saltus, excutere cubilibus feras, superare immensa montium iuga, & torrentibus scopulis gradum inferre nullius manu, nullius vestigio adiutos. Olim hæc experientia iuuentutis, hæc voluptas erat, his artibus futuri duces imbuebantur, certare cum fugacibus feris cursu, cum audacibus robore, cum callidis astu, nec mediocre decus habebatur, submota campis irruptio ferarum, & obsidione quadam liberatus agrestium labor. Amasis apud Herodotum ait arcum rumpi si semper intendatur, nec posse illo quando vsus postulat vti. Sic hominis haberi institutum si assiduosè studio, nec vllam partem ludo tribuere velit, fore vt tandem aut mente capiatur aut mẽbris. Vtriq; rei censens suum tempus tribuendum & modum, ne nimia licentia pariat assiduitatem, néue cum iam ad maturam ætatem peruentum fuerit, harum delectatione & consuetudine discant seria magisque necessaria omittere. Pecunia ludere, præsertim alea, non probandum, cum ea res & perturbatos sæpe reddat, & rei iacturam afferat. Accepimus quendam principem adeò desperatè ludere solitum, vt totidem aureos deposuerit, quòd pilos tunica pellibus fulta haberet. Quemadmodum Neronem, in singula puncta lusisse quadragies sestertium. Certamina potius honesta, & quæ corpus exercent, vsurpanda veterum more & Cyri exemplo. Et quales Iustinianus enarrat in suis Constitutionibus, de aleæ lusu vetito.

Cyri periculum in venatu.

Plin. Paneg.

Herodot. in Thalia.

Amasis sententia.

Ludus aleæ detestandus.

Neronis lud.

Sueto. in Nerone.

L. vlt. C. de Ius. aleæ.

De quiete & somno. Caput XXXI.

CVM natura quietem postulet, neque durabile sit quod alterna requie careat: Somno tempestiuo & moderato vtendum, nam sicut moderato corpora vegetantur, ita nimio somnolentiora redduntur, intẽpestiuo franguntur.

Noct. Attic. lib. 4. c. 14.

A. Gellius ex Varrone tradit pueros, si cibo potuq́, ac somno plurimo vtantur hebetiores fieri, & corpora improcera minusq́, adolescere.

Plut. in Laconicis.

Agesilaus sic somno vti se dicebat, non vt illi dominaretur, sed vt negotijs seruiret ab Iride Homerica admonitus, quæ Agamemnonem excitans è somno negabat principem solidam debere noctem dormire.

Home. Iliad. β.

Xen. ἀπομνη. lib. β.

Socrates cum Aristippo differens apud Xenophontem: Illum, inquit, qui gubernandi artem discit, ne res propter ipsius somnolentiam detrimentum patiatur, in somno capiendo continentem esse oportet, vt possit & tardè dormire et ante diluculum surgere, & vigilare si opus sit, & legum custodes.

Plato de Leg. 12.

Plato vult noctu surgere, noctu enim Reip. negotia cõmodissimè tractari.

Sueto. in August.

Augustum non vltra septem horas dormire solitum proditur sed Catonem legimus impensè delectari solitum deditis somno, quòd ipsos mansuetiores putaret quàm multa vigilia affectos.

Plut. in Cato.

Diurnus somnus noxius existimatur, maximè si quis se reclinet sedẽti, non perinde præsertim prouectiori, vt Ficinus testatur. Surgere diluculo, cùm ad valetudinem, tum ad res gerendas, & studia vtilissimum Aristoteles putat, vt superius à nobis dictum, vbi de opera distributis temporibus egimus, contra humanas noctuas, qui diem in noctẽ vertunt, & contrà noctẽ in diem.

Arist. Oec. α.

Italorũ partitio diei.

Itali partiuntur diem naturalem, hoc est, noctem cum die, in tres octoades, vt octo horas somno tribuant, octo negotijs atq; studijs, & totidem sacris ac corpori curando. Statim à cibo non est quiescendum, sed ante potius deambulationi, confabulationib. hilarioribus, non tamẽ laboriosæ exercitationi vacandũ, vt paulò ante declaratum. Breuiter huc accommodari poterunt, quæ Cicero suo Tironi suadet curanda, puta πέψιν, ἀλυπίαν, περίπατον, σύμμετρον, τέρψιν, εὐλυσίαν κοιλίας.

Cic. ad Tiro. epist. 412.

Curæ abijciendæ cubituris.

Cubitum ituro omnes curæ abijciendæ, tristitiaq́ue excutienda ex animo, nam sic apud Satyricum lectus cubiturum alloquitur:

Protinus

Protinus ante meum quidquid dolet exue limen. Iuuenal. Saty. 11.

Et Martialis noctem perinde atque mensam vult curis vacare prorsus, optans somnum, qui faciat breues tenebras. Mart. lib. 10.

Cubare conuenit non supinè, nam id noxium spinæ, stomacho, cerebro, & oris halitui. Contrà pronos cubare iisdem vtile, maximè autem pituitosis Galenus decubitum probat, qui est in latus, atque ante concoctionem in dextrum latus cubandum putatur propter insomnia, post in sinistrum, tametsi contrà sentiant quidam, sed prior physicorum ratio commendabilor experientia comperitur. Anaxagoras altera manu ad os, altera ad pudenda posita dormire solebat, nimirum & oris continentiā & pudendorum occultationem significans. Surgenti facies, os, aqua abluenda munda, pectendum caput, nares, aures excrementis leuandæ, maximè autem surgenti secessus ratio habenda, vt Physicorum placita præcipiunt. Galen. lib. 2. musculorū motu. Surgenti quid.

De Reip. cura futuro principi maturè effingenda arripendaq;. Cap. XXXII.

HActenus de nauali præparando, ac semine iaciendo dictum à nobis iam operæ videtur precium, vt fructum in horreum vehendum nō negligamus. Demens enim agricola fuerit, vt Cyrus apud Xenoph. cōtionatur, qui cùm agrum magnis, et impensis, & laborib. colere studuerit bene serendo atq; inserendo, fructus cùm capiendus sit, omnino nō conuehat, sed humi defluere sinat. Et athletha, qui ludo per multū laborē se diu exercuerit, vbi autem ad victoriam ventum sit, καὶ ἀξιονικὸς φαινόμενος. præmiaq; iam capienda defecerit, is planè ignauus iudicandus fuerit. Ergo principum liberi administrationi Reipub. destinati, vbi iam in religione moribus, literis, honestorumq; exercitiorū tyrocinio perfuncti ex ephebis excesserint, paulatim Reip. negotiis admouendi, eq; hac domestica exercitatione & vmbratili in mediū agmen, in puluerē aliquando & aciē educandi sunt. Subeundus vsus omniū, & periclitandæ vires ingenii, commentatio illa inclusa, in veritatis lucem proferenda. Non vt statim ipsi statuant, Pedix lib. 5. Cic. de Orat. lib. 1.

Xen. in Laced. Rep.

Plato lib. 6. de Leg. & in Gorgia.

Calicles.

Institutũ de patricijs in Senatum ducendis.

Venetorum mos.

sed vt dirigantur gubernatoribus. Lycurgus cùm videret Græcorũ pueros puberes à magistris & pædagogis dimitti, & eam ætatẽ maximè voluptatib. obnoxiam, laboribus eos subdi voluit, vt his occupati, ab inhonestis retraherentur. Qui autem hos refugerent eos nihil rerum honestarum assequi posse putabat. Plato in sua Rep. peculiares in hoc magistratus constituit, qui adolescentiæ curam susciperent, ὅντιν' ἂν ἕκαστος ἡγῆται κάλλιστ' ἂν τῶν περὶ παιδείαν ἄρξαι φυόμενον. *Nam literis diutius occupari nolimus eos, qui gubernationi destinati sunt, sicut nec in philosophia supra modum hærendum, ne ineptiores reddantur, vt Calicles apud Platonem liberrimè disputat:* ἡ γὰρ φιλοσοφία χαρίεν ἄν τις αὐτοῦ μετρίως ἅψηται ἐν τῇ ἡλικίᾳ, ἐὰν δὲ περαιτέρω τοῦ δέοντος ἐνδιατρίψῃ διαφθορὰ τῶν ἀνθρώπων. *Nam adolescentes philosophiæ propter institutionem & disciplinam vacare pulchrum, ac prouectiores non item. Producendus iam adolescens è puluere in lucem publicorum negotiorum, vtatur consuetudine politicorum hominum, quibus præstantissimi redduntur. Ciuilis enim disciplina à ciuilibus hominibus discenda, vt Plato in Theage docet. Huius occasione à Romanis prisco more receptum, vt Senatorum filij cum parentibus in Senatum introducerentur. Id quod Plinius in epistola ad Aristonem declarat, his verbis: Erat, inquit, antiquitus institutum, vt à maioribus natu non solùm auribus, sed etiam oculis disceremus, quæ facienda mox ipsi, ac per vices tradenda minoribus haberemus. Inde adolescentuli statim castrensibus stipendijs imbuebantur, vt imperare parendo, duces agere, dum sequerentur, assuescerent. Inde honores petituri assistebant curiæ foribus, & consilij publici spectatores antè, quàm consortes erant. Suus cuique parens pro magistro, aut cui parens non erat, maximus quisque & vetustissimus pro parente, quæ potestas referentibus, quod ius censentibus, quæ vis magistratibus, quæ cæteris libertas, vbi cedendum, vbi resistendum, quod silentij tempus, quis dicendi modus, quæ distinctio pugnantium sententiarum, quæ executio prioribus aliquid addentium. Hactenus ille. Quam consuetudinem, etiamnum Veneti veterum Romanorum æmuli sectantur, patricij ordinis adolescentes, vigesimo anno magistratum, quem aduocationem appellant, adeunt.*

adeunt. Mamea Alexandrum filium assuefecerat vt iudicialibus actibus incumberet meliore diei parte, idq́ faceret sæpissimè, ne quod spacium vacandi malis artibus esset occupato rebus potioribus ac necessarijs. Attamen ne quid temerè committeret, sedecim viri ætatis grauitate, vitæq́ sanctimonia præcellentes assessores & Consiliarij delecti erant, nihilq́ dicebatur aut agebatur nisi illorum auctoritate. Neq; enim conuenit iuuenili imperio nimiam statuendi mandandiq́ auctoritatem permittere, ac Phaëtontis more habenas orbis concedere, sed consultationibus intersit, item legationibus audiendis, controuersijs dirimendis, supplicum libellis audiendis adhibeatur, vt primùm cum attentione auscultet, neque sinat animum vagari, sed expendat quid quisque dicat, sententias excutiat, rogetur & ipse aliquoties sententiam, permittatur & responsa dare quamdiu corrigi possit, etsi quid peccet, id per maiores natu corrigatur: Moneatur quid cuique loco, tempori, causæ, personæ, conueniat. Profuerit etiam subornare, qui conetur rimari sicubi perfluat, aut secretorum tenax esse comperiatur: quandoquidem in ea ætate adhuc admoneri poterit, & ad taciturnitatem, & arcanorum reticentiam, exemplo Papirij, qui cùm more veterum Romanorum patrem in curiam comitaretur, & mater curiosius filium, quid in Senatu agitatum, percontaretur, neque cessaret imperiosius interpellare, puer memor sanciti silentij, matrem festiuo eludit commento, nempè agitari in Senatu, vtiliúsne & è Republica duas maritum vxores, an vnam duos maritos habere. Eo audito illa non quieuit, mox ad reliquas matronas refert, quæ simul postridiè ad curiam queribundæ colliguntur: Senatus attonitus re insolita, tandem cognoscit à Papirio quid matri vrgenti dixisset: Laudatus puer, eique ob prætextatam prudentiam prætexato cognomentum honoris causa inditum. Posset & Fabella de Coturnice lanceā gestante ad secreta reticenda hortari, & ad futilitatem vitandam flecti. In controuersijs dirimendis si quem deprehendat aduersariorum potentia, aut amicorum præsidijs pressum, hîc discat controuersiam diligenter examinare, seorsim etiam vocata imbecilliori parte, & patrocinijs destitutis aduocatum gratis adhibere.

Herod. in Alexand. lib. 6. Alexan. Imp. Consiliarij.

A. Gell. Noct. Att. lib. 1. cap. 23.

Conducet ditionis suæ naturam, conditionesque maturè exquirere,

Conditiones ditionum cognoscendæ.

quæ ciuitatum, quæ nobilium priuilegia, statuta, præfecturarum administrationes, officialium fidem & diligentiam, religionem, iudicia, & sicubi pauperes & imbecilliores à potentioribus opprimi comperiantur, vt pro his parentes interpellet. Oppida, arces, quasi per lusum obequitare, lustrare situm, affinia, munitiones. Adde vectigalium, portoriorũ, teloniorum, insularum, aggerum, alluuionum, viuariorum, piscinarum, pascuorum, saltuum, metallorum, mineruarum, ac ceterorum prouincialium prouentuum rationes exquirere, eaque mente complecti: non vt his augendis subditos grauet atq; expilet, sed vt ad harum rationem aulicam œconomiam instituere discat, quo minimum grauetur plebs, & vt supersit aliquid futuræ & improuisæ necessitati. Animaduertat, sicubi quæstores ærarij & ministri parum fideliter prouentus administrent, sicubi iniquis conditionibus prædia & principales census appositi sint, vt quæsitis rationibus redimantur. Breuiter, maturè perdiscere incipiat, quæ in administrando vsui sint futura, vt Spartam destinatam adornare poßit. Sic deniq; animum ad Rempublicam admouere incipiat, vt subditi intelligant se amari, & amandi vicißim habeant occasiones: Semper memor illius Gallici dicti: Il nest poin sire de son pays qui de ses subietz est hay: tantum abest, vt vocem illam tyrannicam admittat, oderint dum metuant.

Margin notes: Ditiones aliquoties obequitandæ. — Gallicũ Prouerbium.

De tutela pupillorum principum. Cap. XXXIII.

PRincipes quia sæpe filios imperio destinatos impuberes relinquunt, de horum tutela & curatione coronidis vice aliquid adijciendũ cùm recentia tum veterum exempla monent. Siquidem eius rei neglectus quantum plurimis imperijs, regnisq; & ditionibus incommodi attulerit, gubernationum successus expendentib. haud est obscurum. Iure Ciuili tutores legitimi censentur agnati, cognatique, sublata hac in re, sicut & in succesßionibus differentia. Et parentes nonnunquam aut ex his aut ex alijs sanguine non iunctis potentiores liberis imperiorum successorib. tutores relinquunt, aut in his quos iudicio deligunt, sæpe falluntur. Dari autẽ maioribus

Margin note: Nouell. constit. 118.

ribus monarchis parum tutum. Vnde fit vt sæpe in perniciem simul & liberorum & imperiorum hac in re vel negligentia, vel iudicio, vel denique errore peccetur. Ptolemæus Epiphanes cùm filium è Cleopatra sorore Antiochi Epiphanis reliquisset impuberem, mortuo patre cùm filius nondum idoneus esset gubernationi, neque testamento tutores essent relicti, Antiochus auunculus tanquã legitimus tutor impuberis regnum inuasit, specioso quidem tutelæ nomine, sed reuera ipse hoc prætextu regnum in se transferre conatus. Et proceres Aegyptij ab Antiocho largitionibus corrupti suum regem prodiderunt. Vnde ait Daniel: Et comedentes panem cum eo conterent eum. Ricardus Angliæ Regis frater relictis regijs liberis tutor constitutus, regnandique cupiditate inflammatus necatis pupillis ipse regnum inuasit, sed iustam vindictam non euitauit, à suis in coniuratione occisus. Theodosius pijs ac sapiens Imperator filios duos, Arcadium & Honorium, impuberes, viuens Imperij consortes fecerat. Et cùm sub mortem de rebus suis dispositurus ætatem liberorum tanto imperio, quod tum amplissimè toto orbe propagatũ erat gubernando, tantæque moli sustinendæ imparem existimaret, tres potentissimos duces liberis tutores reliquit, eosque illis tanquam sacratissimum depositum ἱερωτάτην παραθήκην, vt Platonis verbis vtar, concredidit. Atque tutorem Arcadij, cui Orientis aulam destinarat, Ruffinum Gallum fecit. Honorio Stiliconem, qui Occidentis imperiũ fiduciarium gubernaret tutorem dedit, Africæ pupillarem administrationem Gildoni eius prouinciæ Comiti commisit. Quos etsi beneficijs luculentis sibi deuinctos fidosq́; fore arbitraretur, falsus tamẽ est opinione, euentus enim tribus lupis duos agnos cõmissos declarauit. Nam mox vbi Theodosius diẽ obijsset tutores ambitione regnãdiq́; cupiditate æstuantes perinde atque vultures prædæ inhiantes, quisq; in se suosque liberos transferre imperij dignitatem moliti sunt. Ruffinus quidem vt Orientis imperio potiretur Barbarorum arma sollicitat, quæ Græciam popularentur, & Caucasijs accolis genti crudelissimæ Asiæ inuadendæ viam monstrauit, ea occasione imperio se potiturum confidens. Stilico Vuandalico genere ortus perfidia dolisque eius gentis instructus, beneficiorum affinitatisque parum memor (socer enim erat

Ptolemæi tutor Antiochus.

Daniel.11.

Ricardus Angliæ R.

Theodosij filiorum tutores.

Ruffinus.

Stilico.

Honorij

Honorij) omnem mouit lapidem vt filium Eucherium iam inde à pueritia Christianis inimicum imperio substitueret, Alemannorum, Sueuorū, Vuandalorum ac Burgundionum exercitus excitauit, vt harum gētium irruptione & immanitate ac viribus perculsus gener imperium Eucherio cederet. Gildo cognita morte Theodosij contempta pueri auctoritate perfidia plus quàm Punica parique sacrilegio Africā proprio iure vsurpare cœpit. Interim pupillorum, in quibus totius orbis Christiani felicitas sita fuerat, nulla cura vel instituendi vel defendendi vel denique REM PVPILLI SALVAM PRAESTANDI *solicitudo. Nam alter Arcadius ab vxore Eudoxa impulsus patiebatur sanctißimum eloquentißimumque virum Chrysostomum in exilium pelli. Alter cùm Rauennæ agenti nunciaretur Romam expugnatam, admiratus est Romam suum gallum gallinaceum, quo in delitijs vtebatur, tanquam pugnacem superatum. Breuiter: Imperium quod Theodosius florentißimum reliquerat fœdè dilaceratum, rapinis prædationibusque truculentißimarū gentium miscebatur. Religio quæ sanctißimè à parente & præcessoribus culta fuerat prorsus neglecta, Iudicia tàm publica quàm priuata in potestate tutorum curatorumque erant. Vrbes florentißimæ conniuentibus tutoribus euersæ, opulentiores fictis accusationibus emuncti sedibus poßeßionibusque eiecti, idque hoc fiebat impunitius quod pueri principes rerum imperiti edictis libellisque omnibus, quæ tutorum alicuius nomen præferrent, subscribebant, nihilque ratum esset nisi quod tutorum auctoritate comprobaretur. Vnde Claudianus non immeritò improbum legum venditorem vocat Ruffinum. Sed dignas perfidiæ tutoriæ pœnas dederunt omnes. Ruffinum enim cum se Imperatorem nominari postularet, ante tribunal milites Italici trucidarunt. Stilco eandem debitamq́ perfidiæ mercedem retulit. Nam cùm improbitas eius Honorio & exercitui Romano patefieret cæsus est vnà cum filio, cui vt purpuram indueret totum orbem sanguine miscuerat. Gildo & ipse præmia tutoriæ perfidiæ reportauit, laqueo strangulatus, vt Paulus Diacon testatur. Quantum hæc vna tutela infeliciter parumque prudenter commißa incommodi attulerit, vel hinc æstimare licet, quod hac occasione Caucasiæ portæ primùm Turcis, ac veluti*

Gildo.

Inertia Arcadij & Honorij tutelæ neglectu.

Chrysostomus in exiliū pulsus.

Roma expugnata.

Romani Imperij ruinæ initium.

Vide Auentinum in Honorio.

Tutoriæ perfidiæ vindicta.

Lib. Hist. 13.

luti cataractæ maximarum calamitatum referatæ sint in Christianæ religionis & totius Imperij perniciem semel per Asiam transmittendi potestate facta. Similis perfidia fuit Andronici Commeni, qui ab Imperatore Græcorum Manuele tutor datus filio, pupillum quo ipse regno potiretur sustulit, sed post in potestatem Isacij redactus patrati parricidij vltionem sensit, vt Nicetes Chomates tradit, neque vllus vnquam tàm sceleratæ perfidiæ vindictam euitauit. Innumera possent referri exempla, quæ & principes ipsos & ordines proceresq́ regnorum admonere debeant, vt in tutoribus relinquendis circumspecti sint, neq́ patiantur tutelas quibuslibet atque paucorum potentia committi. Suspectorum tutorum crimen XII.*tab. ortum est, cuius publica actio est, vt Vlp. testatur, omnibusq́ patet, adeò vt etiam mulieres pietate ac necessitudine ductæ, puta mater, auia, nutrix, soror admittantur. Licetq́ue dolum in tutela admissum suspectum postulare, vt si fortè grassatus sit, vel sordidè pupillum in tutela ac perniciosè tractauerit tutor, vel interceperit aliquid, vel propter inimicitias, vel quòd alimenta denegauerit, vt idem Vlpianus respondit. At verò cùm nostra quoq́ ætate principum aliquot tutelas viderimus non sine magno Reip. detrimento administratas, solicitos esse cõuenit principes, qui pupillos successores relinquunt ne citra consilium subditorum procerum atque ordinum liberis tutores dent, sed matura cum illis deliberatione tutores & cum auctoritate restricta atque administratione temperata constituant, neq́ præproperè etiam puberib.* τὸ αὐτεξούσιον *permittant. Exemplo sit Phaetontis iuuenilis temeritas, qui cùm, vt est apud Poëtas, patris sui Solis currum temerè gubernandum suscepisset, orbem incendio vastauit:*

Turcis quà primùm aditus. Andronicus Commenus. Vide Nicetẽ Chomatẽ in Alexio. Tutores suspecti. L.1.ff. de susp. tute. Tutelas pupillorũ principum non cõcedendas paucis potentibus. Phaetontis incendium.

--Magnæ pereunt cum mœnibus vrbes
Cumq́ue suis totas populis incendia gentes
In cinerem uertunt, &c.-- -- Et ipse
Voluitur in præceps, - -
Excipit Eridanus. --

Metamorph. Ouid. lib. 2.

Cuius fabulæ inuolucrum admonet pueris, non temerè imperiorũ permittendas habenas, sed seniorum sapientumq́ adhibita administrandi auctoritate

Pueris nõ temere concedẽdam reip. administrationem.

Esa. 3. *ctoritate cohibendas. Esaiæ oraculum cōminatur impijs pueros principes, haud dubiè ruituræ reip. proludium. Laudantur Epirotæ, qui cum reuocassent principem suum Pyrrhum vndecimum ætatis annū agentem, tutores ei adiunxere vsq; ad adultam ætatem. In Comitijs Taciti Imperatoris ordine amplißimo adferenda suffragia sed cōsidente & omnib. calculis ad Imperium suscipiendū Tacitum comprobante, ipse ciuiliter excusans. Miror, inquit, vos P. C. in locū fortißimi Imperatoris Aureliani senem velle sufficere? En membra contestans iuuenes quæ iaculari, hastile torquere, clypeos intonare valeant, videte quam ætatem de cubiculo & vmbra in pruinas æstusq; mittitis. an probaturos senem milites creditis? Hic Metius Falcatius Nicomachus in hæc verba prorupit, Dij, inquiens, auertant pueros principes & patres Patriæ dici impuberes, & quibus ad subscribendum magistri literarij manus ducant, quos ad Consulatus dandos, dulcia, & circuli, & quæcunq; voluptas inuitet. Quæ malum ratio est habere Imperatorem, qui famam curare, qui quid sit Resp. nesciat, nutritorem timeat, respiciat ad nutricem, magnorum magistratuum ictib. terroriq; subiaceat, faciat eos Consules, Duces, Iudices, quorū vitas merita, ætates, familias, gesta non norit. Teq; Tacite Auguste conuenio, obsecrans liberè pro communi patria, legibus deposcens ne paruulos tuos, si te citius fata præuenerint, facias Imperij hæredes. Ingens gloria morientis principis Remp. amare magis quàm liberos. Hæc ille. Non ignoramus quosdam principes defunctis parentibus mox à pubertate αὐτοκράτορας rerum administrationi adhibitos, Nam & Ioas Rex Iuda septimo anno admotus est regno, sed ductu Ioiadæ Sacerdotis administrationem moderante piè præfuit, atqui Ioiada defuncto mox velut αὐτεξούσιος suiq; iuris factus declinauit ad idololatriam & ad reliquas malas artes. Alexander Mameæ adolescens quidem ad Imperiū euectus, sed matre sic administrante, vt ne quid temerè cōmitteret, hæc enim viros sapientes & morum doctrinæq; præstantia cōmendatos consiliarios illi συνέδρους adiunxit, citrà quorum auctoritatem nihil statuebatur. Verum enimuero si Imperiorū seriem recensere voluerimus, plurimos reperiemus adolescentes ad gubernationem admissos in recenti potentia, ætatis lubricitate ad deteriora, & ad tyrannidem*

Vopisc. in Tacito.

Pueris non esse concredēdam reip. administrationem.

Resp. amanda magis quàm liberi.

Pueri reip. gubernandæ admoti.

Ioas Rex Iudæ.

4. Reg. 12.

2. Paral. 24.

Alex. Imp.

nidem

nidem prolapsos declinasse, vt in Robeam, Dionysio, Nerone, Commodo, Heliogabulo declaratũ. Et nos quosdã nouimus, quorum pueritia fuerat laudatissima, sed vbi ex ephebis excessissent sui iuris facti, mox sui ipsius obliti ad voluptates & tyrannidẽ degenerarũt. Quare huic lubricæ ætati etiamsi iam pubertatẽ egressæ, cautio diligens adhibenda, nam etsi principem oporteat maturè nucib. relictis sapere, non tamen permittendũ vt se existimet ante annos sapientem esse. Apud Thucydidem Pericles inquit: ἡ ἀμαθία θράσος, ὁ λογισμὸς ὄκνον φέρει. *Imperitia audaciam, ratio cunctationem affert. Primùm igitur Deus omniũ Imperiorũ auctor implorandus sine quo nullũ iustum Imperium. Deinde adolescentum administratio seniorum ac sapientũ vel tutorum vel curatorum* συνεργῶν *auctoritate frenanda. Consiliarij adhibendi ingenio neq; imperioso neq; ambitioso, sed placido ac cõmodo, qui citra iracundiam & morositatẽ admonere atq; etiam obiurgare calleant, & laudare citra assentationẽ. Literis quoq; sacris & præceptis philosophicis ingenia instituenda, nam hæc emolliunt mores nec sinunt esse feros, vt Poëta testatur. Sic Ambrosius Theodosium irã cohibere docuit. In Gallia si corona Franciæ redeat hæreditate ad eũ qui nondum ad legitimam ætatem, hoc est, ad* XV. *annũ peruenerit, comitijs trium ordinũ nempe Ecclesiasticorum, nobiliũ & plebis creantur duodecim gubernatores, qui tantisper summæ rei præsunt dum Rex ad legitimam ætatem peruenerit, & edicta omnia Regis nomine promulgantur, sed addita clausula de Consilij sententia. Atq; hæc primùm in eligendis tutoribus habetur cura regij sanguinis, & ne quisquã hìc externus admittatur. Porrò cùm ad legitimam ætatẽ & ad plenam administrationẽ ventũ est Regum feruor & potẽtia Parlamentorũ frenis sapienter tẽperatur, quẽadmodum olim apud Lacedæmonios Ephoris, apud Romanos & nunc apud Venetos Senatu. Plato adolescentib. puberibus peculiarem magistratũ in sua Rep. constituit, qui tanquã inspector esset assiduus, hoc est, Episcopus & explorator, singulos singulorũ adolescẽtiũ mores, dicta, facta, gestus obseruaret. Siquidem pueritia vel à parentib. vel à præceptorib. ac tutorib. in officio continetur, verùm adolescentia libertatẽ nacta solutiorẽ, nisi freno aliquo cohibeatur, plerunq; aberrat. Quare adolescentũ in officio cõtinendorum*

Imperitia audaciam præbet.

Adolescentũ principũ imperia seniorum consilijs frenanda.

Galliæ pupillorum regũ tutela.

Parlamentũ Ephori.

curam magistratui commisit grauissimus Philosophus, grauiterque conqueritur eam ætatem, quæ cùm mollitie lasciuiaque petulantiam & securitatem coniungit in discrimine cõstitutam, & à propinquis & magistratib. ac legibus infeliciter cum magno Reip. detrimento negligi, suoque arbitrio ἄγεσθαι καὶ φέρεσθαι *permitti. Ea occasione Lysimachus apud Platonem* δέδοκται, *inquit,* ἡμῖν ἐπιμεληθῆναι τούτων ὡς οἷόν τε μάλιστα καὶ μὴ ποιῆσαι ὥσπερ οἱ πολλοὶ ἐπειδὴ μειράκια γέγονεν, ἀνεῖναι αὐτοὺς ὅτι βούλονται ποιεῖν, ἀλλὰ νῦν δὴ καὶ ἄρχεσθαι αὐτῶν ἐπιμελεῖσθαι καθόσον οἷοί τ᾽ ἐσμεν, εἰδότες οὖν καὶ ὑμῖν υἱεῖς ὄντας ἡγησάμεθα μεμεληκέναι περὶ αὐτῶν εἴπερ τισὶν ἄλλοις, πῶς ἂν θεραπευθέντες γένοιντο ἄριστοι, *&c. Quibus verbis grauissimè accusat inertiam & socordiam vulgi ac magistratuum, quòd adolescentiam liberè quidquid libet agere sinant, cùm iam in ea ætatis lubricitate maxima cura sit adhibenda. Si hanc solicitudinem Plato requirit in vulgò adolescentum, quo maior cura habenda eorum qui imperio destinati sunt, ne Phaëtontis in morem gubernacula capessant, non in vasis figulariæ* ἐν τῷ πίθῳ ἡ κεραμεία, *neque in Care, vt dicitur, sed in totius imperij discrimine periculum facturi. Non obscurè id animaduertens M. Antonius Imp. magna solicitudine filium adolescentem Imperatorem designatũ iam moribundus amicis committit. Reueritus ne filius, qui tum primam inierat adolescentiam, siue ætatis feruore nimio, siue licentia quadam summa quam in orbitate esset habiturus, bonis artibus studijsque relictis ebrietati sese & crapulæ dederet, quippe facilè ingenia adolescentium à recta honestaque disciplina ad luxum voluptatesque delabuntur. Terrebat hominem minimè imperitum multorum memoria principum, qui iuuenes imperium suscepissent, vt Dionysij, Ptolemæi, Antigoni, Neronis. Videtis, inquit ad suos proceres, filium quem ipsimet educastis, primas nunc adolescentiæ metas ingredientem, quasiq; in salo atque in fluctu vitæ gubernatoribus indigentem, ne rerum imperitia de recto quasi cursu ablatus malis artibus impingat. Este igitur vos illi pro me vno multi parentes, excolendo scilicet atque optima suggerendo.* δεδιὼς μὴ νεότης ἀκμάζουσα καὶ ἀν ὀρφανίᾳ ἐξουσίαν αὐτοκράτορα καὶ ἀκώλυτον προσλαβοῦσα μαθημάτων μὲν καλῶν καὶ ἐπιτηδευμάτων ἀφηνιάσοι μέθαις καὶ κραιπάλαις ἐπιδῷ ἑαυτὴν, *&c. vt Herodianus refert.*

Plato in Lachete.

M. Anton. Imp. filium senioribus consiliarijs commisit.

Herod. lib. 1.

Noluit

Noluit prudentißimus atque optimus Imperator filium, etsi à grauißimis viris educatum & institutum, in hoc ætatis lubrico, citra procerum auctoritatem imperare & statuere aliquid, sed curatorum, consiliariorumque, ac procerum auctoritate gubernandi Imperij habenas temperari. Id quod etiam prouectiores pudere non deberet imitari, ne præcoci sapientia inflati temerè aliquid statuant, citra procerum ordinumque auctoritatem & comprobationem, quod in Reip. & subditorum detrimentum cedere poßit. Sed eam optimam esse semper gubernationem sibi persuadeant, quæ sapientum & aristocratiæ adminiculo temperatur, vt Plato rectè sensisse putatur. Aristocratiã temperatam optimã esse monarchiã.

De Matrimonio principis, & affinitate. Caput XXXIIII.

M*Atrimonium multis de causis principibus non protrahendum diutius. Primùm, quia in delicijs & magna licentia omnibus vndecunque obsequentibus viuunt, ne scortationibus & vagæ libidini assuescant, ad quam vitandam Apostolus præcipit, vt suam quisque habeat vxorem. Et Chrysostomus monet, vt iuuenes, antequam scortari discant, connubiali vinculo iungantur, nam semel scortis assueti, etiam in matrimonio ad assuetam petulantiam promiscuamque impudicitiam prolabuntur, iuxta prouerbiale dictum: Canis difficulter absterretur à degustato corio vncto.* χαλεπὸν χορίου κύνα γεῦσαι. *Deinde vt primus amor in vxorem & non in externas illecebras conijciatur. Siquidem tenacißimè primus ille affectus hæret, sicut alia pleraque, quæ recens adolescentia imbuitur. Quare Sapiens rex: Exhilaret, inquit, te vxor, quã adolescens duxis, ceu iucunda cerua & venustus hinnulus, illius amore semper contentus esto, & perpetuò fruere. Mox subdens scortationis vituperationem & pericula. Explodenda sententia Aelij Veri Imperatoris, qui, cùm vxor de externo concubitu quereretur: Vxor, inquit, dignitatis, non voluptatis nomen. At Christiani coniuges duo sunt in carnem vnam. Et præter hoc, quod Dominus comminatur scortatores & adul-*

Chrys. Hom. 6. in Epist. ad Thessal. 3.

Prouerb. 5.

Aelij Veri sententia execranda.

teros regno Dei excludendos, accedunt etiam corporalia incōmoda, nempe morbi & corpus ante maturam ætatem calamitosum, item cædes, amentia, neglectus vocationis, noui plærosq; principes animi dotib. præstantes, qui subinde querebantur se amorum illecebris corpus in iuuentute perdidisse, vt iam Reip. suæ corpus morbis exhaustum & inutile ac deniq; vitæ breuitatem traderent. Adde vxorem homini additam in solatium à Domino, cùm inquit, Non est bonum hominem esse solum, quæramus illi adiutorium. Initiò enim cùm rerum omnium summus opifex hominem è limo produxisset, miseram prorsus & inamœnam eius vitam fore intellexit, nisi sociam Euam adiungeret. Proinde vxorem non è luto illo, quo virum, sed ex Adæ costa eduxit. Quo declararet nihil matrimonio coniunctius esse, aut magis sociale & iucūdius. Quid enim dulcius, quàm cum ea viuere, cum qua sis non beneuolentia modò, verumetiam corporū mutua quadā cōmunione arctissimè copulatus? Dulce profectò est habere qui cum animi secretos affectus cōmunices, qui cū vt tecū loquaris, cuius fidei te tutò cōmittas, qui tuas fortunas suas esse ducat. Maturè igitur efferuescente iuuenta ducēda principi vxor. Aristoteles colligit rationes quasdā, quare ante maturam ætatē non sint matrimonia ineunda, nempe viro non ante trigesimum sextum, fœminæ non ante vigesimum annum. Sed Lycurgus certam ætatē non præscripsit, sed maturam tantùm, quæ gignendæ soboli esset idonea, nec desunt qui à pubertate idoneos existiment, idque tēpus leges tàm Cæsareæ quàm Pontificiæ præscribunt. Certè historijs sacris colligitur Salamonem regē cùm iam nondum duodecimū annū excessisset maritum factum et genuisse Roboam. Et Achaz eiusdem ætatis procreasse Ezechiam, Hieronymus testatur. Quæ tamē exēpla nō statim imitāda, ne præpropera matrimonia corpus debilius reddant, sed pro cōditione naturæ cuiusq; cùm ætas idonea fuerit, et pubertatē excesserit nubendū potius quàm vrendū, iuxta præceptum Apostolicum. Francorum leges filios regum etiā infantes ad regnum vocant. Quid igitur prohibet, si sic natura & ratio ferat, puberem coniugem fieri. Legib. olim cautum Romanis, vt qui ante vigesimum quintum annum vxorem non duceret, certa pœna multaretur. Et filia, quā parentes ante vigesimū quintum annum coniugio

Vxor in solatium. Gen. 2.

Aetas nubendi.

Hiero. Epist. ad Vitalem.

gio non elocarint, ea si forte in proprium corpus peccauerit, aut citra consensum parentum nupserit, nec ingratitudinē ei imputari nec exhæredari posse Iustinianus sanciuit. Porrò cùm bonus princeps non iudicat res suas bene habere, nisi cum Reip. cōmodis consulitur, ita in matrimonio iungendo primùm Dei præceptum, deinde Reip. vtilitas spectanda est. Suntq; in coniugio tria cōsideranda, puta vt sit coniugium legitimū, sanctum et concors, ac tranquillum, quæ quidem, vt assequamur, primùm à Deo postulandum cōiugij auspicium. Nam sic inquit Sapiens: Domus & diuitiæ hæreditate obueniunt, bona autem & prudens vxor à Domino. Deinde ratio adhibenda in consilium & iudicium pium, non æstro cupidinis incitatū & corruptum, quod sæpe imponit iuuenili ætati. Et quanquam corporis dotes negligi non velim, nempe formam & valetudinē propter prolē, attamē in oblata vxore quærendæ ante omnia animi dotes. Inter quas summū locum tenet pietas & religio, fundamēta omnis bonæ rei. Dispari enim religione rarò animi solidè consociātur, nisi talis sit & eius ætatis atq; ingenij coniux, vt speretur mariti religioni se accōmodaturam. Paulus nō vult à Christiano vxorē infidelem eijci, quæ alioqui officia præstet coniugalia, cùm infidelis per fidelem sanctificetur. Non inficit deterioris impietas alterius pietatem. Videndū porrò qua patria, quib. parentibus, quo pacto educata, quib. moribus sit puella. Sunt enim regiones, quæ peculiarib. vitijs sunt obnoxiæ, à quarum affinitatib. abstinere præstat, & sunt rursus quæ pudicas & morigeras alant, vt de Lacænis proditū. Et parentum plæruuq; mores ad posteros transfunduntur, quare videndū, an pijs & pacificis parentib. in primis matris mores & educatio atq; institutio liberorū expendēda. In parentib. enim metuuntur hæreditarij criminis exēpla, vt Impp. Arcad. & Honorius testantur. Ezechiel Iudæos reprehendit, quòd mores Cananæorū imitarentur. Radix, inquit, tua et generatio de terra Canaan. Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Chottæa. Adde quæ Esdras, qualis ager talia & semina, qualis agricola, talis cultura. Horatius, fortes inquit, creātur fortib. & bonis, neq; imbellē feroces progenerant aquilæ columbā. Plurimùm filiæ matrū mores imitantur. Neq; est verisimile fore vt filia ab ineunte ætate turpib. matris imbuta morib. honestatem prouectior sectetur, id quod Satyricus testatur:

Scilicet

Nouel. constit. 115.

Prouerb. 19.

Iudiciū in deligendà vxore.

1. Cor. 7.

In parētibus hæreditarij criminis exempla.

L. quisquis. C. ad l. Iul. maiest.

Ezech. 16.

Esdr. 4 c. 9.

Iuuen. Sat. 6.

Scilicet exſpectas vt tradat mater honeſtos
Aut alios mores quàm quos habet? Vtile porrò
Filiolam turpi vetulæ producere, turpem
-- Exſpectas, vt non ſit adultera Largæ

Satyr. 14.

Filia, quæ nunquam maternos dicere mœchos
Tam cito, nec tanto poterit contèxere curſu, &c.

Corrumpunt vitiorum exempla domeſtica, magnis. Cum ſubeant animos auctoribus.

Affinitatis ratio.

Conſideranda quoque affinitas, ſi par an potentior & prægrauans. Sæpenumero accidit, vt cupiditate, ambitioneque illecti ditiores potentioresque captemus vxores fretas parentibus & conſanguineis, præpotentibus & nobilioribus, quas cum parum, deinde in poteſtate, parumque obſequentes habeamus, imperioſas & præfractas ferre cogimur. Tiberij coniugium. *Tiberius Iuliam dùxit filiam potenti genere Auguſti, adulterijs & alijs vitijs infamem. Hanc cùm nec maritali ſeueritate cohibere poſſet, nec domo eijcere tanti patris filiam auderet, Rhodum in exilium conceſſit.* M. Antonin. *M. Antoninus Philoſophus, cùm Fauſtinam duxiſſet, Antonini Pij filiam, & ea cauſa fuiſſet adoptatus ad imperium, ne de dote veniret in controuerſiam, non auſus eſt manifeſtam adulterij repudiare.* Pittaci conſilium. *Pittacus conſultus ab adoleſcente, cui duæ vxores oblatæ, altera opib. ac genere æqualis, altera vtroque ſuperior, vtra ducenda eſſet? Sublato baculo, quo nitebatur admonuit, vti pergeret ad triuia ciuitatis, vbi pueri luderent, eoſque conſuleret, & quod illi ſuaderent, ſequeretur.* τὴν κατὰ σαυτόν. *Pueri èx prouerbiali cantione reſponderunt, æqualem vxorem ducendam. Itaque adoleſcens altera præterita duxit æqualem. Quæ ſententia eo magis placuiſſe Pittaco traditur, quod ipſe ſuo periculo nobiliorem dùxerat Draconis ſororem imperioſam & moleſtam. Chryſoſtomus màximè ſpectandum nubenti iubet concordiã, quæ vinculum arctiſſimum eſt inter maritum & vxorem, quæ ſi adſit omnia abundè affluunt, vt contra diſcordia omnia diſperguntur. Concordia autem màximè inter æquales viget. Syrach, Pondus, inquit, ſuper ſe tollit, qui coniungit ditiorem. Quid communicabit cacabus ollæ, ſi collidantur confringuntur. Plautinus*

nus Euchio Megadoro locupleti pauperis affinitatem deposcenti respondit:

Venit hoc mihi in mentem Megadore te hominem diuitem,
Factiosum, me item esse hominem pauperem pauperrimum,
Nunc si filiam locassem meam tibi, in mentem venit
Te bouem esse, & me asellum,
Vbi onus nequeam ferre, pariter iaceam ego casurus in luto.
Tu bos me haud magis respicias, quàm si natus nunquam fiem.

Nouimus quendam, qui, cum nuptias affectasset potentiorum, & quibus ipse impar fuit, nunquam cessauit execrari diem illum, quo ea vxor illi primùm elocata erat, longè felicior futurus si parem duxisset. Ab exemplis consultò tempero, ne quis offendatur, alioqui nostræ ætatis quoq; non deessent commemoranda. Sæpe fit vt captatis potentiorum affinitatibus speremus nos tutiores, atque interim in grauissimam seruitutem, & inexhausta pericula nos conijciamus. Quin crebrius inter eos videmus belligerari, qui vel sanguine vel affinitate propinqui sunt, quàm inter quos nulla necessitudo intercedit. Immò his occasionibus potissimùm oritur bellum, cùm ius ditionum aliundè aliò transfertur, huic accedit, illi decedit aliquid, vnde grauissimi sæpe tumultus, alius queritur spõsalitia pacta nõ seruari, alius nescio quid præteritum causatur, hic offensus re quapiam sponsam repudiat. Henricus septimus Angliæ rex sibi suisq; tranquillitatem quærens Margaretam filiam vicino Iacobo Scotorum regi elocauit, existimans ea coniunctione affinitatis effecturum se, vt nihil amplius hostile à vicinis Scotis expectandũ esset, & nullus deinceps suorum receptum ad Scotum haberet, at Scotus affinitatis occasione infestioribus copijs Angliæ fines inuasit. Possemus plures infelicium affinitatũ exitus cõmemorare, sed poterit tacitus quisq; apud se reputare, quàm tristem sæpe exitum potentiorũ expetita matrimonia præbuerint. Quapropter in matrimonijs cõtrahendis, non tàm potentia & opes, ac stemata spectanda, quàm æqualitas, mores, & educatio parentumq; studia. Nationum quoq; ingenia expendenda: Nam pleræq; nationes peculiaria habent vitia, morumq; κράσεις, quæ plurimum cæli regionibus respondẽt, vt Hip-

Henric. VII.

Nationũ ratio consideranda.

Y pocrates

Plato in Timæo & Menexemo. Hippoc. de victus ratiõe lib.2. L. ædiles. ff. de ædil. edict.

pocrates testatur, & Plato, Scythæ & Aquilonares feritatis notantur, Afri subdoli sunt, Asiatici luxuriosi, & quædã regiones maiora vitiorũ irritamenta præbent. Sic Campanos luxu affluentes reddit soli fœcunditas. Cyrus Plantarum, inquit, hominumq; mores & ingenia regionum similitudinem trahere. Huc respexit Vlpianus Iurisconsul. Qui mancipia, inquiens, vendunt nationem cuiusque in auctione pronunciare debent. Si in mãcipio deterret natio, quantò magis in vxore præsertim principis. & vbi redhibitioni locus non datur, nõ admodum bene consulitur heroinis principumq; filiab. quæ nonnunquam è ciuilissimis populis & regionib. cultissimis in procul semotas barbarasq; regiones ad homines lingua, specie, moribus, ingenijsq; dissimilimis, velut in exilium relegantur, felicius apud suos victuræ, etiam minore pompa, & humilioris conditionis sponso elocatæ. At, inquit aliquis, nõ decet principum filias inferioris notæ procis connubio iungi. Fateor quidẽ, si commodè fieri queat, vt paribus nubant. Verùm si periculum prospiciatur, quid mali, si inferioris stemmatis homini virtute & fama honesta copulẽtur? Cum quo si minori strepitu forte longè maiori vitæ suauitate victuræ sint. Videmus quosdã principes Comitib. desponsare filias, & principes è suis popularib. vxores inferioris notæ ducere, idque feliciter cedere, suauiusq; viuere, quàm qui aliunde à columnis Herculis, aut vltima Thule ignotas, magnaq; pompa malũ accersunt. A Christiano debent esse alienæ hæ vulgi opiniones priuatorumque affectus. Minoris dignitatis & potentiæ affinitas nõ aspernanda, si modò Reip. expediat: Saluberrimum autẽ Reip. si affinitates intra fines regni: aut cum proximè finitimis iungantur, atq; ijs, quorũ fides explorata. Omnino talis delectus principe Christiano dignus, vt deligat ex omnib. quæ pietatis & modestiæ indolem ac specimẽ præbeat, quæq; putetur futura principi morigera, à pompa et comessationib. aliena, quæ bono principi bonos gignat liberos ac Reip. salutares. Ducenda autem virgo & puella, quam suis moribus affingere possit. Nænius mustam appellat, id est, nouellã instar musti. Veneti filias admodum puellas elocant: Puellam enim tenerã et rudem in quemuis habitum sequacem flecti posse putant, suisq; moribus accõmodam reddere. Grandiores quæ suis moribus indurvuerunt ægrè ingenium mutant.

Puella musta ducenda.

mutant. Est porrò quædam arcana geniorum, animorumq; συμπάθεια, quæ in affinitate cum primis spectāda, nam imparia matrimonia ingentem sæpe confusionē in Rep. parere videmus. Breuiter, princeps qui sibi & Reip. tranquillitati consulere cupit, maturè pioq; iudicio Deum interpellet, vt bonam largiatur coniugem, antequā vagis libidinibus implicetur, ducatq; puellam, si non genere ac potentia maiore vel pari, certè parentum probitate moribusq; proprijs & corporis & animi dotibus cōmendatam, ac talem quam speret suis morib. ad Dei honorem, & Reip. vtilitatem affingi posse, ac deniq; Christiano matrimonio aptā esse. Quod si affinitatis potentia et generis splendor atq; forma accedant, ea tanquam Dei ἐριχύδεα δῶρα haud quaquam aspernanda, modò priora illa magis necessaria non desint.

FINIS LIBRI PRIORIS,

LIBER SECVNDVS,

REIPVB. ADMINISTRANDÆ EPITOME.

Vetus dictū, principē philosophari oportet sed paucis, quo nos admoniti, Isocratē grauissimum & Philosophū & Oratorē imitamur, quemadmodum ille ad Nicoclem de regni administratione, hoc est, περὶ βασιλείας, breues quidē et sapientiæ plenas καὶ μάλα λιγέως sentētias conscripsit. Ita ipsi si nō pari dignitate, certè studio non minore è nostris, quos de Rep. inchoauimus libris sententias de gerendo principatu, cùm è veterum scriptis, tum è iure tàm ciuili quàm diuino excerptas, atq; in epitomen contractas huic institutioni adijciendas existimauimus. Quæ simul et breuitate & simplicitate sua conuenirent, ac iuniori principi tyrociniū quoddā ad inchoandā instituendamq; administrationē præberent. Easq; sententias atq; leges in certâ capita digessimus, earum rerum, quarum in Rep. administrāda præcipuū vsum putauimus, & quia pleraq; de politicis virtutib. quæ huc quoq; pertinere videntur, superiori libro tradita, ne ea hic repetita, veluti crambe recocta, nauseam parerent, eò legentem relegamus.

De Reip. formis, deq; præcipuis gubernationis columnis & sustentaculis.

Lib. 2. REipub. administrationis tres à veteribus traditæ formæ, quibus tamen singulis suæ sunt, si degenerent pestes, vt testatur Dionysius Halicarnass. Prima, in qua vnus rerum potitur, omniaque ad iustitiæ æqualitatisque regulam moderatur, Monarchia vocatur, seu regnum, qualis fuit Babylonica, Persica, Græcorum ac Romanorum, & nunc regna, quæ superiorem non recognoscunt αὐτοκράτορες βασιλεῖαι, quam formam Homerus & Xenophon in Cyro instituendo probare visi. At hæc si pro libidine, & non secundum Leges administretur, in Tyrannidem degenerat. Proxima, in qua optimates virtute præstantiores certo numero gubernationem sustinent, vocaturq; Aristocratia, eius formam olim Lacedæmoniorum, vt Aristoteles testatur, & nostra ætate Venetorum Resp. exhibere visa. Etsi Contarenus Remp. è tribus his formis temperatam scribit, quæ, si degeneret in paucorum tyrannidem, qui neglecta publica vtilitate priuatis fortunis consulunt, Oligarchia nominari solet, nempe ex paucorum potentia natum Imperium. Postrema popularis est gubernatio Democratia appellata, in qua omnia ad æqualitatem, id est, ἰσονομίαν diriguntur, & honores ac functiones populi suffragijs conferuntur, qualis apud Heluetios esse videtur, hæc si degeneret in seditionem, vt quisque sibi tanquam populi partem contendat publicam potestatem vendicare, ἀναρχία dici poterit, Plato στασιωτείαν, Plutarchus ὀχλοκρατίαν appellat. Apud Herodotum Persæ sublatis Magis, quæ ex his tribus formis præferenda esset, acerrima concertatione disceptant. Et Otanes quidem populare Imperium, hoc est, Democratiam prætulit, Megabyzes Aristocratiam, Darius Monarchiam præferens obtinuit: Siquidem hæc si iusta sit & innocua, Dei simulachrum in terris gerere existimatur. Cæterum ne in tyrannidem degeneret principatus, optimatum ac sapientum consilio temperanda, & quemadmodum Plato dixit, optimum Reipub. statum, qui esset inter Monarchiam & Democratiam Geometrica proportione medius, ἡ μέσον ἂν ἔχοι μοναρχικῆς καὶ δημοκρατικῆς, in qua

[Margin notes: Monarchia. — Iliad. α. — Pæd. α. — Tyrannis. — Aristocratia. — Politic. lib. 2. cap. 4. — Democratia. — De Legib. 3. — De Legib. 6. — Reip. optima forma.]

in qua nimirum non Arithmetica æqualitate, quæ sæpe iniustè singulis paria tribuit: sed in qua virtus ac merita singulorum considerantur. Polybius & Dionysius tradunt Romanorũ Remp. è tribus, his formis temperatam fuisse, atque ideo optimè constitutam et diutißimè conseruatam. Vnus igitur præsit, qui sit iustißimus & certis officiorum gradibus, pro cuique merito & dignitate administrationis cooperarios ac συνέργους *habeat. Hinc Theopompus laudatus quòd Ephoros regiæ potestati adiunxerit. Romanorum Consulatus Tribunitia potestate temperabatur, Imperium Germanicum Electorum ordinumque auctoritate, Gallorum Regiæ potestati Parlamentum quasi frenum adhibitum. Proditum est Tiberium Cæsarem, dum à Senatu ad Imperium vocaretur, consuluisse, ne ad vnum omnia deferrent: quòd arduum minus esset munus cuncta agendi, sed socialis laboribus expeditius munia Reip. administrari.* Polyb. lib. 6. Dionys. lib. 2. Ephori. Tribuni. Electores. Parlamentũ. Tacit. annal. lib. 1.

Reipub. bene constitutæ præcipuas partes tres constituit Aristoteles, Magistratum, Consilia & Iudicia, alij Remp. benè constitutam tradunt, duabus potißimùm columnis fulciri, Magistratu & Legibus, sub quibus & consilia & iudicia continentur, eæque sic sunt coniunctæ connexæque vt neutra sine altera subsistere queat, quod eleganter Cicero expreßit, LEGEM, *inquiens,* MVTVM MAGISTRATVM, *Magistratum verò legem loquentem. Xenophon magistratum bonum videntem legem,* ἄρχοντα ἀγαθὸν βλέποντα νόμον *appellat: Inanes enim sunt Leges, si nõ sit qui eas exigat atq; exequatur. Primùm igitur de priori columna et fulcimẽto Reip. nempè de Magistratus ac principis officio, eiusque gubernationis norma, deque cooperarijs, pòst de Legibus dicemus.* Polit. 4. cap. 14. Reip. columnę pręcipuæ. Cic. de Legib. lib. 3. Pediæ lib. 8.

De priori columna in Rep. nempe de principe eiusque officio. Cap. 1.

PLutarchus in libello *περὶ ἀπαίδευτον, Bonis, inquit, quæ Deus in hoc mundo largitus vti non liceret, nisi esset Lex, Iusticia & Princeps, Iusticia Legis finis, Lex Principis opus, Princeps Dei simulachrum administrantis vniuersa. Et quemadmodum Deus in cœlo pulcherrimum* De principis officio. Iusticia. Lex.

simulachrum Solem constituit, talis in Rep. princeps, qui DEI REVERENS IVSTICIAM *tuetur. Cum igitur princeps sit persona politica à Deo ad conseruandam in Rep. disciplinam ordinata, is eam suscepturus curam meminerit omnis bonæ rei initiũ & successum à Deo proficisci, ac primum* REGNVM DEI QVAERENDVM, *& omnia ad suam vocationem necessaria illi suppeditabuntur, exemplo Salomonis, qui à Deo ante omnia, quæ postulare licuit, petijt sapientiam, vt superiori institutionis libro indicatum, cap.* IX. *Deinde suũ munus expendat, ac seipsum norit, iuxta Apollinis oraculum, vel potius iuxta vocationem Dei in qua vocatus, cogitetq́ à Deo omnem potestatem concessam: principatum esse ministerium Dei* διακονίαν *ad curam & salutem hominum, de qua cura exactissimam rationem ad ineuitabile Dei tribunal reddere oporteat.*

Princeps Dei simulachrũ.

Salomonis petitio. 3. Reg. 3. 2. Paral. 1.

Principatus ministerium est.

Non existimet quia amplis opibus, satellitio ac potestate fretus, sibi licere quod libet, sed legibus se subiectum, & secundum leges viuere & imperare debere. Consilia sapientum & bonorum admittenda, nihil temerè decernendum. Lex enim Regina est omnium, vt infrà de Legib. dicetur. Mandane mater Cyri apud Xenophontem, Regibus, inquit, non libido, sed Leges dominantur. Quanquam autem Vlpianus Iureconsultus responderit alicubi, Principem legibus solutum: Et aliàs, quòd principi placuit legis habere vigorem, id tamen Paulus Iureconsi. & alij velut interpretantes, secundum leges viuere principem debere responderunt. Decere enim tantæ maiestati eas seruare leges, quibus ipsa soluta esse videatur, quod & posteriores principes ipsi confirmarunt, sancientes DIGNAM MAIESTATE REGNANTIS VOCEM, LEGIBVS SE ALLIGATVM FATERI PRINCIPEM: *& reuera maius esse imperio, submittere legibus imperium.*

Pediæ lib. 1.

Princeps an solutus Legibus. L. Princeps, ff. de Leg. L. quod principi. ff. de const. L. digna vox, C. de Leg.

Plinius Secundus Traianum laudat, quòd Consule sedente & iuramentum præbente iurauerit, expresseritq́ verba, quibus caput suum, domum suam, si scienter fefellisset, Deorum iræ consecraret: Ingens gloria tua Cæsar, inquit Plinius, ipse te legibus subiecisti, quas nemo principi scripsit, sed tu tibi nihil amplius vis licere quàm nobis, sic fit vt nos plus tibi veli-

Panegyr. Iurat Princeps se Legibus pariturum.

velimus, Non est princeps supra leges sed contrà, leges supra principem. Idem Cæsari & Consuli quod cæteris non licet, iurat in leges attendentib. dijs: nam cui magis attendat quàm Cæsari, iurat obseruantibus his, quibus idem iurandum, non ignarus alioqui nemini religiosius quod iurauerat obseruandum, quàm cuius maximè interest non peierare: vnde & abiturus magistratu iuratur nihil contra leges factum: Magnum quod iurando promitteres, maius postquam præstitisti.

Pacatius Theodosio: Tantùm, inquit, tibi licet, quantùm per leges licebit. Ius summum facultate & copia commodandi, non securitate peccandi experieris. Seneca, Cæsari, inquit, cùm omnia liceant, propter hoc minus licet: Omnium domus illius vigilia defendit, omnium ocium illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio: Ex quo imperio se dedicauit, sibi eripuit, & syderum modo, quæ irrequieta, semper cursum suum explicant, nunquam illi licet subsistere, nec suum quidquam facere. Anastasius Imperator iudices monet, nullam sanctionem, nullumque rescriptum recipiendum, quod iuri vtilitatique publicæ aduersetur. L. vlt. C. si cō tra inst.

Nulla igitur ratione princeps existimet, se naturæ, iusticiæ, honestatisque legibus solutum, sed hisce perinde atque priuatos teneri: tametsi legibus, quarum transgreßio nec pietatem, nec iusticiam, nec honestatem lædit, non astringatur. Cuiusmodi sunt leges solennium & formularum, quibus solutus dici poterit princeps, vt notant Iureconsf. Facessant igitur adulatores, qui principibus persuadere conantur, illis omnia licere, eorumque libidinem ac voluntatem pro legibus esse. Id quod impurißima Iulia Caracalli nouerca dixisse literis proditum. Parum autem sapiunt Principes, qui illud præcipuum ducunt bonum, quod nullius imperio subiecti sint: quemadmodum Persarum rex omnes pro seruis habebat, præter vxorem, cuius maximè conueniebat esse dominum. Quibus Legibus soluti. L. ex imperfecto, & L. omnium. C. de testa. Spartian. in Carac.

Quin potius cogitet princeps, se esse legem animatam, ἔμψυχον νόμον, *& legum custodem, vti Aristoteles definit, Principem esse* νομοφύλακα, *Xenophon videntem legem appellat: detque operam vt ipse primùm ea præstet, quæ alijs imperat: Vtque ea quæ imperat iusta sint.* Nouell. constit. 206. Princeps lex animata sit. Polit 6. Pediæ 8.

Prin-

Plinius Panegyr. *Principis vita censura est, inquit Secundus, eaq́ perpetua, ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur,* NEC TAM IMPERIO QVAM EXEMPLO OPVS, *cui suffragatur doctrina Claudiani Honorium instituentis -- Componitur orbis*

Exemplo magis quàm imperio opus.

Regis ad exemplum, neque sic componere sensus
Humanos edicta valent quàm vita regentis: vt in Institutione quoq́ prioris libri admonitum. Plato perniciem esse dixit totius Reipub. magistratuum improbam vitam. Si princeps luxu, crapula, libidinibus, vanitate delectetur, mox aulicos habebit proceres ac nobiles sectatores, hos æmulatur reliquum vulgus, etiamsi legibus prohibeantur, vitiaq́ ab aula transfunduntur in subditos. Neque solùm obsunt principes, quòd ipsi corrumpuntur, sed etiam quòd alios corrumpunt, plusq́ exemplo quàm peccato nocent, vt Ciceronis verbis vtar. Principes auctores scandali, Sophonias propheta prædicit victimas futuros in eo sacrificio, quod Deus habiturus per Babylonios.

Principes plus exemplo nocent quàm peccato.
Cic. de Leg. 3.
Sophon, 1.

Proinde cogitet princeps se quasi in theatro sedere, quod omnes contemplantur, cauendumque vt exemplo neminem offendat, neque subditis delinquendi occasionem præbeat. Nam hoc habet primum magna fortuna, vt nihil tectum, nihilq́ occultum patiatur, cui astipulatur admonitio eiusdem Claudiani ad eundem Imperat. Honorium:

Hîc te præterea crebrò sermone monebo,
Vt te totius medio telluris in orbe
Viuere cognoscas, cunctis tua gentibus esse
Facta palàm, nec posse dari regalibus vnquam
Secretum vitijs.

Accedit quòd principum peccata perniciosiora, vt diximus, & eò maiora, quo ipsi qui peccant maiores habentur, vt testatur Satyricus.

Porrò vti vitia subditorum principibus plærunque imputantur, quòd eorum vel exemplo vel continentia committantur, & Respub. inficiatur, Ita contrà virtute principum tanquam viua lege excitantur subditi, veluti si principem videant Deum timere, pium, iustum, continentem, sobrium, alienum à luxu & crapula, plus exemplo efficiet quàm vlla legum

Virtute principum subditi excitãtur.

gum

gum seueritate. De Cyro proditum, cùm exemplar se præbuerit omnium bonarum rerum, & quales subditos optasset, παράδειγμα τοιόνδε παρείχετο *inquit Xenophon: Nam vulgò dici solet,* QVALIS PRINCEPS TALIS POPVLVS. *Vnde Persarum regnum in magna gloria fuit regnante Cyro: at eo defuncto, deprauatisque principum moribus, imperium propter impietatem & iniusticiam labefactatum.*

Cyrus exemplar suis se præbuit. Pæd.1. & 8.

Expendat quoque princeps diligenter, quàm arduam prouinciam susceperit, quàm multus illi populus à Deo commissus. Splendida res est principem esse, sed quæ sub illo splendore solicitudinem grauem & miserias plurimas tegat. Rex quidam, cùm illi diadema porrigeretur, tenuit aliquamdiu cogitabundus, tandem ô nobilem, inquit, pannũ magis quàm felicem. Plato in Politico, Reipub. administrandæ artem maximam & difficilimam esse dixit. Id quod Cambyses filium Cyrum monet, ὑπέρμεγαθές εἶναι ἔργον τὸ καλῶς ἄρχειν. *Idem Diocletianum dicere solitum Vopiscus testatur, de quibus plura lib. priore cap.* XII.

Principũ ardua prouincia.

Reip. administratio ars difficilis. Pæd.1.

Cæterum cùm à Deo hæc vocatio imposita, etsi difficilis & molestiæ plena, nequaquam per ignauiam reijcienda, aut segniter obeunda, quin cogitandum, Omnia pulchra difficultatẽ secum trahere, πάντα τὰ καλὰ δύσκολα. *Imitetur princeps sapientissimum regem Salomonem, qui in suscipiendo imperio nihil aliud petijt quàm sapientiam. Idem Christianus princeps faciet, vt superiore lib. cap. 9. & aliàs admonitum. Est autem vera sapientia verbum Dei, & diuinæ voluntatis agnitio, rectum de rebus iudicium, ne falsa pro veris, impia pro pijs recipiat & comprobet, quæ omnia è verbo Dei tanquam purissimo fonte hauriuntur, ex hoc fonte petenda Reipub. administrandæ norma. Proinde Dominus regibus Israël præcepit, vt Deuteronomium de manu non deponerent: ita principem Christianum conuenit Euangelica & Apostolica scripta assiduè legere, & ad ea gubernationem instituere. Nullis viribus sic Respub. stabiliri, & subditos in officio contineri, quàm religione, Moysis, Dauidis, Ezechiæ, Constantini, Theodosij, Caroli Magni gubernatione constat. Nulla gens tàm fera, quæ non religionis opinione teneatur. Numa rex, quòd cum Aegerea dea colloquium habere crederetur, obsequentiorem populum habuit religionis*

Sapientia vera. Syrach 1. Prouerb.1.

Deuter.17.

Religio maxime homines mouet.

 existi-

existimatione quàm Romulus armorum vi & militari disciplina. Idem de Cyro & Agesilao proditum, etiamsi vana religione veritatem in iniustitia detinerent. Geysam regem Vngarorum temulentiam, crudelitatem & rapacitatem subditorum religione emendasse Bonfinius scribit: Nam religio animos mouet, vis externa tantùm corpus in disciplina continet.

Bonfin. li. 10. decad. 1.

De aula principis instituenda. Cap. II.

Vbi autem princeps seipsum ad hanc normam exegerit, vt sit innocens, iustus, detestans scelera, qui sit bonis honori, malis terrori: simul & aulam suam ad eandem regulam pietatis & modestiæ componat, sic œconomiam & disciplinam honestam instituat atq; conseruet, vt aula quasi virtutum chorus appareat: qualis Dauidis, Asæ, Ezechiæ, in sacris literis atque etiam Cyri à Xenophonte describitur. A maioribus cognoui Adolphum ducem Cliuensem, abauum tuum paternum, tàm honestam in aula sua obseruasse disciplinam, vt certatim principes & nobiles liberos suos huc tanquam ad honestorum morum scholam mittere studerent.

Adolphi ducis Cliuensis aula.

Proponat princeps doctrinam Dauidici Psalmi: Non ponam in conspectu meo verba Belial. præuaricantem odio habui: Cor peruersum declinabit à me, malum non recipiam: Accusantem in secreto proximum, hunc coërcebo, elatum & superbum non patiar: Oculi mei inter fideles terræ, qui ambulat in innocentia, hic ministrabit mihi. Imitetur Dauidis & Salomonis in primis verbo Dei præscriptam disciplinam, non toleret princeps malitiosos, mendaces, aliorum contemptores, quales ferè visuntur in aulis, vt canit Poëta:

Aulæ piæ descriptio.

Maxima quæque domus famulis est plena superbis.

Imitari conueniet Traianum & Alexandrū Impp. qui suscepto imperio mox aulam repurgarunt ab impuris & inutilibus hominibus, quos Domitianus & Heliogabalus asciuerant atque prouexerant, nec passi sunt in palatiis quemquam, nisi necessarios homines. Alexander se quoque iureiurando astrinxit, ne quem ascriptum, hoc est, vagantium haberet, ne anno-

Aulæ repurgatio ab inutilibus hominibus. Traianus. Alexander.

annona grauaretur Respub. dicens: MALVM ESSE PVPILLVM IMPERATOREM, *qui è visceribus prouincialium homines non necessarios, nec Reipub. vtiles, pasceret. Scurrarum igitur & morionum, adulatorum turbam propellat, & optimorum consuetudine vtatur, vti de iam citatis Impp. proditum est literis.*

Adulatores tanquam perniciosas pestes explodat. Quo pacto cognoscendi, superiori lib. cap. V. indicauimus. Adulatores.

Vanitati, mendacijs obnoxios ministros procul ableget: nam si his delectetur, mendaces & vanos semper habebit aulæ asseclas, iuxta Sapientis gnomen. Mendaces. Prouerb. 20.

Ad eundem modum mimis, scurris, parasitis, ac lenonibus non sit obnoxius, quibus iam Christianæ aulæ perstrepunt, olim ab ethnicis Traiano & Alexandro, explosis: adde quos Galli vocant mingons, Hieronymus trossulos, propheta Naum minzarim, quasi comatulos vocat, qui voluptatum architecti ad omnia obsecundant principibus, perniciosissimæ in aulis pestes. Hi quia principes perdunt, & quocunque volunt perducunt, quaslibet iniquas causas promouent, eos procul ab aula pellere conuenit. Mingons. Hieron. ad Nepos. Trossuli. Naum. 3.

Non auersetur princeps graues ac sapientes, & imprimis pios viros, quorum virtutibus ciues ad honesta prouocentur, & consilijs Respublica constabiliatur. Nam sicut boni principes per pios & sapientes amicos imperia conseruant: ita tyranni grauium ac sapientum consuetudinem & consilia refugientes, atque adulatores in precio habentes, se suosque in perniciem perducunt, vt Aristot. admonuit, & inferius de cooperarijs dicetur. Polit. 5. 11.

Grauissimè Secundus Traianum laudat, quòd perniciosas aulicas tineas expulerat, qui optimum quemque apud Domitianum traducebant. Tineæ palatij.

Asciscat proceres, consiliarios, silentiarios, aulæque administratores, quales Ietro Moysi præscripsit, viros graues, incorruptos, veraces, non adulatores, nec fumi venditores.

Habeat aula doctores pietatis, atque eruditos, quorum & ipse princeps Doctores pietatis.

consilio vtatur, & qui alios officij admoneant, ad pietatem inflamment: non sint spermologi, neque canes muti, non audentes latrare.

Adolescentū nobilium institutio. *Adolescentes nobiles in aula feruentes curet piè institui, exemplo Nabugodonosoris, cùm ea sit seges Reipub. gubernandæ.*

Daniel. 1. *Facessant ebriosi, blasphemi, iuramentis vanis assueti: item luxus, crapulæ, inutiles sumptus in vestitu, in epulis, effæminati mores ab externis nationibus aduecti seueriter coërceantur, vel potius exemplo principis expellantur, ne ab aula in subditos transferantur ea vitia, eosque exhauriant, atque effæminatos reddant.*

Gynæcij institutio. *Gynæcium & parthenonem sic instituat princeps, vt exemplar sit honestis matronis & virginibus: nam has æmulantur subditorum procerum vxores & heroinæ, & has vulgus, vti paulo antè & de principe dictum.*

Traiani vxor. Plinius Panegyr. Vespasianus. *Traiani vxor laudata, quod modica luxu, parca comitatu, ciuilis incessu: Mariti hoc opus, qui ita instituit, inquit Secundus, nam vxori sufficit obsequij gloria, siquidem maritum videas neque ambitionem neque luxum ostentare, & ipsa modestè incedit. Vespasianum cohibendi luxus auctorem fuisse in sua aula, & deinceps in imperio, antiquo cultu vtentem, vnde obsequium in principem & æmulandi amorē validiorem quàm pœnam è Legibus fuisse Tacitus tradit.*

Iam videas quorundam Christianorum principum gynæcia sic luxu cultuque parum pudico diffluere, vt prostitutarum potius chorus quàm Christianarum heroinarum cœtus appareat.

Lacedæmoniorū mos. Clem. in Pædagogo. *Clemens Alexandrinus laudat Lacedæmoniorum morem, qui solùm meretricibus splendidas vestes permisit, vt honestis mulieribus mundi studium auferret: siquidem cultu se exquisito venditare quid aliud est quàm pudicitiam prostituere?*

Archidamas. *Archidamas, dum splendidæ vestes à Dionysio filiabus mitterentur, recusauit accipere, Metuo, inquiens, ne turpiores hoc cultu appareant.*

Veneti. *Veneti veteres Romanorum legem Oppiam & Græcorum γυναικονόμοις sectantes, certis legibus luxui muliebri modum imposuerunt, vt inferius in sumptuarijs legibus dicetur explicatius.*

Nullus

Nullus cultus heroinas & virgines magis decet quàm pudicitia, modestia & mundicies. Nihil laudabilius fœminis Christianis, quàm si verum honorem non in vestium ac titulorum splẽdore, sed in timore Dei & in iudicijs hominum reponant, magnisque nominibus se pares faciant etiam dum recusant. Apostolus vult Christianas mulieres esse in amictu modesto, cum pudore & castitate ornantes se ipsas, non tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut vestitu sumptuoso, sed quod decet mulieres profitentes pietatem per bona opera. Nunc non pudet Christianas immodico studio & arte contorto capillitio, auroque intertexto, aut pendulis ab aurib. margaritis, collo murenulis ac torquibus, ostẽtare purpuram, ac Phrygiarum vestium caudas trahere, quo simul & formam strepitumque opulentiæ lenocinio parum pudico venditent, & suas opes ostentantes tenuioribus inopiam exprobent. Legatur Paulus 1. ad Timoth. 2. & Pet. 1. cap. 3. & Tertull. de cultu fœminarum. 1. Timoth. 2.

Gynæcio præposita sit grauis & prudens matrona, & Gynæconomus, aut si mauis cubiculi præfectus, ætate grauitateque comprobatus.

Habeant honesta exercitia, vel nendo vel texendo. Augustus potentissimus monarcha, filias lanificio erudiri voluit. Atque hanc texendi acuque pingendi heroinarum consuetudinem olim fuisse in aulis Cliuensium principum, aulæa preciosissima, quæ etiamnum supersunt declarant. Interim lectiones sacrarum literarum ac Bibliorum maximè decent heroinas & virgines, vt testatur Hieronymus, Lætam instituens: Item graues & castæ historiæ. Non admittantur inutiles & scurriles fabulæ, quales sunt Centenouellæ, & similes. Ipse cùm fortè legatione fungerer ad principem quendam, & in gynæcium salutandi causa deductus, offendi sacrificum legentem fallendi temporis causa nugas quasdam Gallicas, in quibus Amazonum mentio, & rogatus ab heroina quadam, quæ nam essent Amazones: Sunt, inquit ille, femmes, quæ ont tont doux natures: Apage, inquam ego, huiusmodi interpretes. Similes facetiæ passim leguntur in gynæcijs.

Suet. in Aug. Augusti filiæ lanificio exercebantur.

Hieron. ad Lætam.

De principis erga subditos officio. Caput III.

Princeps pastor populi.
Hierem.23.
Ezechiel.34.
Esa.44.
Iliad.β.

PRinceps ipso se & aula sua piè institutis, cogitet sibi non solùm sui & aulæ rationem habendam, cui tàm amplæ ditiones, tàm multæ animæ atque corpora tanquam pastori concredita, sed sicut pastori ouium, sic principi cura subditorum à Deo concredita, memineritque se subditorum causa constitutum à Deo, non contrà, principis causa subditos concessos. Consuletur Scriptura. Væ, inquiens, pastoribus Israël, qui pascunt semetipsos, oues autem dispergunt neque pascunt. Esaias Cyrum vocat pastorem Dei, quòd populum Israëliticum duceret, quemadmodum pastor oues, & reduceret in Hierusalem. Homerus cùm alios reges tum Agamemnonem appellat ποιμένα λαῶν. Bonus pastor animam pro ouibus ponit, vt Dominus testatur apud Ioannem, idque plurimi principes boni testati, qui vitam pro subditis exposuerunt, vt Decij, Phileni, Codrus, Thrasybulus, & Hungariæ rex Ludouicus. Traianus suam salutem sibi inuisam affirmat, si non esset cum salute Reip. atque ita demum seruari optans, si Rempub. ex vtilitate rexerit. Cyrus apud Xenophontem testatur, principi Rempub. tanquam paternam domum administrandam: subditos non secus ac liberos & propinquos paterno affectu gubernandos: Cum ciuibus, inquit Secundus de Traiano, quasi cum liberis viuentem. δεῖ μὴ τυραννικὸν ἀλλὰ οἰκονομικὸν φαίνεσθαι τοῖς ἀρχομένοις.

Ioan.10.
Qui vitã pro subditis exposuerunt.
Plin. in Panegy.
Reip. tanquã paterna domus principi administranda.
Arist. pol.5.11.

Hac ratione princeps maximè amorem vicissim subditorum conciliabit, si senserint se paterno affectu prosequi à principe subditi.

Subditorum beneuolẽtia tutiss. præsidium.
Princeps tanquam pater.
Xen. pediæ 8.
Euerhardus dux Vuirtenbergensis.

Præcipuum autem bene gubernandi elementum VT A SVBDITIS AMETVR PRINCEPS, nihilque in imperio subditorum amore Cyrus declarauit, qui adeò suorum curam habuit, vt patrem eum optimi quique appellarint ὥσπερ οἱ ἄριστοι πατέρα ἐκάλουν το, ὅτι ἐπεμέλειτο αὐτῶν, inquit Xenophon: Eamque charitatem subditorum securissimum regibus sceptrum atque præsidium, tutissimamque corporis custodiam, & imperium diuturnius ac stabile præstare. De Euerhardo duce Vuirtebergense fertur, qui, cùm in conuentu Imperiali principes fortè suas quisque ditiones

ditiones & subditos efferrent laudibus: Ipse, inquit, nihil habeo quod de meis iactē, hoc vnum scio, quòd securus in gremio cuiuslibet subditi dormire possim. Hoc certè tutissimū omnium munitionū præsidium, certissimumq́ aduersus omnem fortunam thesaurum existimans, μὴ φοβεῖσθαι τοὺς ἐντυγχάνοντας, ἀλλὰ μᾶλλον αἰδεῖσθαι, *vt inquit Aristoteles. Proditum est* Zonoras to. 2. de August. loquens.
Augustum cōsuluisse Mecenatem & Agrippam, quib. arcana concredebat, de imperio deponēdo: cumq́ Agrippa deponēdæ potestatis auctor esset, Mecenas contrarium suasit, posse enim eum tutò & citra ciuium molestiam imperare, si ea quæ alio imperante sibi fieri vellet, ipse vltrò αὐτεπαγγέλτως *fecerit alijs, eaque ratione, neque peccaturum, neque infeliciter administraturum imperium.*

Tyrannica & abominanda vox principum ODERINT DVM METVANT: *id quod ostendunt exempla Phalaridis, Dionysij, Neronis, Commodi, aliorumque tyrannorum, quorum manes nullo vnquam tempore à posterorum execrationibus conquiescunt.* Oderint dū metuant. *Agasiclis Lacedæmoniorum sapientissima sententia, posse quemuis principem sine satellicio imperare, vt pater filijs: nam custodia mercenariorum satellitum quàm tuta sit, docet cædes multorum Imperatorum: necesse enim multos metuat quem multi metuunt,* ἀνάγκη διὰ τὸ πολλοὺς φοβεῖν πολλοὺς ἐχθροὺς ποιεῖσθαι, *inquit Xenophon.* Agasiclis sententia. Xen. pæd. 8. *Apum rex aculeo caret, sola maiestate armatus, & à suis conglobatis cinctus protegitur: satelles circa ipsum assidua custodientes auctoritate, fessum humeris subleuant, aut in totum portant.* Apum rex.

Sunt autem duo præcipua, quibus adamandum principem & obtemperandum cōmouentur subditi, nempe BENEFICENTIA ATQVE HONORE OBSEQVENTIVM, *& castigatione delinquentium. His duobus Solon Rempub. continendam docuit: Et Sapiens, Beneficentia & Veritas, inquit, custodiunt regem. Rerump. hæc est firmissima anchora, vt vitia corrigantur, virtutes commendentur, vt in rebus acquirendis retinendisq́, atque adeò in contractibus pari iure cum infimis teneantur summi: Id summam parit concordiam, & erga gubernatores amorem.* Princeps vt ametur quibus efficiat. Prouerb. 20.

P ij

Pij principes hoc agunt, vt omnia ad subditorum vtilitatem accommodentur, vt opes ciuium augeantur. Contrà tyranni operam dant, vt subditorum facultates tributis & exactionibus atque operis præstandis Polit.5.11. *attenuentur, exemplo sunt Pyramides Aegyptiorum, statuæ Cypselidarum, vt Aristoteles testatur. Vt pij principes in hoc sunt toti, vt concordiam inter subditos sarciant, ita tyranni potentiorum, opulentiorumque ciuium dissidia fouent, quo ab vtrisque captentur, & imbecilliores redditi melius opprimi queant, & ne concordia inter eos coalita tyrannidi resistere queant, hæc tyrannidos stabilimenta existimantes.*

Plurimùm beneuolentiæ conciliat principi, si subditi sentiant eum libenter apud subditos versari, curamque suorum gnauiter suscipere. Proinde apud suos libenter se contineat, non auocetur, non necessarijs profectionibus, sed tanquam apum rex, qui in medio alueario se continet, ita princeps in meditullio suarum ditionum sedem si fieri possit, habeat, quò commodius adiri queat, & vt ille intus opera circumit similis exhortanti solus immunis, ita princeps in aula sua, tanquam in specula assidens, subditos in officio contineat. Rex in solio iudicij dissipat omne malum intuendo. Accersantur huc, quæ in libro superiori, cap. XXV.

Princeps tanquam apum rex.

Aula in medio ditionũ.

Prouerb.20.

Porrò in hac gubernationis specula constituto non est dormitandum, sed vigilantia opus est, vt auris audiat & oculus videat. Si Agamemnoni ethnico regi diuum: NON OPORTET PRINCIPEM SOLIDAM DORMIRE NOCTEM: *Et Epaminondas, cùm Thebanorum populus ludis & compotationibus solutus esset, solus vigilans adibat arma dicens, se sobrium esse ac vigilare, quò alijs liceret securè quiescere. Quo magis conuenit principem Christianum solicitum esse, vt populum in agnitione, vero cultu Dei, honestaque disciplina, contineat, vt iudicia cõstituantur, iustitia nemini denegetur, ne imbecilliores à potentioribus opprimantur, vt delicta coërceat, querimonijs subditorum succurrat, publicam pacem conseruet, politiã sic instituat, vt inopes quàm minimè grauentur, bonas artes proueh at, pios, eruditos & politicos homines ad consilia asciscat, receptorum expensarumque rationes exigat, aulicam œconomiam sic constituat, vt non sit opus populum subinde exactionibus*

Vigilantia principis.

Hom. Ilia. β.

Epaminondas.

Plut. de doct. princ.

In quibus oportet principẽ vigilare.

nibus expilare. In his vult Deus principem esse vigilantem, & MALEDICTVS QVI FACIT OPVS DOMINI NEGLIGENTER. Hierem. 48.

Aulæ principum debent esse asyla oppressorum, id quod adumbratum fuit in arbore per somnium Nabuchodonosori visa. Quare principem esse decet ἰυπρόσιτον, *omnibusque oppreßis tanquam sacram anchoram expositum, non præfractum ac terribilem, qui toruitate vultus miserabiles à conspectu deterreat, sed placidum serenumque vultum exhibentem, & quasi ipso aspectu protectionis & clementiæ spem ostentantem, hinc enim serenißimi clementißimique vocantur. Et quemadmodum arbor apud Danielem, per quam rex adumbratur, vmbram præbebat animantibus, ita princeps pius subditis debet præbere securitatem. Contrà tyranni subditos immanitate repellunt, neque defendunt ab iniurijs, atque ita animos alienant. Iusti autē & pij principes, animas capiunt, inquit Sapiens, hoc est, lenitate & defensionis solicitudine alliciunt animos hominum. Laudatus à Plinio Traianus, quòd* PALATIVM EIVS OMNIBVS PATERET. *Sic laudatus à Xenophonte Agesilaus, et Vespanius à Tranquillo, quòd gauderent aditum ad se omnibus patere.*

Daniel. 4.
Aulæ sint asyla subditorum.
Arboris Nabuchodonosori visa significatio.
Serenißimi. Clementißimi.
Prouerb. 11.
Palatiū principis omnib. pateat.

Contrà Persarum reges, quòd difficilem aditum præberent, notantur.

Plærique principes statuarios, inquit Plutarchus, imperitos imitantur, qui credunt Colossos ingentes videri, si tibijs, vehementer distentis fingantur: Ita & ipsi principes toruitate vultus auctoritatem sibi comparare existimant. Plutarch. πρὸς τὸν ἀπαίδευτον.

Cleomenes etsi rex & esse & haberi vellet, non purpuram, non tricliniorum aut sellarum apparatus ostentabat adeuntibus, nō lictorum ostiariorumque turbam, qui diu interpellati vix tandem per literulas respondere dignantur: sed ipse breui expeditaque veste indutus vltro se venientibus offerebat, petentibus comiter respondebat, summaque humanitate & loqui & audire paratus. Cleomenes. Plut. in Agide.

Ad eundem modum Traianus singularum ciuitatum desiderijs occurrit, nulla in adeundo difficultas, nulla in respondendo mora, adeunt statim, dimittuntur statim. Veri principis munus tumentes populos non Traianus.

imperio magis quàm ratione compescere, intercedere iniquitatibus magistratuum, infectumque reddere quidquid fieri non oportuit: Postremò velocissimi syderis instar omnia inuisere, omnia audire, & vndecunque velut inuocatum numen adesse.

Plin. in Traian. Paneg.

Pertinax.

Pertinax Imperator adeò se commodum omnibus præbebat, vt adeuntium cuiuis dextram placidè daret, neminemque à suis custodibus prohiberi aditu pateretur: adeò se æquabilem exhibuit, neque potentia elatus, vt filium in aulam palatinam non adduceret, sed ad ludum literarium, quasi nihil à priuato differentem, mitteret, vt Herodianus testatur.

Herod. lib. 2.

Adrianus.

Dio in Adria.

Adrianum Imperatorem mulier quædam appellauit: Audi, inquiens, me Cæsar: Is cùm respondisset, non est otium: Noli ergo, inquit illa, imperare. Ad hanc vocem restitit Cæsar, & mulierem audiuit.

Esaiæ 10.

Psal. 12.

Supplices audiendos.

Syrach 35.

Dominus grauiter minatur apud Esaiam his, qui afflictorum causas negligunt: Et Psaltes, Præ gemitu, inquit, miserorum & clamore pauperum nunc exurgam dicit Dominus. Non despicit Dominus, inquit Sapiens Syrach, preces pupilli, nec viduam si effundat loquelam gemitus, nam lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, à maxilla ad cælum, & Dominus exauditor non delectabitur. Neminem igitur patiaur princeps à supplicando repelli, ab omnibus libellos supplices recipiat, legat, & respondeat quod æquum, exemplo laudatorum principum.

Inprimis animaduertat, an, qui supplices libellos offerunt, à potentioribus aut in iudicijs opprimantur, quod si deprehendatur, quòd aut propter aduersariorum potentiam aduocatum, aut procuratorem nanscisci, aut propter inopiam ius suum persequi non queant, vt princeps dari iubeat, & expensis succurrat, vt Vlpianus respondit, an malicio sè calumnientur? deprehensi puniantur, iuxta Vatis oraculum: Accusantem in secreto proximum suum, hunc malè mulctato. Et Imperatores Honorius & Theodosius rescripserunt: Calumniantes ad pœnam deposcet similitudo supplicij. Pulchrum Traianus spectaculum exhibuit

L. Nequaquã ff. de off. proconf. l. illicitas. ff. de off. proconf.

Calumniantes ac temerè supplicãtes.

Psal. 101.

Plin, Paneg.

buit expellendis calumniatoribus, qui antè apud Domitianum optimum quenque deferebant. Et quemadmodum peccant actores, qui alios litibus temerè vexant, ita non rarò peccant rei peruicaces ac malæ fidei possessores, qui ipsos actores probationum difficultatibus ac sumptibus grauant, quos Iustinianus reprehendit. Nouell. Cōst. 18.

Alexander Macedo, cùm sederet iudex causis audiendis, alteram aurem occlusit, rogatus cur id faceret, Alteram, inquit, aurem integram reseruo parti aduersæ. Audiatur altera pars.

Cum autem controuersiarum dirimendarum cura sit vna è præcipuis gubernationis partibus, sedulò danda opera, vt his certa tempora designentur, & quibus controuersiæ componantur, & quæ per appellationem ad aulicam decisionem delata matura deliberatione definiantur, neq; partium causæ diutius suspendantur, vt inferius de iustitia exhibenda, deque iudicijs plenius dicetur. Cōtrouersiarū dirimendarū ratio.

Non oportet principem omnia reijcere in Consiliarios & ministros, quin ea quæ poterit, Cassitæ exemplo, ipse præstet: aut quia non omnia potest, dispiciat, vt omnia rectè exequantur, quibus commissa sunt. Consiliarij non omnes sunt Iosephi & Danieles. Propheta Naum: Dormitauerunt, inquit, pastores tui rex Assur, & fortes tui, ita vocans Consiliarios & proceres regni, è quibus pendet populi gubernatio, atque horum negligentiam notans, quòd plæriq; priuatis magis, & suis suorumque rebus consulentes pro sua libidine administrant, principū auctoritate abutentes. Nonnulli cauent ne princeps seria negotia cognoscat: Et quia libenter exonerantur publicis molestijs, malentes lusibus, venationibus, alijsque voluptatibus indulgere, grauissimarum rerum deliberationes Consiliarijs & ministris sæpe permittunt. Diocletianum ferunt iam priuatum dicere solitum de principum consiliarijs: Colligunt se quatuor aut quinque, atque vnum consilium ad fallendum principem capiunt: dicunt quæ ipsi probant, Imperator quòd domi clausus, vera non nouit: Cogitur hoc tantum scire, quod illi loquuntur, facit iudices quos non oportuit, amouet retinendos: Quid multa, bonus cautus Non omnia in Consiliarios reijciēda. Naum. 3.

Vopisc. in Aurelia. *venditur Imperator. Hæc Vespasiani verba ideò se historiæ inseruisse scribit Vopiscus, vt cognoscant principes, quàm oporteat esse circumspectos.*

Transactiões iniquæ. *In controuersijs dirimendis hoc quoque cauendum, ne transactiones fiant iniquæ: Sæpe enim Consiliarij propter concordiam sarciendam alteram partem iniquis conditionibus grauant, & calumnijs occasionem præbent, vt videlicet pars, quæ etiamsi sciat se malam causam fouere, tamen supplicando causam sæpe ad transactionem cum iniuria partis alterius traducit, & iniquum petendo sæpe obtinet, quod iure non debetur, calumniaque lucro cedit, proinde conueniret hos tanquam calumniantes, aut temerè litem intentantes expensis vexatæ partis mulctare.*

Ad hæc vbi deprehenderit princeps partem alteram potentia aduersarij prægrauatam, & patrocinio atque aduocatione destitui, vt d. L. nequaquam. §. vlt. *huic princeps aduocatum aut procuratorem det, expensisque si inops sit, adiuuet, vt paulò ante dictum iuxta Vlp. responsum. Breuiter det princeps operam, ne quis de iustitia exhibenda aut potentiorum oppressione iustè conqueri possit.*

Supplicium libellorũ & actorũ cura. *Curandum ne supplices libelli, vt plærunque fit, supprimantur, sed vt in deliberatione integrè recitentur, acta quoque & prouocationes, quæ fiunt ad principem legantur citra recitantium fraudem, fit enim plærunque, vt vel fauore vel odio peruertantur à recitantibus vt postulantibus responsa dentur maturè, neque remorentur præter iustam causam diutius, vt paulò ante de Traiano diximus. Adeunt statim, dimittuntur statim.*

Suffragatoribus non semper fides habenda, sed causæ cognoscendæ, Capitolin. in Mar. *exemplo Marci Imperatoris. Traianus prouincialium causas & postulata ipse cognoscere voluit. Alexander Mamææ optimus princeps dicere* Lamprid. in Alex. *solebat: qui multa surripuerit, pauca suffragatoribus dederit, saluus erit,* Suffragatores. ὁ πόλλα κλέψας ὀλίγα δὺς ἐκφεύξεται.

Fumiuendi. Idem Lamp. *Fumiuendi, qui aulicum aquam, vt vulgo dicitur, aspergunt postulantibus, considerandi atque seueriter coërcendi, imitatione eiusdem Impera-*

Imperatoris laudatissimi, qui Turinum quendam cõsuetum acceptis muneribus patrocinium supplicibus apud principem polliceri, cùm tamen nihil præstaret: tandem detectis imposturis, hoc est, fumis venditis, princeps ad stipitem alligatum iussit fumo excitato necari. Turinus.

Non temerè promittat princeps, neque statim annuat postulantibus: quin potius exquirat & personarum & rei petitæ conditiones. Semel autem promissis non patietur se à præstando vllo incommodo auocari, nisi res sit impia & prorsus iniqua: Non enim debent promissa esse vincula iniquitatis. Quandoquidem principi promissionis fides sic religiose præstanda, vt citius eius sermoni quàm aliorum iuramento aut sigillis credatur: quod Isocrates suum Nicoclem monuit, & Agesilai apophthegma celebratur. Oportet principes præstare quidquid vel capite annuerint, si modò iustum sit, si autem iniustum, non promissum sed dictum: Decet enim eos qui principes accedunt, non nisi iusta petere. Cicero dictorum pactorumque constantiam vocat Fidem. Regulus maluit ad crudelissima supplicia redire, quàm fidem datam fallere. Non temerè promittendum. Promissa prę standa. c. Inter cetera. 22. q. 4. Augustini. Vide cap. 17. lib. superioris. Plutarch. in Laconicis. Fides seruãda. Offic. 1.

Princeps non leuiter signet, neq; subscribat inconsideratè, sed prius diligenter subscribenda legat, & causam cognoscat. Historijs proditum est Imperatorem Arcadium in subscribendo faciliorem fuisse, quod cùm soror Placidia prudentior animaduertisset, literas scripsit nomine serui postulantis sororem coniugem: Imperator non lecta subscripsit: Inde soror expostulauit cum Imperatore, quòd cum seruo sororem elocari permiserit, & cùm ille negasset, conuictus est postulatorum subscriptione. Consideratior hac in re Carolus V. qui nunquam subscribebat, nisi re plenè cognita, neque patiebatur alium subscribere qui manum effingeret, propter exempli periculum. Non leuiter signandum aut subscribendum. Arcadius. Carolus V.

Honores, officia, præmia princeps per se ipsum præstet, pœnas & coerciones per alios, vt est in Hierone apud Xenophontem & Aristotelem. Polit. 5. 11.

Officia, præfecturas, & dignitates, non patiatur vendi, neque inutilibus propter suffragia corruptorum aulicorum concedi, vt inferius de cooperarijs explicatius dicetur. Officia non vendenda.

Vt in denegandis ijs quæ iniquè petuntur non decet principẽ δυσωπία

retrahi: ita nec in rectè factis offensa vel minis terreatur, fretus vocatione sua: nam sic ait Propheta, Iustus ab auditu mala non timebit, firmum cor eius confidens in Domino. Non decet ciuiles res nimia lenitas aut ignauus & parum virilis metus, sed firma sit frons, vt inquit Seneca: Fortis enim est, & constantis animi non turbari in rebus asperis, nec tumultuantem de gradu, vt dicitur, deijcere. Multo minus in rebus pijs & iustis metuere decet conspirationes aduersariorum. Iustus quasi leo confidens sic erit, inquit Salomon: Idque adumbrare videntur leones throno Salomonis adhibiti. Et succinit his Lyricus Poëta:

Psal. 112. — Fortitudo & constantia in principe. — Prouerb. 28. — 3. Reg. 10. — Horat. Car. lib. 3.

Iustum & tenacem propositi virum
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida, neque Auster
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus:
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Præcogitare futura. *Quin potius præsenti animo, & cogitatione præcipere futura, & aliquãdiu antè constituere quid accidere possit in vtranque partem, nec committere vt aliquando dicendum, Non putaram, vt Cicero sapienter monuit, quam vocem* Iphicrates. *Iphicrathes turpissimam esse dixit in Imperatore.*

Adolphi ducis Cliuensis apophthegma. *Ferunt Adolphum ducem Cliuensem atauum tuum paternum, dum vno die per feciales à septem principibus bellum indiceretur, nuncijs perhumaniter exceptis, atque honorificè dimissis nihilo consternatum dixisse: Optarem mutilo hoc meo cani Bullo, qui eum comitabatur, sic appellato, caudam restitutam, & alios insuper septem eius generis hostes bellum mihi indixisse. Adeò non trepidabat fortissimus heros ad hostium minas. Interim tamen hostes vana securitate non contempsit, verùm sic rebus suis bellico apparatu prospexit, vt animosè dicta gestorum magnitudine comprobaret, belloq; lacessentes omnes prælio superaret, quinque ex illis principibus captis, reliquis fugatis atque repressis.*

Curet princeps vt in ciuitatibus Consules, Scabini ac Decuriones eligantur

gantur ad delegata munera idonei, non factiosi & corrupti, sed vt tales sint quales in prætorijs & buleutorijs pingi solent, prudentes, Deum timentes, incorrupti, vt opificum collegia conseruentur, artes honestæ ac necessariæ foueantur.

Priuilegia ciuitatibus, municipijs atque ordinibus tàm Ecclesiasticis quàm nobilibus, atque plebi concessa inconcussa tueatur. Caueat ne temerè concedat cuius pòst pœnitere possit.

Pacis concordiæque tàm inter subditos quàm cum vicinis & externis conseruandæ ratio. Cap. IIII.

P*Acem princeps vndecunque & cum omnibus tueri studeat, etiam* Pacis conseruandæ ratio.
cum suo interdum detrimento: pace enim nihil vtilius, nihil dulcius, vti dissidijs & bello nihil tristius, nihil magis noxium. Quid enim iucundius, quàm licere quemque sub vite sua & ficu sua securum sedere? vt inquit Propheta. Extat Bacchilidis sententia, τίκτει δέ τε θνητοῖσιν εἰρήνη, καὶ Michæ. 4.
μελιγλώσσων ἀοιδᾶν ἄνθεα. *Et primum apud suos pacem & cõcordiam sarciat, stabiliatque firmissimè. Id autem efficiet, si subditorum animos deuinciat, si bonos & innoxios defendat, petulantes & flagitiosos coerceat, industrios prouehat, religionem puram & disciplinam honestam conseruet, leges inuiolatas tueatur & iudicia, neque sinat quenquam iniuria affici, iustitiam citra fraudem citraque personarum respectum administrari procuret: nam experimur plærunque, vt oppressi à potentioribus atque ob iustitiam denegatam solum vertant, eoque vel desperationis vel perfidiæ adigantur, vt incendijs atque gladio, ac denique plus quàm hostilia in propriam patriam moliri non vereantur. Priuilegia subditis conseruet, iustitiam tueatur, neminem opprimi patiatur.*

Breuiter, duo illa Platonis præcepta non negligat: vnũ, vt subditorum Cic. Offic. 1.
vtilitatem sic tueatur, vt quæcunq; agat ad eam referat, oblitus priuati cõmodi: alterum, vt totũ corpus nedũ partem Reip. tueatur: sic nobilitatem prouehat, vt interim ciuitates, Ecclesiastici & plebei nõ negligantur,

sic

sic ciuitatibus faueat & plebeis, vt stemmatis honestisque familijs fouendis non desit: proceres hortetur adiuuetque, vt liberos ad Reipub. vtilitatem instituendos curent, qui segetem præbituri sint cooperariorum in Repub. piè administranda. Nisi ad hunc modum domestica procuret, frustra cum exteris & vicinis concordiam & pacem sarciet, aut alios bello domare tentabit. Senaherib potentissimus monarcha, dum neglecta domestica pace Israëlitas expugnaret, simul & foris conatus eius irriti facti, & domum properans ad intestina dissidiorum incendia restinguenda à suis ipsius liberis trucidatur.

Senaherib.

Pacis constitutiões Vuormaciæ, anno 1521.

Constitutiones Imperiales de pace conseruanda Friderici, Henrici, ac Maximiliani Impp. accuratè tueatur princeps, coërceatque seueriter omnes cuiuscunque ordinis, status aut conditionis fuerint, qui pacem violare, bello aliquem lacessere, qui vi ac non potius iudicio ius suum iniuriamúe persequi, aut inuadere, populari, deprædari, spoliaréue aliquẽ per se vel per alium ausi fuerint: aut domum, arcem, oppidum, pagum, villam expugnare, dolo malo violenter occupare, incendijs aut alio modò damnum dare: aut denique hisce pacis violatoribus ope, consilio adesse compertus fuerit, banno Imperiali ac proscriptione mulctandus: Et qui eius criminis reus declaratus, eius corpus & facultates publicè à quibuslibet inuadere & occupare liceat.

Pace autem domestica, & inter suos constituta firmataque, etiam cum vicinis & externis, cum quibus controuersiæ incidere possunt, amicitiæ pacisque conditiones sanciendæ, ne vsquam detur belli & dissidiorum occasio: Videmus enim eas Respub. diuturniores, quæ pacis sunt studiosæ, quæque eam modis omnibus tueri, atque etiam si aliter fieri non possit, cum suo incommodo redimere, & quiduis tolerare potius malint quàm armis certare. Et quia inter vicinos, propinquos atque affines, ob priuata commoda sæpe controuersiæ ortæ, belli, hostilitatisque occasionem præbent, hæ maturè submouendæ, ante quàm incrudescant simultates, exemplo Abrahami, qui etsi promissionem habebat terræ sanctæ, tamen propter pacem & concordiam inter posteros suos sanciendam maluit concedere de suo iure, dicens ad Loth: Ne sit contentio inter te & me, inter pastores tuos ac meos,

Pax cũ propinquis.

Abrahami.

Genes.13.

ac meos, quia viri fratres sumus nos: nunquid non vniuersa terra coram te est? separa te à me. si tu ieris ad sinistram, dextram tenebo, si tu ad dextram ieris, ego ad sinistram vadam. Et leuatis oculis Loth, elegit planiciem quæ est ad Iordanem.

Ad hunc modum cum propinquis pacis conditiones & confœderationes, quæ ad publicum vel subditorum concordiam atque vtilitatem pertinent, diligenter sarciendæ confouendæque. Submouendæ controuersiæ limitum ac finium regundorum, repressaliorum, commerciorum, pascendi pecoris, aquæ ducendæ, venationum, conuentionum & similium, quæ plerunque dissidiorum occasionem præbere solent. Hìc si fortè delinquatur ab altera parte aut vno capite incommodi aliquid incidat vnius aut alterius subditi negligentia delictoúe non protinus huc inclinandum, quasi vniuersa conuentionum capita rescissa, atque à concordia recedendum. Quin danda magis opera, vt quod neglectum aut admissum, quàm minimo incommodo sarciatur: Neque ob leue incommodum mox ad arma conclamandum, quin vtrobique alteris aliquid condonandum, immò ad quæuis conniuendum, & quiduis tolerandum potius quàm sancitam pacem dissoluere. Demosthenes etsi Philippi factum, quòd cum Atheniensibus pace inita intra Pylas progressus Phocenses contra pacis conditiones popularetur, non probaret, tamen suasit pacem pactam cum Philippo non rescindendam: siquidem ex re Atheniensium fuisse pacem prius nunquam factam quàm semel sancitam abolere, præsertim Philippo iam Atticæ inuadendæ occasionem nacto: docens interim quàm multa Athenienses pacis & tranquillitatis conseruandæ gratia concesserint.

Quiduis tolerandum potius quàm pacem dissoluere.

Demosthenes in oratione περὶ εἰρήνης.

Nulla pax constare potest si suum quisque dolorem pergit vlcisci, Ethnicorum & Iudæorum est vltio, Christiani iniuria lacessiti non possunt vindictam. Hodie ob venationis inutile ius, vel ob leuem priuatam iniuriam dictumúe imprudentius, fatui protinus pacis conditiones & fœdera rupta vociferantur: cùm sanum & sapientem magistratum priuatam iniuriam patienter ferre potius quàm Reip. incommodum accersere conueniat. Adde humanæ quoque naturæ & legibus congruentius eum qui in magistratus personam vel contra pacta publicæ concordiæ admiserit,

 miserit,

miserit, coërceri, vel delinquentē partem, quæ à pactorum religione discesserit ad officium reuocare quàm pacis vincula dissoluere.

Conuentiones. L. 3. ff. de pa. *Stabilitur pax sæpè certis conuentionibus: Conuentiones, inquit Vlpianus: aut ex publica causa fiunt, aut ex priuata: publica est quæ fit per pacem, quoties belli duces inter se quædam paciscuntur.*

Fœdera. Vicinorum ratio. *Fœdera cum vicinis confouenda, publica plerunque suadet commoditas: Nam cùm vicinorum commercio carere non poterimus, qui vt offensi plurimùm incommodare, ita vicißim prodesse poterunt amicitia mutuisque officijs deuincti, neque abs re ab Hesiodo dictum* πῆμα κακὸς γείτων, *& prouerbiali dicto vulgò iactatum, vicinum bonum potiorem cognato procul dißito. Græci, quia Franci illis formidabiles, dicere solebant:*

Φράγκον φίλον ἔχε, γείτονα μὴ ἔχε.

Francum amicum habendum, vicinum non habendum.

Fœdera quæ Christianis permissa. Gen. 14. 21. 26. Abrahami & Patriarcharum fœdera. 2. Reg. 5. *Non sunt Christianis magistratibus illicita fœdera, si aliundè non accedat vitium, & modò non sic in fœderibus fiduciam constituamus, vt Dei præcepta negligamus: nam & sancti Patriarchæ fœderibus vsi, Abraham fœdus iniјt cum Ascal & Aner, item cum Abimelech in controuersia puteorum, nimirum vt subditorū rixæ submouerentur, Isaac cum eodem fœdus restaurauit, Dauid cum Hiram rege Tyriorum fœdus iniјt, quod Deo non displicuisse Templi ædificatio contestabatur, ad quam Hiram contulit.* Fœderum vtilitas. *Romanorum potentiam fœderibus cum vicinis initis plurimum creuisse, Cicero pro Cornelio Balbo copiosè differit. Sed quid opus exemplis, cùm nec publica pax populorum, nec commercia citra fœderum vincula consistant.*

Fœderū violatorum vindicta. Rom. 1. Sedechias. Hier. 27. 52. *Constat Deum violatores fœderum grauiter puniuisse, neq; vnquam relictos inultos, qui fœderum religionem violarunt Dei nomine abutentes. Paulus fœdifragos &* ἀσπόνδους *inter extremorum temporum flagitia commemorat ad Romanos scribens. Sedechias quòd fidei datæ immemor cum Aegyptiorum, Ammonitarum, Moabitarum, Idumæorum regibus coniurauerit aduersus regem Nabuchodonosorem, seipsum & regnum vnà cum vrbe atque templo perdidit.*

Sæpe ex fraudulenta interpretatione verborum ac capitum fœderi-

bus

bus comprehensorum violantur fœdera. Cleomenes Anaxandridæ filius cum Argiuis septem dierum pactus inducias, vbi obseruando deprehendisset illos tertia nocte somno indulgere, fiducia videlicet induciarum inopinatos adoriens alios interfecit, alios abduxit captiuos: Et cùm illi probro daretur violatum iusiurandum, diebus, inquit, pactus sum, noctes non sunt additæ: Verùm vltionem diuinam non effugit, nam & vrbe, cuius gratia fœdus violarat, frustratus, eò quod mulieres detractis è templis deorum armis illum vltæ sunt, perinde quasi dijs ipsis, quos contempserat, pœnas de ipso sumentibus, tandemque in dementiam versus ipse sibi corpus incîdens mortem ridens oreque diducto sibi consciuit. Tysaphernes Persarum dux, cùm fœdus cum Agesilao non ex animo percussum violasset: Agesilaus, gratiam, inquit, habeo Tysapherni, quòd periurio deos sibi & homines infensos redderet: & fœdifragum arte eludens & ciuitatis & pecuniæ magnam vim hosti eripuit, ac subdidit: Amicis quidem fœdera præter causam non violanda, cæterum hostibus fœdifragis imponere non modò iustum, sed etiam iucundum est & lucrosum.

Cleomenes. Plutarch. in Laconicis. Cic. Offic. 1.

Tysaphernes. Xenoph. in Agesilao. Plutarch. in Laconicis.

Reipsa comperimus violatorum fœderum occasione maxima quæque bella orta. Punicũ bellum secundum, quod inter acerrima humani generis bella numerari potest, fœderum ruptorum prætextu motum: Nam cùm in fœdere Romanorũ & Carthaginiensium hoc esset caput, ne vtrorumque socij læderentur, Hannibal cùm Saguntum crudeliter excidisset, Romanorum, vt ipsi asserebant, socios, atque ideo fœdus violasse contenderetur à Romanis, Carthaginenses negarunt Saguntinos tempore suscepti belli fuisse socios: Romani contra pactionibus fœderis tàm præsentes quàm futuros comprehensos excipientes, atque ideo aduersus fœdus actum, è qua fœderis interpretatione bellum hoc grauissimum ortum. Idem ferè accidit in fœdere societatis Atheniensium cum Lacedæmonijs: Nam socij erant Lacedæmonij Atheniensium, hostes vtrorumque hostes: at Lacedæmonij, quia Atheniensibus in suspicionem venerant quasi à verbis pacti fœderis recessissent, in apertum venerunt bellum.

Punicum bellum secundum.

Liuius lib. 1. dec. 3.

Thucyd. lib. 5.

Porrò Romani, ne temerè fœdera inirent, constituerunt, ne citra Se-

Plutarch. in Camillo. Alex Neap. 5. cap. 3.

natus populique consensum fœdera pangerentur: & consulebatur collegium fœcialium, cui collegio proprium fuit tam de bellis indicendis rebusque repetendis & iniurijs, quàm de conuentionibus principum ac populorum, deque fœderibus cognoscere.

Simplices veterum contractus.

Simplices erant olim fœderum contractus, sed firmi: Nunc quantumuis multa sigillis conuentiones & fœdera muniantur, fucatis tamen interpretationibus & sophismatum præstigijs eluduntur.

Ritus fœderum sanciendorum. Genes. 21. Tacit. lib. 12.

Ac verò quia res religiosa est fœderum sanctio, pro varietate gentium varijs ceremonijs pangebantur, Abraham cum Abimelech septem agnas statuit in testimonium, quòd is numerus absolutus & iuramenti instar esset: Ethnici alij porca cæsa, alij ariete atque boue immolatis: alij pollices inuicẽ connexos incidebant, sanguinemq; manantem lambebant, quasi mutuo cruore sacrato vinculo.

Liuius lib. 4. dec. 4. Fœderum genera.

Liuius in descriptione legatorum cum Quinctio, Tria, inquit, sunt fœderum genera, quibus integrè paciscerentur amicitias ciuitates & principes: Vnum quidem inter eos qui nunquam hostes fuêre, sed qui ad amicitiam sociali fœdere iungendam coeunt: alterum cùm belli pares hostes æquo fœdere in pacem & amicitiam veniunt. Tunc enim reddi repetique per conuentionem res, etsi quarum turbata possessio sit, eas ex formula iuris antiqui, aut è partis vtriusque commodi componi. Tertium cùm bello victis leges dicuntur. Vbi enim omnia ei qui armis plus posset debita essent quæ ex eis habere victos, quib. mulctari velit, ipsius ius & arbitrium

Xenoph. ped. lib. 3. & 7.

esse: Vnde Cyrus Xenophonticus ad Armenium, δηλονότι ᾧ ὁ θεὸς ἔδοκε καὶ αἰ δὲ δίκης σοι χρήσασθαι ὅτι καὶ βούλοιτο. *Adde fœdera quædam hæreditaria & æterna, quibus etiam hæredes astringuntur: Alia temporaria, & tempore definito. elapso non videtur facta renouata confœderatio aut induciarum stipulatio, quia plerunque scripto comprehenduntur pro solennibus stipulationibus, vt Friderici Imperatoris constitutio testatur de pace Constantini, §. in causis appellationum: Societatem, inquiens, quam nunc habent tenere, & quoties voluerint renouare eis liceat.*

At in fœderib. quæ Deo placent hæc cautio adhibenda, primùm, ne cum impijs

impijs, & à religione nostra alienis fœdera ineamus, néue per Deos eorum iuremus, vt Deus Mosi & Iosue præcepit. Attamen inita pacta & fœdera cum impijs, rata habenda, & promissa seruanda, modò præceptis & verbo Dei non repugnent, vt in fœdere cum Amarathe mox quoq; dicetur. Gabaonitæ calliditate Israëlitas in fœderis vinculum astrinxerunt, fingentes se è longinquo venire, cupereq; pacem cum populo Dei facere: Israëlitæ ignorantes è vicinis & hostilibus gentibus esse, quos Deus iussit deleri, in societatem eos receperunt: post autem cùm Iosue fraudem rescisset, propter iuramenti religionem illis pepercit. Cæterùm quia fraudulenter egerunt, coacti sunt Israëlitis seruire, ligna & aquam comportando, eoq; seruitio tota posteritas multata. Iosaphat à Propheta Iehu obiurgatus, quòd cum impio rege Achab inierat amicitiæ fœdus, eumque contra Syriæ regem adiuuerit: non enim vult Deus nos cum impijs habere commercium. Deinde in fœderibus cauendum, ne quid aduersus orthodoxam fidem, aut syncerum cultum Dei, paciscatur: Vnde maiores nostri semper in fœderibus Ecclesiam exemerunt. Tertiò, ne aduersus publicam vtilitatem, aut ad priuatum commodum, & ad tyrannidem stabiliendam contrahantur fœdera: Nam quæ calliditate panguntur, non sunt fœdera, sed imposturæ, & in his nomen Dei ludibrio habetur, quod Deus non sinit inultum, vt in superioribus exemplis declaratum. Sunt quædam gentes natura tàm fallaces & fœdifragæ, vt nulla iurisiurandi religione priuati commodi causa teneantur: quales Pœni notantur à Liuio, & Cosroës apud Procopium simulandi dissimulandiq́ue calliditate sic instructus, vt priuati commodi causa nihil non polliceri, & iureiurando confirmare dubitarit. Talis Tisaphernes à Xenophonte describitur. Cum his fœdera non sunt ineunda. Vitandæ quoque dissimilium in primis potentiorum confœderationes, has enim plærunque infeliciter cedere, vt Thucydides tradit de Atheniensibus & Corcyræis, quorum fœdus vtrisq; exitiale fuit, quòd Macedonem attraxerint. Postremò, omnibus legitimè ac religiosè sancitis cauendum, ne in confœderationib. sic fiducia constituatur, vt opem Dei & fœdus cum Deo initum repudiemus: Maledictus enim qui confidit in homine. Prophetæ passim notant Israëlitas,

Quæ in fœderibus requirantur & vitanda.
1.
Deuter. 7.
Iosue 23.
Etiã impijs fides seruanda.
Gabaonitarum fœdus.
Iosue 9.
Iosaphat.
2. Paralip. 19.
2.
3.
Fallaces vitandi.
Pœni.
Cosroes Persarum rex.
Procop. de bell. Pers. lib. 3.
Xen. anabas. lib. 2.
Potentiorũ fœdera vitanda.
Thucydid. lib. 7.
Hierem. 12.

quòd externis gentium præsidijs accitis Deum neglexerint, vnde ex quibus illi auxilium expectabant, eos dispersionis & excidij causam fore denunciabant: Alieni comedũt robur eius, & ipse non intelligit, inquit Osee:

Osee 7. & 8. *Et iterum: Ephraim conduxit amatores.*

Asa. 2. Paralip. 16. *Asa rex Iuda alioqui pius princeps, sed quòd non contentus Domini auxilio cum rege Syriæ fœdus inijsset, in eius præsidio fiduciam constituens, grauiter à Domino mulctatus.*

Macchabæi. Macc. 8. & 12. *Iudas Macchabæus quamdiu Domini auxilio contentus, eius fiducia fretus, in paruulo auxilio, iuxta Danielis vaticinium iuuaretur, præclaris victorijs potitus: Vbi autem aliena præsidia & Romanas confœderationes captare cœpit, mox concidit. Ionathas quoque amicitia regis Syriæ falsus occiditur.*

Fœdus arctissimum inter omnes Christianos. *Verùm enimuero inter Christianos omnes tàm principes quàm ciues arctissimum fœdus sancitum hoc ipso, quòd vni Christo nomen dederint: Id quod σύναξις & sacratissima communionis tessera demonstrat, Apud quos huius religiosissimi fœderis caput & summus Imperator fidem non impetrat, hic certè nullæ confœderationes aut pacificationes quantumuis speciosæ proficient. Atque inter hos etiamsi nullum intercedat fœdus, tamen pax & concordia facilè retineri debent. Proinde qui Christiani Principes ac Magistratus esse velint, hi meminisse debent memorabilis illius Christiani & aurei præcepti:* QVOD TIBI NON VIS FIERI, ALTERI NE FECERIS. *Et ne Dei nomen ad fallendum alios vsurpent, promissa fideliter præstent. Atqui apud impios, & apud quos reuerentia numinis diuini promissionum fidem non impetrat, hic nec pactiones nec fœdera quantumuis arctis vniculis cautionum stringantur, firmitudinem retinent. Vidimus aliquando potentissimos Christiani nominis reges partito sacræ communionis pane sanctissimo Christianæ vnionis & charitatis Symbolo fœdus pangere, atque eosdem mox intra paucos dies leuissimo prætextu à fœdere ad cruentissimum bellum discedere. Hi sunt principum non dico Ethnicorum sed Christianorum in re tàm sancta lusus, hæc iurisiurandi & Sacramentorum reuerentia. Interim Deus vindicem habet oculum, nec sinit diuini sui nominis prophanationem impunitam.*

Amurates

Amurates Turcarum rex cùm Carmanico bello distineretur, veritus ne vtrique & Asiatico, & Vngarico in Europa bello par esse posset, cum rege Vngarorum Ladislao decennem sanciuit pacem, vtrinque captiuis & possessionibus redditis, pax iureiurando nostris in Euangelio, illis in Alcorano firmatur, scripta eodem argumento, lingua duplici pacis conditionibus, easque sanctissimo iuramento confirmabant. Sancita pace, cùm Turca in Carmaniam mouet, Franciscus Cardinalis Florentinus ad Hellespontum Latinæ classis præfectus Ladislaum literis solicitat, maximam iam recuperandæ Europæ occasionem ostentari, fœdæ genti non esse fidem habendam. Idem Constantinopolitanus vrget: ac tandem vehementissima Iuliani legati Pontificij oratione ad fœdus rescindendum classicum canente, Rex & Senatus permouentur, fœderisque rescissi decretum ad Cardinalem Franciscum mittendum: Rex expeditionem in Thraciam mouet. Amurathes re intellecta, elusis astu & largitione ad Hellespontum speculatoribus subitò Adrianopolim redit, Christianis ad Varnam confidentibus. Cumque iam exercitus vtrinque instructus infestis armis concurreret, & vtrique suos hortarentur: Amurathes depromptis è sinu initi fœderis tabellis, intentis in cœlum oculis: Hæc sunt, inquit, IESV CHRISTE *fœdera, quæ Christiani per nomen tuum sanctè iurarunt, datamque sub tuo nomine fidem perfidè violarunt. Nunc* CHRISTE *si tu es Deus, tuas measque iniurias vlciscere. Vix his dictis, pugna quæ primùm anceps inclinare cœpit, ac primùm proceres Episcopi Varadiensis & Agriensis, mox Iulianus legatus fœderis violati suasor & daduchus cadunt: Postremò Rex ipse Ladislaus telorum Turcicorum sylua inter confertissimos hostes prostratus, caput iussu Amurathæ abscissum, atque hastæ fixum pro vallo statuitur, his vocibus concitatis:* TALES IVSTVS DEVS POENAS EXAVDITIS TVRCARVM IMPRECATIONIBVS A PERFIDIS CHRISTIANIS EXIGIT. *Eiusmodi exemplo meritò principes, & quotquot fœdera & conuentiones ineunt, commoueri debent, vt diuinæ vindictæ memores* NOMINE

Amurates. Ladislai fœdus cum Turca. Bonfinius dec.3.lib.6.

DEI OMNIPOTENTIS *fraudulenter aut compendio quæsito non abutantur: qui, vt dixi, non sinit sui nominis abusum inultum. Neq; hic prætextus impiæ gentis excusationem præbet, cum Deus nominis sui vsum, etiam apud ethnicos, & à vero Deo alienos inuiolatum esse velit, vt superius de Gabaonitis ostendimus. Quinetiam hostibus fidem seruandam, & sacræ & prophanæ literæ testantur.*

De bello omnibus modis vitando, Caput v.

Bellum modis omnibus vitandum.

BElla tanquam scopulos scylla & charybdi periculosiores vitet princeps: Omnia prius tentanda, quàm armis decertandum docet Terentius Eunuchus. Semper præstat aliquid de suo concedere, quàm hanc exitialem beluam admittere, quæ non aliter omnia quàm tempestas & vorago insatiabilis consumat, & facultatum omnium & subditorum πανωλεθρίαν secum trahens. Beati mites, quoniam ipsorum est regnum cælorum: Non igitur belligerandum, neq; bellis imperia, sed à Deo conceduntur, quinetiam iusta bella misera esse sancti cordatiq; viri testantur, & procliue quidem bellum exuscitari, difficulter & nunquam sine detrimento deponi.

Vide August. de ciuit. Dei lib. 2. cap. 25. & lib. 3. cap. 10.

Pernicies Reipub. mouere bella non necessaria. Rationibus aliquando magna incommoda vitantur: quare hic maximè conuenit meminisse τοῦ ἀνέχου καὶ ἀπέχου: interdum etiam redimenda pax.

Belli genera. Cic. offic. 1.

Cicero duo tradit decertandi genera: alterum quod per disceptationem, alterum per vim, si priore non licet, ad posterius venitur. Hoc beluarum, inquit, illud hominum. Confugiendum ad posterius, si vti non licet superiore. Suscipienda autem non in alio animo, quàm vt sine iniuria in pace viuatur. Belli plærunque auctor superbia & ambitio, vel cupiditas latè dominandi, à quibus vitijs decet principem Christianum cum primis esse alienum.

Proponat exempla modestiæ, Dauidis, Asæ, & aliorum piorum principum, cogitetque iniuriam priuatam Christiano condonandam, nō vindicandam

dicandam cum tanto populi & sui dispendio: Quin potius suam Spartam ornare, quàm alienis per ambitionem & auaritiam, contra Domini præceptum, à quo omnium Imperiorum ius pendet, inhiare.

Bellum quibus casib. suscipiatur.

Causæ nullæ propemodum aliæ, quàm vel iustitiæ tuendæ, vel nominis Dei iniuriæ propulsandæ, vel deniq; subditorum defendendorum gratia susceptum, in hoc enim gladium gestat magistratus. Macchabæus bellum maluit suscipere, quàm diuinam legem aboleri. Constantinus quoque grauissimum bellum contra Licinium pro Christiana religione defendenda suscepit. Idem de Gotthofrido Bullonio constat. Maximianus Episcopus Vagiensis auxilium petijt ab Imperatore Christiano aduersus hostes Ecclesiæ. Augustinus scribit, Ciceronem in lib. de Republica colligere disputando, quòd iustum sit bellum, asserens bellum nullum ab optima Republica suscipi, nisi aut pro fide aut subditorum salute. Fortitudo quæ bello tuetur à barbaris patriam, vel domi tuetur iustitiam, vel à latronibus socios, plena iustitia est, inquit Ambrosius. Historiæ testantur plurimos principes pro suis subditis defendendis vitam impendisse, vt de Codro, Bruto, Regulo, & alijs plerisque memoriæ proditum.

Rom. 13. 1. Macchab. 2. Euseb. hist. Eccl. 9. Aug. ad Bonifa. 23. q. 3. Maximianus. August. de ciuit. Dei. lib. 22. cap. 6. Ambros. offi. 1. cap. 36. 23. q. 3. fortitudo.

Bellum temerè suscipitur

Iam quibuslibet de causis principes præsertim iuuenili feruore elati, statim vt ad gubernationem perueniunt, à bellis ordiuntur, idque de futili causa, de leui aliquo scommate totum imperium & omnium fortunas in belli aleam conijciunt, idque, vt dixi, de tam leuibus causis, vt si pueri in scholis tale quippiam designarent, virgis cæderentur. Certissimum firmissimumque præsidium imperiorum verbum Dei, habere spem non tam in armis quàm in Deo, & seruare verum cultum.

Psal. 44. & 61.

Bellum nō nisi oraculis consultis suscipiebatur olim.

Vt olim non nisi consultis oraculis bellum suscipiebatur, vt testantur Moysis, Iosue, Gedeonis, Dauidis, Iosaphat, Ezechiæ bella: ita principem Christianum conueniret bellum non suscipere, nisi consultis prius sacræ scripturæ oraculis, è quibus Deus voluntatem suam declarauit: Consulendi viri pij, & politici in consilium vocandi, ne iniustum bellum & non necessarium suscipiatur: Iniustis enim Deus resistit. Iosias etsi pius alioqui princeps, verùm quia temerè bellum non necessarium su-

Iosias. 2. Paralip. 35.

scepit, à Deo mulctatus. Iustis autem & iam dictis caussis compellentibus, principes quibus Dominus gladium tradidit & mandatum dedit, vt eum in latrones, grassatores ac facinorosos stringant, subditos & iustitiam tueantur. Quoties necessitas postulat, animum non despondeant, sed Dei auxilio inuocato vocationi seruiant, memores: Non frustra se gladium gestare. Gladij autem potestas intelligitur ius animaduertendi in facinorosos homines: Et huc pertinent arma, bombardæ, bellicus apparatus, munitiones, quibus tanquam medijs & instrumentis petulantes coërcentur, & innoxij defenduntur: His etiam sancti Moyses, Iosue, Dauid, & cæteri pij principes, ad suorum defensionem vsi. Ezechias cùm vidisset totum impetum regis Assyriorum in se conuerti, inito cum proceribus suis virisq́; fortissimis consilio, fontes riuosque obturauit, quo hostibus non suppeteret aqua, ædificauit quoque murum, qui fuit dissipatus, & extruxit arces, muniuit Millo, fecitq́; gladios & clypeos in magna copia: primum constituens principes bellicosos super populum, media reprimendorum hostium non negligens: Belli autem gerendi administratores tales adhibendi, qui scientia rei militaris, virtute, authoritate ac felicitate præditi sint, quæ Cicero in Imperatore requirit. Deinde diuino auxilio fretus, congregatisque suis: Sitis, inquit, viri fortes, non timeatis, neque frangamini animo, quod cum rege Assyriorum sit ingens multitudo, cum illo est brachium carnis, nobiscum Dominus Deus noster, pugnatque pro nobis. Confortatus populus Ezechiæ verbis, Deo auxiliante victoria potitus est. Tantum abest, vt in externis præsidijs, quæ sæpe exitiosa existunt, fiducia constituenda sit, sed in solo Deo, qui solus est largitor victoriæ. Non in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit: Quoniam fuisti spes mihi, turris fortitudinis à facie inimici. Qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Non igitur in armis & munimentorum præsidijs, sed in firma inuocatione & fiducia Dei victoria expectanda. Certum est enim iuuari magistratus à Deo inuocantes ipsum. Siquidem à Deo sunt ordinati, & Imperiorum successus, consilia felicia, salutaresq́; gubernationes & victoriæ, à Deo solo proficiscuntur, eaque omnia esse opera Dei, inquit Psaltes. Asa rex

L. 3. ff. de iurisd.

Iusto bello licet armis & munitionibus vti.

Munitionũ ratio.

Ezechiæ stratagema.

2. Paralip. 32.

Pro lege Manilia.

In solo Deo fiducia victoriæ.

Psal. 44.

Psal. 61.

Psal. 144.

Asa rex.

2. Paral. 14.

rex Iuda cùm decies centenis millibus militum exercitu ab Aethiopum rege impeteretur inuocato Domino, Domine, inquit, non est apud te vlla difficultas, vtrum in paucis auxilieris an in pluribus. Adiuua nos Domine Deus noster. Exterruit itaq; Dominus Aethiopes & fugerunt. In Samariæ liberatione eiusdem rei exemplum extat. 3. Reg. 20. 4. Reg. 6.

Parta victoria, eam non nostris armis viribusq; ac munitionibus, sed diuino auxilio acceptam referendam, exemplo Constantini, qui aulicos & milites voluit solennibus precibus Deo pro victoria gratias agere, vt Eusebius testatur in Constantini vita libro δ. σὲ μόνον οἴδαμεν θεόν, σὲ βοηθὸν ἀνακαλούμεθα, παρά σου τὰς νίκας ἠράμεθα, διὰ σοῦ κρείττους τῶν ἐχθρῶν κατέστημεν, &c.

Porrò nostri temporis principes vesana quadam æmulatione atq; ambitione arces, & prodigiosa munitionum miracula, in terrorem hominum atq; Deorũ extruunt, quæ etiã in pace accuratiore quàm Danaë custodia immensis sumptibus seruare oportet, idque ferè cum magnis subditorum sudoribus & operarum præstationibus: non aliter quàm olim Nimroth & posteritas Cham Babylonicam turrim erigere conata, quasi his præsidijs vindictam irati Dei euitaturi. At Dominus per Prophetam, Væ, inquit, qui quærit opes malas domui suæ, vt ponat in excelso nidum suum. Et mox iterum: Væ qui ædificant vrbem per sanguinem, vt vel subditos tyrannide premant, vel vicinos lacessant: His sic dicit Dominus: Si extuleris sicut aquila nidum tuum inter sydera, illinc te detraham. Item: Munitiones tuæ erunt similes ficulneis, vt Naum concionatur Nineuitis. Christus Hierosolymorum munitissimæ ornatissimæque vrbis exemplo concionatur toti orbi quàm non sit fidendum munitionibus, præsertim si fundamentum non sit solidum. Est autem fundamentum non lapides magna mole in imo collocati, sed pietas & timor Dei: tum quidem vtiles munitiones, quoties ijs vtuntur ex fiducia in DEVM, & ad conseruandam publicam tranquillitatem & defendendos subditos. Malum autem fundamentum, si munitionibus abutantur ad exercendam tyrannidem & impietatem constituendam: Eiusmodi fundamento Hierosolymitanæ munitiones nitebantur Christi

Munitionũ ratio.

Abacuc 2.

Obadiæ 1.

Naum 3. Matth 24.

Fundamentum verum munitionũ.

tempore, nempè impietatis propugnatione, & ideo frustra & inutiles, cùm tempore Dauidis, Iosiæ, veræ vtilesque essent munitiones, nempè propugnacula veræ religionis atque honestæ disciplinæ aduersus impios & petulantes grassatores. Certè munitiones nullæ proderunt, nisi ex voluntate Dei & fiducia in eum collocata principes Rempub. gubernent: fitq́, sæpe vt in suam ipsorum perniciem extruantur munitiones, vel quia parum fideliter custodiuntur, vel quòd per proditiones occupentur.

Philippi Macedonis apophthegma.

Nulla enim arx tam munita, in quam si asinus onustus auro queat ascendere, quæ occupari ab hostibus non possit. Adde quàm magnis impensis extruantur, quamq́ue magnis præsidijs & commeatu instruendæ tuendæque munitiones. Quòd si nusquam munitiones hostis reperiat, hærere diu non potest, & expellitur expeditius: Sin autem reperiat munitas arces aut vrbes, easque occupauerit, iam in visceribus ditionis sedem habet, difficiliusque expellitur, & princeps suos ipsius subditos oppugnare cogitur.

Vuilhelmus dux Iuliacensis.

Vuilhelmus dux Iuliacensis, omnibus heroicis virtutibus inclytus princeps, auus tuus maternus, cùm fortè interrogaretur in familiari colloquio ab Imperatore Maximiliano, cur munitiones nullas in ditionibus suis extrueret: Ego, inquit, fretus primùm pace & amicitia vicinorum, imprimis Cæsareæ Maiestatis, neminemq́ue lacesso: deinde fide & virtute meorum subditorum & vulgaribus munitionibus. Interim si qui petulanter in meam ditionem ab vna parte irruperint, per aliam partem equitatu & subditorum viribus expellam.

Agesilaus. Plutarch. in Laconicis apophth.

Agesilaus ille Lacedæmoniorum celebris rex respondit olim percontanti, quare Sparta non cingeretur mœnibus? ostendens ciues armatos. Hi, inquiens, sunt Spartanæ ciuitatis mœnia: & ciuitatem non saxis lignisúe, sed pro vallis ac mœnibus incolentium virtute muniri oportere.

Platonis dictum. Plat. de leg. 6.

Huc pertinet quod Plato ait: Mœnia non ferrea sed terrea esse oportere. Interim tamen rationi superius commemoratæ si accedant munitiones ad arcendum hostium incursus, non improbatur solùm, sed etiam vtile existimatur, præsertim paucæ, eæque in finibus magis quàm in media ditione, vt si qua externa vis hostium irrumpat, non intra ditionem, sed ex aliorum agris eas oppugnare hostes cogantur.

At

At verò in huiusmodi bello quod dictis rationibus suscipitur, cuius supra meminimus, militare etiam Christianis licet, iuxta præscriptam à Baptista regulam, vt contenti stipendijs neminem concutiant, neque calumnientur. Ad quam regulam olim Christianos quoque militasse proditum, & Tertullianus atque Eusebius de legione fulminea sub Imperatore Antonino militante testantur, quæ precibus suis à Deo in maxima exercitus siti pluuiam impetrauit. Tales milites Constantini memorantur, qui Labarum Iouis imagine signatum adorare recusabant: & hodie Rhodienses, Melitenses, Theutonici, Hispanique milites, etsi corrupta disciplina, quædam vestigia veteris Christianæ militiæ præbent.

Militũ Christianorum regula.
Luc.3.
Legio fulminea.
Euseb. hist. Eccles. lib. 5. cap.5.
Milites Teutonici.

Olim etiam ethnicis disciplina militaris seuerissimè exercebatur, & priuilegia illis maxima tam ab ethnicis quàm Christianis principibus concessa.

Disciplina militaris.

Alexander Seuerus militarem disciplinam adeò grauiter rexit, vt semel integram legionem exauctoraret. A signis abesse neminem patiebatur. Si quis de via in alicuius agrum deflexisset, pro qualitate loci aut fustibus subijciebatur aut virgis, aut si dignitas hominis exigeret grauissimis contumelijs incessens: visne, inquit, hoc in agro tuo fieri quod alteri facis? per præconem edici iubens: QVOD TIBI NON VIS FIERI, *alteri ne feceris. Hæc mandata Tribunis militum dedit: Si vis tribunus esse, immò si viuere vis, manus militum contine, nemo segetes atterat, nemo salem, oleum, ligna auferat, nemo auem alterius rapiat: Annona sua contentus sit miles:* E PRAEDA HOSTIVM, NON E *lachrymis prouincialium habeat.*

Alexandri Imp. in militia disciplina.
Lamprid.in Alexand.
Quod tibi non vis fieri &c.
Matth.7.
E præda hostium viuendum militi.

De maioribus nostris Chaucis scribit Tacitus: Qui magnitudinem iustitia tueri sine cupiditate maluerunt, nulla prouocantes bella, nullis rapinis aut latrocinijs populantes. Id præcipuum virtutis ac virium argumentum est, quod vt superiores agant non per iniurias assequuntur. Prompta tamen omnibus arma, & si res poscat exercitus, plurimum virorum equorumq; & quiescentibus eadem fama.

Chaucorum German. militaris iusticia.
Tacit. de moribus Germanorum.

Quantum Deus bone nostri Cares ab hac disciplina recesserunt, ad quiduis quantumuis impium venales, qui citra vllam disciplinam & vin

Militum nostri temporis dissoluta petulantia.

dictæ exemplum ad miseram plebem vexandam quasi nati videntur. Mirum qua excusatione principes tuti sint futuri in extremo iudicio, qui in gratiam principum aliorum in suis medijs ditionibus & subditis à Deo ad defendendum commissis horum latronum concursus atq; exercitus conscribi, & quiduis petulantiæ in miseros rusticos exerceri, atque adeò populabundis non aliter quàm procellosæ tempestati omnia vndecunque vastanti transitum præberi patiantur. Cicero de Verre scribit, quacunque per omnes prouinciæ partes iter faceret, tanquam calamitosam tempestatem peruasisse demonstraret: ita Cares isti omnia exhauriunt, furantur, rapiunt, disijciunt, quasique grandinis procella proculcant, vastantque omnia, vt taceam iniurias, turpitudines, quas in mulieres & puellas honestas & quoscunque innoxios exercent.

Verres Ciceronianus.

Tempore pacis cogitandum de bello vitando propulsandoq;.

Principis cura sit tempore pacis occasiones, vt antè dictum, & belli vitandi exquirere, & sic rationes instituere, vt si qua necessitas ingruat imparatum non opprimat. Aristoteles vocat ἀναγκαίας ἀρχὰς, quòd necessarias habeant functiones ad res bellicas expediendas quoties vsus exigit. Et quanquam pecuniæ, commeatus, arma, munitiones, vt suprà diximus, in necessarium vsum comparandæ, præcipui tamen thesauri optimaque munimenta sunt animi subditorum, his si princeps destituatur, parum proderunt alia.

Munitiones optimæ.

De telonijs, tributis, accisis, exactionibus. Cap. v.

Pro Lege Manilia.
Rom. 13.
Sueto. in Vespa.
Sordida tributorum exactio.

VTi telonia, tributa, accisa, vectigalia & exactiones, opera & seruitia magistratibus, sub quorum tutela corpora & facultates subditorum defenduntur, tanquã nerui Reipub. vt Cicero appellat, iure debentur: & Paulus Romanis scribens testatur, quòd imperia sine his præsidijs sustineri non queant: ita prouidẽdum magistratibus, vt in his modus seruetur, neque citra publicam necessitatem, vel grauiora quàm populus ferre possit imponãtur. Non imitẽtur magistratus Christiani exemplũ Vespasiani, qui è lotio vectigal constituit, neq; Aureliani, qui ex vitro, stuppa, charta, lino, atq; anabolicas species æternas cõstituit, neq; nostri temporis quosdam pseu-

pseudochristianos principes, quos non pudet è lupanaribus & meretricib. tributa emungere, id quod Alexan. Imperator etiam abominatus vetuit. Multorum malorum causam præbuisse exactionum tributorumq́; grauitatẽ, & Roboam Salomonis filius rex Iuda declarat, & Socrates & Theodoretus in Ecclesiastica historia tradunt Theodosium propter aßidua bella nouã exactionẽ molientem Antiochiæ periculosam seditionẽ excitasse. Vopisc. in Aureliano. 3. Reg. 12. Tripart. histor. lib. 8.

Iubent Christus & Apostoli dare Cæsari quæ sunt Cæsaris, & Deo quæ sunt Dei, cui tributum tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorẽ, timorem, &c. Licere quoq; magistratib. publica id neceßitate cõpellente extraordinarias exactiones instituere, à quib. soluẽdis nemo sine culpa neglectæ charitatis & Reip. vtilitatis se eximere queat. Interim principes recordentur, vti hæc subsidia non nisi ad summam Reip. vtilitatem exigantur, ita nõ posse citra grauem peculatus culpã vel ad luxum ac pompas, vel ad bella non necessaria, vt plærunq; fit, profundi, de quib. Micheas propheta. Mich. 3.

Accedit huc quòd parũ piè faciunt principes, qui quosdam accepta pecunia à tributis & exactionibus, ac seruitijs operisq́; præstandis eximunt, atque eadem onera alijs imponunt, aut in cõmune dispensant, cùm immunitas concedi non debeat cum aliorum iniuria. Quidam etiam onera redimi patiuntur, & interim quoties libet rogant, parum aduertentes quòd potẽtior rogando cogat. Non probandũ quòd telonia & vectigalia, atque id genus onera locẽtur, idq́; ferè harpyis, qua occasione indies magis atque magis grauantur ciues: Quin potius constituenda stipendia, & vt ijs contenti publicani, iuxta Baptistæ responsum neminẽ vltra consuetũ & modum onerent. Imitanda piorũ principum exempla: Darius rex Persarum cùm percontaretur officiales an tributa grauia essent: respondentibus mediocria, iußit dimidietatem remitti. Eusebius tradit Constantinum de tributis quartam partem remisisse, in vita Constantini. Pertinax Imperator, quæ præcessores tyranni per vias & portus emungendis pecunijs vectigalia instituerunt, prorsus aboleuit: Leges quoque ad confiscationis rapacitatem institutas abrogauit, asserens sanctius esse Rempub. obtinere inopem, quàm per rapacitatem & dedecorum discrimina opes augere. Lucæ 3. Darius. In apophth. Pertinacis Imp. pietas in Rempub. Capitolin. in Pertinace.

Vectigalia aut nulla aut certè leuia imponẽda pani & frumento è quo A vectigalib. quæ libera esse debeant.

panis

panis conficitur: item lignis, carbonibus, telæ vernaculæ, atque ijs rebus quibus pauperes vitam sustinent, & quibus nemo carere potest. Quin potius ijs quæ ad voluptatem & ad luxum parantur grauiora statuantur vectigalia teloniaque, veluti sericis, aureis, argenteis que ac preciosis telis, atque pannis exoticis, gemmis, aromatibus, vinis & potionibus externis quibus pauperes carere possunt, vt Imperatorum rescriptis constat, Martianus appellat professas & improfessas merces, id est, τελώνιτας & ἀτελώνιτας.

Professæ merces. Telonitæ. Martia. l. interdum §. 2. ff. de public. & vect.

Species ad vectigal pertinentes. d. l. interdũ §. Diui.

Diui Marcus & Commodus rescripserunt quæ species ad vectigal pertineant, nempè cinamomum, piper, folium, gariophyllon, costum, zinziber, atque aromata cætera: item merces preciosæ, opera byssina, pelles Parthicæ, pelles Babylonicæ, ebur, hebenum, margaritæ, opera Indica, vela Sarmatica, vestes & telæ sericæ atque subsericæ, vela tincta, carbasea, nema, sericum, spadones, leones, leopardi, pantheræ purpura, lanæ fucus, capilli Indici. Si propter necessitatem aduersæ tempestatis onus expositum fuerit, non debere hoc commissum vendicari Martia. respondit.

d. l. §. si propter.

Vectigalia noua citra auctoritatem Imperialem principes vel magistratus statuere non debent, vt respondit Hermog. Quòd si ob prodigalitatem ad inopiam redigantur principes, vel iustitiam non administrent, vectigalia negari posse refert Lucas à Penna Iureconſ.

L. vectigalia. eod. De exactionibus & accisis.

Exactionibus & accisis ac similibus oneribus non nisi maxima necessitate compellente grauentur subditi. Quòd si omnino necessitas postulat, vt imponantur, danda opera vt omnes pro facultatum æstimatione conferant subditi omnium ordinum, neque in solos agricolas ac ciues tenues recidat onus, potentiores & opulentiores sint immunes. Athenis quoties Respub. egebat, aut classis tuendæ Reipub. instruendæ, è ciuibus ditissimi deligebantur qui conferrent: vocabanturque hæ decuriæ munera obeuntium συμμορίαι, de quibus extat Demosthenis oratio. Et quanquam priuilegijs quidam freti, charitati tamen Christianæ & vtilitatis publicæ intuitu communem sarcinam subleuare potius deceret, quàm pati proximum oneri succumbere.

περὶ συμμοριῶν & κατ᾽ ἀφόβου.

Oeconomiæ frugalis institutio.

Principes œconomiam aulicam & administrationem sic instituant, vt

semper

ſemper ſuperſit, non deſit aliquid in neceßitatis improuiſæ vſum, ne ſtatim ad quamuis leuem occaſionem opus ſit ſubditis expilandis : EST *enim* OPTIMVM VECTIGAL PARSIMONIA. *Impenſas non patiantur vires facultatum ſuperare. Imprimis dent operam, vt quæ ſunt principalis patrimonij & adminiſtrationis ſtipendia, & ſine quibus Reſpub. gubernari non poteſt, ea non donentur, neque aliorum cupiditati concedantur, non alienentur, neque fiduciaria oppignoratione obligentur, niſi neceßitate luculenta & ordinum approbatione id fiat: Quemadmodum in Gallia nō licet regi de regijs facultatibus alienare quidquam, niſi vrgente regni neceßitate, quæ tamen diligenti Senatus deliberatione diſcutitur. Moderentur impenſas non neceſſarias, cohibeant luxum: Meminerint* MENSAM DIVITVM MVLTORVM PAVPERVM SANGVINE INSTRVI, *vt inquit Ambroſius de Nabothæ vinea. Quare ſui patrimonij & prouentuum rationem habeant, contenti ſuis ſtipendijs, prouideantque vt eorum fidelis fiat adminiſtratio atque diſpenſatio, acceptorum expenſarumq́ exacta ratio habeatur: Sic enim & miniſtri ad diligentiam excitantur, & in officio continentur, prouentuumque fit tutior adminiſtratio, Quod ſi negligatur, etiam probi & frugi miniſtri ad peculatum & ſocordiam prouocantur :* BONA *enim* NOMINA NON COMPELLANDO MALA FIERI *Alphenus fœnerator dicere ſolebat, vt aliàs quoque à nobis dictum.*

Galliæ mos.

Bona nomina mala fieri non compellando.

De principum cooperarijs, Conſiliarijs, Officialibus, alijsq́; miniſtris. Cap. VI.

I*Nitiò diximus Platonem Reipub. ſtatum tradidiſſe optimum, qui eſſet inter tyrannidem & democratiam medius proportione Geometrica, vt videlicet non vnus pro ſua libidine tyrannidem exerceret, neq́ popularis gubernationis licentia Rempub. confunderet: ſed vt iuſta proportione media quædam eſſet gubernatio, in qua optimi & cordatißimi auctoritate pollerent, & potentia cum ſapientia, vt idem Philoſophus aſſerit, coniungeretur. Principes autem quia interdum aſcititia ſapientia indigent, etſi*

Reip. ſtatus optimus.

sapientia ipsi instructi:tamen non queant in tanta grauißimorum nego- tiorũ varietate omnia proprijs consilijs perspicere, neque tantam imperij molem per seipsos sustinere: adde eos qui proprij ingenij fiduciæ nimium tribuunt sæpenumero cum magno Reipub. detrimento hallucinari, vt Sa- Prouerb. 12. *piens testatur: via stulti recta videtur in oculis suis.*

Proinde cùm vnius vigilantia quantumuis sedula tam multis varijs- Ietronis consilium. *que rebus sufficere non poßit, Ietronis consilio princeps cooperarios vel* Exod. 18. *synergos asciscat, & operas partiatur, singulis suum munus demandet, vt dispensatis officijs negocia certis commissa cooperarijs suo tempore & or- dine expediantur, & vt vulgò dicitur: Multæ manus onus leuius red- dunt. Arte & industria grauißima onera subleuantur; ordine idoneo mul- tæ res citra molestiam expediuntur.*

Genes. 41. *Id optimi quique principes animaduertentes, consiliarios & adiutores* Pharaonis consiliarius Ioseph. *administrationis sibi adiunxerunt. Pharao Iosephi opera regnum suum immensis opibus locupletauit ac florentißimum reddidit. In aula Daui-* Dauidis synergi. 2. Reg. 8. *dis Ioab præfuit rei militari, Iosaphat à cõmentarijs, præfecti quoq; & the- saurarij, item Consiliarij & amici regis. Nebucadnezar in regno suo sa-* Nabugodonosoris cooperarij. *trapas habuit maximæ secundum regem auctoritatis: illis proximi, quasi Imperatores exercitus στρατηγοί, vt semper ad improuisum hostem exerci- tus paratus esset. Item præsides τοπάρχοι, deinde νομοφύλακες, & quasi E- phori & inspectores, qui ne quid contra leges fieret singulis quid facien- dum præscribentes. Adhæc Cancellarij, quæstores, signatores, & reliqua* Darius. *regni quasi corporis membra. Darius rex Babyloniorum Daniele Con-* Legatur liber octauus pædiæ. *siliario non infeliciter vsus. Et Cyrus optimos quosque asciuit, se interim talem præbens, quales optaret.*

Tyranni, quales Saul & Roboam, Zedechias, Tarquinius, Nero, fre- ti φιλαυτίᾳ & stulta voluntate pro consilio, suæ potentiæ aliquid decedere Theopompus. *existimant, si aliorum operum & cõsilia in gubernando admittant, & ho-* Plutarch. de doctrina in principe requirenda. *nesto seruiant, τῷ καθήκοντι δουλούμενοι, vt Plutarchus ait: parum enim memores Theopompi Spartanorum regis sententiæ, qui cùm primus in Sparta regiæ potestati adiunxisset Ephoros, quasi imperij inspectores,* Ephori. *vxor autem illi exprobraret quòd liberis imperiũ reliquerit minus quàm*

acce-

accepisset: Immò, inquit ille, maius relinquo, nempè firmius, prudenter animaduertens, plures manus onus leuius reddere, & imperiũ illud Geometrica illa temperatura diuturnius futurum ac melius. Agesilaus quo- Agesilaus. *que prudentissimus rex triginta habebat Consiliarios, citra quorum con-* Agamemnon. *silium nihil agebat. Agamemnoni, inquit Cicero, honestissimum fuit Ne-* Nestor. *storem habere Consiliarium. Idem optat ad expugnandã hosticam vrbem decẽ habere Nestoras, Darius totidem Zopyros, quot in malo punico gra-* Darius. Zopyrus. *na. Romulus centum legit Senatores, siue quia is numerus satis erat, siue* Romulus. *quia centum erant soli qui creari Patres possent. Tarquinius abolere vo-* Senatores. *luit Senatus auctoritatẽ, quod illi malè cessit, vt Liuius copiose testatur.*

Imperatores Romani qui optima gubernatione vsi, plurimos eruditos habuerunt Consiliarios. Antoninus Pius neque de prouincijs, neque de vl- Antoninus Pius. *lis alijs actibus quidquam cõstituit, nisi prius ad amicos referret, vsus Iu-* Capitolin. in *reconsultis Vindio, Vero, Saluio, Volusio, Metiano. M. Antoninus lau-* Dion. *datissimus princeps semper cum optimatibus non solùm bellicas res, sed* M. Antoninus. *etiam ciuiles, prius quàm faceret aliquid contulit, eiusq́ sententia semper* Capitolin. in *hæc fuit:* AEQVIVS EST VT EGO TOT *taliumque amicorum con-* Marco. *silium sequar, quàm vt tot talesque meam solius sententiam sequantur, vt Capitolinus testatur. Alexander nunquam pauciores viginti Iureconsul-* Alexander *tis in consilio habuit, eosque doctissimos, nihilque sanciuit, nisi adhibitis* Imp. *plurib. & Iureconsultis & disertissimis sapientissimisq́ viris, Lampridio* Lamprid. in *auctore. Breuiter, vt quisque optimè Imperium administrauit, ita quàm* Alex. *optimos & eruditissimos in consilium & amicitiam asciuit.*

Consilium res est sacra, inquit Plato: sunt qui Epicharmo tribuunt, Plato in Theage. σύμβουλος ἱερὸν χρῆμα, *quòd plurimum vtilitatis afferat bene consulens. Sy-* Consilium *rach sine consilio nihil tentandum docet, ne facti pœniteat. Polybius ex* res sacra. *Eurypide consilio magnam hostium manum vinci testatur,* σοφὸν ἓν βούλευ- Polyb. lib. 1. μα τὰς πολλὰς χεῖρας νικᾷ. *Deliberandum diu, celeriter autem deliberata* de Attilio Regulo loquẽs. *conficienda, monet Isocrates.*

Sapiens rex ad salutem Reipub. pertinere existimat multorũ consilia. Prouerb. 11. *Et quanquam in communibus & arduis negotijs plurimorum consilijs vti conuenit: attamen in militaribus & arcanis principes propter vul-*

gandi periculum interdum cum paucis exploratæ fidei & sapientiæ conferunt, ante quàm in publicum consilium deferre patiantur. Carolus Imperator vltra quatuor Consiliarios secū non adhibebat in arcanis rebus, atq; cum his conferebat: vbi autem illorum sententias audisset, interdum suspendebat negotium, Aliàs, inquiens, exactius de his deliberabimus.

Carolus V.

Proditum est de quibusdam, qui cum suo tantùm pileo deliberare solebant, spretis aliorum consilijs: sed horum consilia plærunque infelicem habent euentum.

Principem bonum faciunt plærunque boni Consiliarij, vt in Alexandro testatur Lampridius: TOLERABILIOREM, *inquiens,* REIP. STATVM VBI PRINCEPS MALVS *& Consiliarij boni, quàm vbi bonus Princeps & Consiliarij mali. Siquidem vnus malus à plurib. corrigi potest: multi mali ab vno quantumuis bono superari non poterunt. Quare nullum maius boni imperij instrumentum quàm boni Consiliarij, vt Tacitus scribit. Magnum ornamentum principi, corona senum & cordatorum consiliariorum cinctum esse: Estque idem non solùm ornamento, verùm etiam felicem actionum successum præbet, & aduersarijs metum incutit consiliariorum reuerentia, & subditi libentius parent.*

Consiliarij boni maximum boni imperij instrumētum.

Boni & fideles cōsiliarij perinde atq; boni & cordati ac pij principes peculiari Dei dono conceduntur: Nam Deus volens perdere Remp. Israëlitarum, minatur illis pueros principes & consiliarios effœminatos. Consilium Achitophel infatuatum fuit à Domino. Contra, quando Deus vult fortunare imperia, concedit fortes & prudentes, vt ex Regum historia & Esaia liquet.

2.Reg.17.
Esaiæ 3.

Asciscendi in Cōsiliarios & cooperarios administrationis, quales Ietro suasit genero suo Moysi, qui sint spectatæ integritatis, SAPIENTES, DEVM TIMENTES, VERACES, INCORRVPTI, *& cuiusmodi amici Reip. à Socrate commemorantur apud Xenophontem, qui priuatis cōmodis publica præponant, qui mediocria possidere quàm virtutem deserere malint, qui voluptatibus non vincantur, iniuriam priuatam negligant, publicam vindicent, neq; ambitioni neq; largitioni obnoxij.*

Qui in Consiliarios asciscendi.
Exod.18.
Memorab. lib.2.

Syrach docet in consilium adhibendos, qui earum rerum, de quib. deliberan-

berandum, periti sint: Siquidem belligeraturo non capiendum consilium cum imbellibus & rei militaris imperitis, neque cum impijs de religione, neq; de iure dicundo cum iuris imperitis ac sceleratis. Alexander Imperator cùm de iure ac ciuilibus negotijs tractaret, doctos & Iureconsultos adhibuit: si de re militari, veteres & senes milites locorum peritos, bellorum, historiarumque non ignaros, requirens quid in similibus causis veteres Imperatores Romani vel externarum gentium fecissent.

Cùm autem in controuersijs dirimendis, & iure dicundo Iureconsulti necessarij, accersendi non quæstuosi illi litium magis constituendarum quàm tollendarum artifices, quique linguam & consilia venum exponunt: Sed qui non magis iuris quàm iustitiæ consulti, quique omnia, quæ à iure Ciuili proficiscuntur ad facilitatem, æquitatemque referant, qualis S. Sulpitius à Cicerone describitur. Et Papinianus singularis integritatis & fortitudinis exemplar, qui capitis sui periculo non veritus, quæ iusta fuerant respondere. Tales fuerunt Ioseph & Daniel. Requirendi autem qui sint ingenio alacri, & ad functionem, cui adhibentur accommodi, eloquentia linguarumque peritia non destituti. Sæpe enim fit, vt peregrinæ linguæ legatis respondendum, deque rebus secretis & arduis conferendum sit. Adde vt sint Reipub. studiosi, eiusque administrandæ non imperiti. Indigenas & subditos malim & φιλοπατρίδας: *Nam & populus amat magis, & obtemperat libentius suæ gentis magistratibus cooperarijs quàm externis. Quod si negetur, & externis regantur hominibus, incredibile quantum hac re animi alienentur, & ad factiones, & alios sæpe principes euocandos incitentur. Exempla prætereo ne quis offendatur. Tyranni peregrinis magis quàm ciuibus ac subditis vti malunt, idque existimant tyrannidi stabiliendæ conuenire, vt Aristot. docet.*

Cic. Philip. 9. Spartia. in Ant. Caracalla. Vide Ambr. off. 2. cap. 21.

Polit. 5. 11.

Conuenire videtur ad communem ordinum concordiam, vt consilijs adhibeantur, non solùm proceres è nobilitate, verumetiam è præcipuis ciuitatibus graues, prudentes, rerumque politicarum periti ciues.

Deligendi, qui ingenio sint placido atque candido, quique postulantibus benigniter respondeant, si minus plausibilia, saltem acerbitatem

responsi orationis commoditate temperent, vt intelligant petitores necessitate & ratione magis quàm voluntate quod petitur negari. Aetatis sint maturæ, non iuuenili arrogantia inflati, principum affectibus seruientes, quales Consiliarij Roboam, neq; viribus aut ingenio per senium prorsus effœtis. Viuida autem senectus maximè hic conuenit, quod senibus consilium tribuatur, rerumq; experientia: Cani sunt hominum sensus, πολιὰ δ' ἐστὶν φρόνησις ἀνθρώποις, vnde Romanus Senatus & Patres dicti, Lacedæmonijs Gerusia magistratus appellatus, ad quem qui vitæ integritate & senectute venerandi adhibebantur, eratque is magistratus virtutis præmium, teste Aristotele. Item qui meminerint aliud esse publicā quàm priuatam personam sustinere, ne vel suis gentilibus, vel amicitiæ priuatisque rebus plus tribuant, quàm publicæ vtilitati.

Sapien. 4. Senatus. Patres. Gerusia. Polit. 2.

Vitandi ambitiosi, fastuosi, præfracti, iracundi, furiosi ac contumeliosi: item philauti, & adulationibus obnoxij ac calumnijs: item simulatores & veritatis occultatores. Non sunt huc admittendi futiles, leues, aut secreti parum continentes. Non sunt fumiuendi neque pleonectæ. Arceantur qui se ipsos insinuant, vel fauore ac potentia ingeruntur, & qui præfecturas & prouentus principum vel fiduciaria possessione, vel oppignoratione occupant: neque qui officijs & præfecturis præpositi, aut Ecclesiasticis ministerijs mancipati: ne alterius occasione alteram deserant, vel neutram functionem fideliter administrent.

Non sunt huc tam accersendi qui vafritia, atque adeò huius mundi veteratorijs artib. instructi, quàm probitate & integritate atque industria commendati. Prudentia Dei donum est, iuxta illud, vt auris audiat & oculus videat Deus facit. Cæterùm ea quidam abutuntur ad priuatum commodum, & ad nocendum proximo. Propter prudentiam, inquit Sapiens Rex, laudabitur vir, sed improbus pudefiet: monens prudentia sicut alijs bonis creaturis non abutendum, atque etiam vitandos qui ea abutuntur, nam eos pudefieri, ac tandem infelices euentus parere, vt in Achitofel & Doeg declarat sacra historia.

Prouerb. 20.

Sæpè amplissimæ Resp. eloquentium ambitiosorumq; hominum inconsiderantia euersæ. Pericles, qui tonans eloquentia, vt in Comœdijs dictum,

Pericles.

Græ-

Græciam miſcuit, Demoſthenis eloquentia irritatis Macedonum armis, eandem ſeruitute oppreſſit: Cicero dum adoleſcẽti nimium fauens, ei vniuerſam Remp. committendam ſuadet, vehementer falſus eſt. Alios ambitio, alios auaricia, alios odium peruerſos rapit. Aliquando conſilia etiam præclarè cogitata infelices exitus habent. Quare ſequendi qui verbo Dei mentes regunt, nõ qui freti vel eloquẽtiæ virib. ac humana prudentia conſilia cæcis affectibus & fortunæ priuatiſque vtilitatibus accommodant. Demoſthenes. Cicero.

Suaſerim & hos vitandos, qui alijs principibus mancipati ſunt ſtipendijs aut benficijs. Etſi enim ſcientes patiuntur plerių magni principes conſiliarios ſuos ſtipendijs ac muneribus ab alijs honorari: at meo iudicio ſcientes ac volentes in ſinu ſerpentes fouent, mirum non intelligi hæc gratis non fieri. Ptolomæi Philometoris adhuc pueri largitionibus corrupti Conſiliarij, Antiocho auunculo regem ſuum per ætatem nondum ſatis intelligentem miſerè prodiderunt, vt Danielis vaticinij explicatione declaratum. Mihi compertum, cùm fortè de alterius principis Conſiliario mancipando ſecretò per quoſdam proxenetas conſiliarios actum eſſet: & alius eiuſdem principis Conſiliarius aſſidens, rerum quæ agerẽtur ignarus, præſente fratre mancipandi fortè ſic ſermone ferente dixiſſet: ſe exiſtimare neminẽ ſalua cõſcientia diuerſis principib. aſtringi poſſe. Quod dictum frater excipiens, mãcipandoq́; referens, eundem à propoſito deterruit. Cumq́; culpa in eum, cui hoc verbũ exciderat reijceretur à proxenetis, Cancellarius homo prob. magis, inquit, imprudẽter quàm impiè loquutus. Ptolom. Philometoris Conſiliarij. Dan. 11.

Breuiter, talis eſſe debet conſiliarius, qui nihil nebuloſum, nihil fallax, nihil ſimulatum, nihil deniq; improbũ aut maleuolum fucatumúe referat, quod vitã aut famã refellat, vt Ambroſius docet in Officiorũ libris. Alexander Imperator amicos ſi malos comperiſſet, puniebat aut dimittebat, dicens: HIS CHARIOR EST MIHI RESPVB.

Conſilia ſtato tẽpore ſeruẽtur: Cõſiliarij maturè adſint, ſerius venientes mulctari pleriſq; locis ſolent. Sint attenti ad ea quæ deliberãda proponuntur, nõ ſomnolenti, non aliud agentes, ſed quieti, ſeduli, nõ niſi neceſſitate adacti ſurgant, aut conſilio ſe ſubducant. Non interrumpendæ nec turbandæ aliorum ſententiæ, ſed ſua cuique libera vox relinquenda. Conſilia quo pacto habenda.

Conſilijs

Tempus consiliorum.

Consilijs matutinum tempus, præsertim arduis deliberationibus, concedendum: Plato etiam nocturna consilia probabat. Pomeridiana lectoribus tribuenda, quales sunt supplicum libellorum controuersijs componendis, rationibus exigendis.

Germanorũ consuetudo. Tacit. de German. morib.

Non probanda Germanorum maiorum nostrorum consuetudo, qui, vt Tacitus scribit, inter conuiuandum de arduis rebus consultabant, tanquam nullo magis tempore, aut ad simplces cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat.

Senatori iussa. Cic. lib. 3. de Leg.

Senatori, inquit Cicero, tria iussa sunt. vt adsit, vt loco adsit, vt modo, ne sit infinitus: nam breuitas non modò senatoris, sed etiam Oratoris laus est. Aristoteles Poëtæ præceptum proponit, non plausibilia, sed quæ Reip. necessaria dicenda sunt: μή μοι τὰ χρόπατα λέγε, ἀλλ' ὧν πόλει δεῖ. *Nec vnquam longa oratione vtendum, quod fit ambitiosè sæpe, nisi tanta sit causa, vt copia orationis sit opus ad hortandum, vel ad docendum: nam breuitas & senatorem & oratorem commendat, vt paulò ante diximus. Lex addit, Causas populi teneto. Senatori necessarium nosse Remp. quid habeat militum, quid valeat ærario, quos socios habeat Resp. quos amicos, quos stipendiarios, qua quisq; sit lege, fœdere, conditione, tenere consuetudinem decernendi, nosse exempla maiorum.*

Ordo in sententijs rogandis.

Ordo in sententijs rogandis varius, vt olim ita nunc quoque: olim apud Romanos aliàs qui princeps in Senatu à Cæsaribus lectus erat, rogabat primus, aliàs qui designati consules: Quidam à consulibus studio, arte, necessitudine aliqua adducti, quem ijs visum honoris gratia extra ordinem rogaretur, ne quis quenquam ex alio, quàm consulari loco primùm rogaret sententiam, vt è Gellij monumentis liquet. Dionysius Halicarnassæus tradit in senatu Romano sententias primùm seniores, deinde mediæ ætatis, postremò iuniores dicere solitos.

Gellius lib. 4. Dionys. lib. 11. Antiq.

Solonis Lex.

Aeschines in oratione contra Ctesiphontem testatur Solonis legibus cautum, vt in consultationibus natu maximus primus sententiam diceret.

In Imperiali conuentu Marischalcus Imperij rogat sententias; ac primùm ab Ecclesiasticis principibus summi loci orditur: inde politicum eius

eius ordinis primum, & sic deinceps. In aulis principum præsente principe, ipse rogat primùm vel Cancellarium, vel Marischalcum, vel præfectum prætorio, aliumúe digniore loco. Absente principe Cancellarius aut Marischalcus aut præfectus prætorio, aut alius denique præsidens sententias colligit. Et quanquam digniores primo loco rogari soleant, cæterùm cùm horum sententias propter auctoritatem alij plærunque sequantur, aliquoties inuerso ordine iuniores ingenij acuendi causa primùm rogantur: Ipse princeps aut præsidens postremus collectis sententijs concludit. Sic Cyrus nonnunquam sententias colligit apud Xenophon. Octauius laudatus quòd de minoribus negotijs, non more atq; ordine, sed vti libuisset perrogaret, vt perinde quisq; animum intenderet, ac si censendum magis quàm assenerandum esset. Pediæ lib. 6. Suet. in Aug.

Olim etiam qui parum fiderent memoriæ, & ne tempus ediscendo absumerent, è scripto recitabant sententias, idq; Augustum fecisse Suetonius testis est. E scripto recitantes sententias.

Alexander Imperator plurium & Iureconsultorum et sapientum consilio vsus, nihil sanciuit, nisi sic iretur per singulorum sententias, vt scriberetur quid quisque dixisset, dato tum spacio ad disquirendum cogitandumq; prius quàm dicerent, ne incogitati dicere cogerentur de rebus ingentibus. Alexander. Lamprid. in Alex.

In sententijs dicendis varia experimur hominum ingenia, & sæpe fit vt etiam prudentes habiti in consilijs errent. Multi gaudent ingenium & eloquentiam ostentare magis quàm ad rem & vtilia dicere, pulchrum ducentes in deliberationibus acumine certare, præstigijs sophisticis aliorum sententias eludere, & veritatē tenebris obuoluere: alij inuidia, odio, æmulatione aut fauore impulsi diuersum dicunt ab alijs, etiamsi optimum sit quod dixerunt: quidam vafritia argutijsque dissimulant animi sententiam. Ineptè faciunt, qui aliquoties dicta repetunt, & cùm nihil noui dicere queant, inani battologia tempus terant, quos magis conueniebat, cum nihil ad rem exactius dicere queant, fateri se prius dictis, vel alicui eorum assentiri. Non desunt qui illustriori loco positis metu inutilique verecundia repugnare nolentes illorum sententijs cal- Sententiarū dicendarum varia ingenia.

culum

culum addant. Aliqui tanquam κῶφα πρόσωπα pedarios imitantur senatores.

Omnes ferè hi aduersus legem & iussa Senatorum dicunt: Probandiq; magis qui perspicuè paucisq; ac Laconicè sententiam promunt, relictis non necessarijs parergis, intra metas causæ se continentes, aut benè ab alijs dictis assentiri se fatentur, aut si quid addendum existimant, aut mutandum paucis explicant, alijsque maturius deliberandum committunt. Reperiuntur, qui postulant prius audire aliorum sententias, ijsque excussis tandem suam tanquam colophonem adijcere: fit enim nonnunquam in arduis causis, vt semel atque iterum sententiarum periodus repetatur, quo exactius quæ in deliberationem veniunt, disquisitione facta excutiantur.

Multorum sententiæ. Prouerb. 11.

Multorum sententias audire plurimùm momenti in rebus agendis habere Sapiens existimat: siquidem in multitudine sæpe aliqui existunt, qui, quod ab alijs non animaduersum, suppleant, aut certè alij ex aliorum sententijs accuratiorem considerationē capiant. Et ex pluribus sententijs tanquam aurum purum deligere licet, quod per se discerni non queat, cum alio comparatum secerni potest. Interim NON TAM NVMERANDAE SENTENTIAE QVAM PONDERANDAE, NE MAIOR *pars meliorem vincat.*

Sentētias nō tàm numerā das quàm ponderādas.

Herod. lib. 7.

Grauis extat apud Herodotum oratio Artabani in deliberatione suscipiendæ à Xerxe aduersus Græcos expeditionis, cumque Mardonius ad bellum sententia sua quasi classicum accinisset, neque alijs diuersam sententiam dicere audentibus, Artabanus, qui patruus erat Regis, Benè, inquit, consultare, & plurimorum sententias audire, è quibus liceat meliorem eligere comperio maximum compendium. Nam etiamsi quid contrarium eueniat, nihilominus bene consultum est, superante fortuna consilium. At qui turpiter consultauit, etiamsi fortuna obsecundet, nihilominus male consilium cœpit, &c. Et quia Xerxes prudens consilium Artabani iuueniliter reiecit, secutus illorum sententias, qui affectibus regis applaudebant, infeliciter bellum gessit: quemadmodum post idem reiecto sano Artemisij consilio plurium sententias appro-

Artabani cōsilium.

Herod. lib. 8.

approbauit, parum prudenter ſententias numero æſtimans magis quàm pondere.

In conſilio Caroli Burgundi, cùm deliberaretur an obſides Leodienſes, qui contra fœdus egerunt, necandi eſſent, Contei ſententiam ſequebantur omnes, ſolus Imbricotus contrà ſenſit, cauendum cenſens, ne Deus atrocitate crudelitatis offenderetur, ſed potius princeps hoc vno exemplo declararet omnibus ſe neque crudelem neque vindictæ cupidum. Vide Philip. de Caminis. Imbricoti ſententia.

Plinius Secundus Traianum laudat, quòd eo rogante ſententias liberè dicere liceret, vinceretq; nō prima ſed melior, Domitiani in rogandis ſententijs tyrannidem notans: Quis, inquiens, hiſcere audebat, præter miſeros illos, qui primi rogabantur, vnus ſolusq; cenſebat quod ſequerentur omnes, & omnes comprobarent, in primis ipſe qui cenſuerat. Traianus. Plin. in Panegy. Domitianus.

Interdum principes in amplo conſilio omnes audiunt, diſceptantque in vtranq; partem, ac tandem auditis omnium ſententijs ſuſpendunt concluſionem deliberationis in aliud tempus.

Conſilia principum arcana eſſe debent καὶ ἀπόῤῥητα, *neque temerè princeps animum ſuum declarabat. Et quanquam in communibus negotijs plurium conſilijs vtendum, at ſi tale ſit negotium, quod non expediat à pluribus propter vulgandi periculum cognoſci, paucos quoſdam habeat princeps exploratæ fidei, cum quibus priuatim conferat deliberanda, antè quàm in conſilium publicum proferat: Idem Carolum* V. *facere conſueuiſſe obſeruatum.* Conſilia arcana ſint. Carolus V.

Dion Nicæus ſcribit, Tiberium in occultandis affectibus mirum fuiſſe artificem, adeò vt cum ſermone ferè pugnaret voluntas, id deteſtantem quod volebat, & diſſimulantem quod oderat, exiſtimans principis animũ nemini cognitum eſſe debere: Si quem conſcium cognoſceret, grauiter ferebat, multos non aliam ob cauſam interfici iuſſit. Tiberius. Dion. lib. 57. hiſt.

Lyſimachus cùm Philippo Comico Poëtæ liberalitatem ſuam offerens diceret ſe daturum, quidquid è rebus ſuis peteret: Quodcunque, inquit, voles, modò ne arcani quippiam, indicans arcana ſcire principum, aliquando non vacare periculo. Lyſimachus. Plut. Apoph. Græc.

Metellus rogatus à quodam, quid eſſet facturus? Si, inquit, eius rei ſci- Metellus.

rem tunicam meam esse consciam, protinus exutam conijcerem in ignem.

Carolus dux Geldriæ. Simile à Carolo duce Geldriensi aliquoties auditum.

Romani in signis suis habebant Centaurum cum inscriptione S.P.Q.R. Significare volentes consilia ducum & principum celari debere.

Consus. Consus consiliorum Deus habitus, qui templum ideo sub tecto circo habebat, quo significaretur tecta esse debere consilia.

Persarum arcana cõsilia. Apud Persas mira celantium fide arcana regum occultari solita, non spes, non metus vllus eliciebat vocem qua proderentur occulta. Vetus disciplina silentium vitæ periculo sanxerat, lingua grauius castigabatur, quàm vllum probrum. Nec magnam rem ab eo sustineri credunt, cui tacere graue sit, quod homini facilimum cõcessit natura. Alexander etsi omni cura vestigauerit, quam regionẽ Darius esset petiturus, tamen explorare non potuit, ea erat Persis silentij religio, vt testatur Q. Curtius.

Q. Curtius lib. 4.

Lib. 2. de instit. antiq. Fab. Maxim. Taciturnitatem optimum & tutissimum administrandarum rerum vinculum nequaquam labefactandum, Valerius Maximus testatur, scribens à Consule grauiter obiurgatum Fabium Maximum, quòd de indicendo bello Punico tertio, de quo in curia secretò actum erat, P. Crasso per imprudentiam indicauerat.

Papyrij in celandis arcanis dexteritas. Papyrij adolescentis in celandis consilijs exemplum iuuenib. proponi solet, ex A. Gellio & Macrobio, vt priori lib. cap. XXXIII. indicatum.

Lib. 1. Noct. Att. cap 23. Et Macrob. Satur. lib. 3. Lamprid. in Alex. Lampridius de Alexandro Imperatore loquens, Tacebantur, inquit, secreta bellorum, itinerum autẽ dies publicè proponebantur, ita vt edictũ penderet ante menses duos, in quo scriptum esset, die illo, illa hora ab vrbe sum exiturus, etsi Dij voluerint in prima mãsione mansurus: deinde mansiones disposuit per ordinem, inde statiua, deinde vbi annona accipienda, & id quidem eo vsque, donec ad fines Barbaricos veniret.

Cõsilia principum reuelantium pœna. d. l. si quis aliquid. ff. de pœn. Grauissima pœna à Iureconsultis prodita ijs, qui consilia principum renunciauerint, puta aut viuos exurendos aut furca suspendẽdos, vt Paulus Iureconsultus respondit. Hodie hæc pœna consopita pluribus locis desideratur, cùm vt antè de Ptolomæi Consiliarijs dictum, plæriq; alijs principibus stipendiarij sui principis consilia perfidissimè prodant.

Consiliariorũ inter se simultates in principũ negotijs deponẽdas exemplo.

plo Aristidis & Themistoclis, qui etsi imprimis inimici essent, tamen in patriæ periculo inimicitia deposita concorditer, vter de patria præclarius mereretur, contendebant, vt Herodotus auctor est. Simultates Consiliariorum deponendæ.

Consiliorum euentus gubernatur à Domino: nam à Domino sermo linguæ, & consilia bona bonos habent euentus, mala malos, vt inquit Sapiens. Et Psaltes: Nisi Dominus ædificauerit domum, &c. Quantumuis prudenter consulta, successum tamen non habent felicem, nisi Dominus fortunauerit: Id quod testatur historia Iosue in expugnatione Hai oppidi: Nam fuga simulata cessisset illis in perniciem, nisi addidisset promissionem Dominus. Lib. 8. Vrania. Consiliorum euentus à Domino. Prou. 16. & 12. Psal. 127. Iosue 8.

Consilia piorum requirenda, impiorum quantumuis peritorum refugienda. Consilia impiorum irrita sunt, neque successum habere declarant Achitophel & Holophernes. Ambros. offic. 2. 2. Reg. 16.

Sæpe optimè cogitata pessimè cadere, inquit Cicero, cuius rei ipse periculum fecit: Nam ijs consilijs, quibus voluit Antonium opprimere, Rempub. euertit, & Demosthenes in defendenda patriæ libertate infelix fuit suis consilijs. Proinde in omnibus deliberationibus DOMINVS *implorandus, eique committenda consilia, vt ipse dirigat, quemadmodum docet Dauid: Reuela Domino viam tuam, & ipse faciet. Et Syrach: In omnibus deprecare altissimum, vt dirigat in veritate viam tuam.* Ciceronis consilia. Demosthenis. Psal. 37. Syrach 30.

Consiliarij, præfecti, ac cæteri principum συνέργοι *suum quisque norit officium, idque pro dignitate tueatur, neque in alienum irrumpat. Sunt quidam cùm se sentiunt auctoritate & gratia apud principem pollere, omnia munia in se transferunt, neque quicquam alijs relinquunt, & laboris & inuidiæ plusculum sibi conciliantes. Sic Tacitus scribit Claudium omnia magistratuum munia in se traxisse.* Suo quisque officio fungatur, alieno abstineat. Claudius Imp.

Prudentis principis est munia quibusq; sua tribuere. Sic Traianus cordatiss. iustissimusq; princeps omnia suis magistratib. cognoscēda remittebat: interim dispiciens vt suum quisque tueretur munus. Idem laudatus quòd omnia quæ in prouincijs agerentur scire vellet, vt quæ res solicitos redderet præfectos & officiales, indicioq; principis & negligentiæ & industriæ suum præmiū exspectari, atq; illos à crimine, hos à laude deterrebat. Plin. in Panegy.

De reliquis cooperarijs Principum. Cap. VII.

Polit. 4. & aliàs.
Magistratuũ genera.

ARistoteles magistratuum duo genera tradit: vnum necessarium, quod circa res diuinas, ciuiles & bellicas versatur, item circa iudicia, circa vectigalia, impendiaq; publica, circa forum, portus, cõmercia, exactiones, rationes reddendas, atq; custodias: alterũ quod circa honestatẽ & ornatum versatur. Ad omnia adhibendi, qui ad singula munia sint idonei, non ad gratiam, sed peritia & integritate spectati, puta rebus diuinis atque Ecclesiæ viri sacrarum literarum peritia, & pijs moribus commendati, vt suprà admonuimus: militiæ ac rebus bellicis præficiendi, qui in militia exercitati, qui muniendarum ciuitatum, arcium, rationes teneant, qui bellorum veterum ac recentiorum discrimina, pedestres equestresque copias ordinare, aciem instruere, castrametationum, itinerum obseruationes, cõmeatui prospicere norint. Cicero in Imperatore quatuor requirit, præcipuè scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, & felicitatem: deinde laboris tolerantiam, fortitudinem in periculis, industriam in negocijs rebusq; gerendis. Ciuilibus autem & togatis rebus adhibendi iuris Romani ac patrij periti, & in negocijs forensibus ad agendum & ad respondendum & ad cauendum exercitati. Ad eundem modum quæstores ærarij, logographi, atq; logistæ, homines sagaces asciscendi, qui patrimonium principis gubernent. Cancellariæ præficiendi cùm primis viri singulari prudentia, rerumque principis gnari, vt suo loco dicetur.

Militiæ qui præficiendi.
Cic. pro Leg. Manilia. & de Orat. 1.
Cic. ibid.

Præfectus prætorio.
Cassiodor. lib. 6.
Bud. in l. vni ca. ff. de off. præf. præto.
Cassiodor. lib. 6.
Traianus ad præf. præt.
Coral.
Plin. in Panegyr.

Maxima olim secundum Imperatorem dignitas fuit Præfecto Prætorio, quem nõnulli Magistrum aulæ nostræ ætatis appellandum censent, alij Magistrum equitum, vel Marischalcum, alij Cancellarium: Sed nulli ex his tribus nostri sæculi dignitatibus congruere hæc appellatio videtur, cùm Præfecto prætorij apud maiores, & rei militaris disciplina, & iuris dicendi potestas tribueretur à Cæsaribus, cuius tanta fuit authoritas, vt nullus ei magistratus auctoritate adæquaretur, maximæ videlicet secundum principem amplitudinis. Memorabile Traiani illud, qui cùm Præfectum prætorio cingulo dignitatis eius donaret, Accipito, inquit, hunc ensem,

ensem, quo siquidem è Repub. imperauero pro me stringas: si minus, contra me vtaris. Posterioribus sæculis, quicunque summa post principem auctoritate fuerunt, Præfecti prætorio appellati: inde Orientis, Illyrici, Africæ Præfecti prætorio dicti, qui & ipsi plærunque Ius reddebant, vel per iudices à se creatos cognoscebant: ea dignitas in tantum aucta, vt à Præfecto prætorio non appellaretur.

Dio. hist. in Traian. Cic. de off. præf. præt. Orient. L. de ordinario. & l. fi. ff. de off. præf. August. ff. de off. præf. præt. l. vna.

Porrò cum officia primaria & dignitates aulicæ, vt & ministeria prouincialia apud principes varientur pro regionum diuersitate, nos generalium quorundam functiones annotabimus.

Cancellarius & eius munus.

Cancellariis nostra ætate plærunque apud Principes summa auctoritas, vt qui grammatophylacio, nomophylacioque præfectus, ac veluti anima principis sit, nam principis verbis responsa dat postulantibus, iurium principalium custos, hoc est, νομόφυλαξ, æquitatisque antistes, qualis Papinianus apud Seuerum, Vlpianus apud Alexandrũ, Trebonianus apud Iustinianum, etsi horum officia ampliora nostris Cancellarijs per omnia non queant accõmodari. Cancellarij partes sunt, vt nullum principis mandatum, nulla constitutio vel rescriptum, vel diploma, vel placitum, nulli codicilli, nullæ consignationes edantur, quæ à principis aut Reipub. dignitate sint aliena. Siquidem horum nihil conceditur, ratumque æstimatur, nisi aut Cancellarij aut eius nomine à Secretario aliquo subscripta sint. Proinde in hoc primum explorata fides probitatis requiritur, nam nisi fidus sit, facilè consulẽdo principis animum in diuersum flectere, aut tergiuersando deliberata mandataq; suspendere ac interuertere poterit. Deinde diligentia iurisque ac rerum peritia instructum esse oportet, atq; eius iudicij & integritatis, vt Iureconsultos, Secretarios, Scribas, & huic militiæ iusticiariæque officinæ idoneos asciscat ministros: vt proximi sacrorum scriniorum, & cæteri qui commentarijs libellis documentisque conseruandis præsunt suo officio ritè fungantur. Magna cura in silentiarijs primicerijs & præfectis scriniorum, in actuarijs, vt documenta & regesta fideliter custodiantur, atque sic collocata sint, vt quoties vsus poscit in promptu reperiri possint, vt clientelarum, patrimonij principalis, supereminentiæ iura conseruentur & ritè administrentur.

Silentiarij. Scriniorum præfecti. Actuarij.

Sigillum.

Sigillũ principis. *Sigillum principis religiose pro ratione & more principatus diligenti custodia conseruetur: quod non ab re moneo, cùm hac in re aliquando accuratiorem diligentiam apud principes quosdam desiderassem.*

Scribæ. *Scribæ & silentiarij sint fideles & secreti continentes.*

Magistri supplicationũ. *Magistri supplicum libellorum fideliter postulata & referant, & respondeant postulantibus, ne largitionibus corrumpantur, aut supplices libellos intercidere patiantur, aut interuertant, ac supprimant in fauorem aut odium partium, vt supplicantes & nuncij præter necessarias causas suspensi non teneantur, sed maturè expediantur.*

Cancellaria. *Cancellaria officina diplomatica veniarum principis & gratiarum moderatrix, iusticiæ & indulgentiæ principis promptuarium, imperium iudicibus & præfectis tribuens, interpres legum formularumque de æqui bonique sententia, ac denique forensis calamitatis subsidium.*

Præfectus aulæ principalis. L. vna. C. de præpos. labo. lib. 12. Præpositus laborum. *Præfectus aulæ, aut si mauis Magister domus vel hospitij, vel œconomus aulæ principalis (Iustinianus videtur vocare præpositum laborum) vir sit auctoritate pollens, rei familiaris & dignitatis principalis gubernandæ peritus, qui aulæ disciplinam, dignitatem, & vt vocant, statum, honestè gubernet, & decorum sartum tectum conseruet, procuretque, vt nobiles & ministri aulici suo quisque officio fungatur, vt ostiarij, magistri culinæ, pocillatores, structores ac dispensatores, totusq́ chorus ministerij aulici suam functionem ritè exequatur, annona & suum cuique demensum præbeatur: vt hospites & legati pro dignitate tractentur.*

Marischalcus & eius munus. Magister stabuli. *Marischalco (vel si mauis magistro equitum vel polemarcho) cura, quæ ad equestrem & militarem rem pertinent, committitur: quare hunc in militia exercitatum, & bellicæ rei non imperitum esse conuenit: quique disciplinam equestrem & militarem tueatur. Huius munus curare, vt equites equis & armatura idonea sint instructi, vt tormenta, puluis tormentarius, & quæcunque ad bellicum apparatum attinent, vel parentur, vel parata in tuto conseruentur, munitiones sartæ tectæ præstentur. Huic adiungi solet magister Stabuli Principalis, maistre de Curie Gallis vocatus, nempè stabuli & equorum principis priuatorum præfectus. Eius munus est instrumentum priuatum stabuli principis curare, vt principi in con-*

in conſcendendo equo & deſcendendo adſit. Plutarchus ἀναβολέα vocat in Craſſo, Latini ſtratorem: Inferiores ſtabuli miniſtros gubernet, vt equi & ornamenta ſcitè adminiſtrata curentur.

Præfectus cubiculi principalis, & is inter principes aulicæ dignitatis habetur, qui κειμήλια, & quicquid eſt inſtrumenti aulici ſiue aurei ſiue argentei curat, vt cubicula ſint inſtructa, item rei veſtiariæ, gynæcij curam ſibi concreditam tuetur. Camerarius.

Quæſtor ærarius generalis, olim Comes ſacri patrimonij dictus, quòd Cæſaris patrimonio præeſſet. Eius officium eſt, vt prouentus & patrimonium principis ſedulò curet, & vnà cum magiſtro computorum, vel ſi mauis calculationum, hoc eſt, analogiſta, & ijs qui ratiocinijs præficiuntur, aliorum inferiorum quæſtorum, cellariorum, receptorum, expenſarumque rationes quotannis exigat atque examinet, & ſi quid incommodi aut non ritè diſpenſatum reperiatur, aut denique de principis patrimonio aliquid ſtatuendum, id notetur, & ad principem aut conſilium referatur. Et ipſe quoque generalis quæſtor quotannis accepti atq; expenſi vel præſente ſi fieri poſſit principe, aut ſi id non licet ſaltem præfecto aulæ & Cancellario aut huic functioni deputatis rationes reddat. Quæſtor ærarius.

Impenſarum aulicarum, & vt vocant culinariarum rationes ſingulis hebdomadis præſente magiſtro aulæ, oſtiario & culinæ præfecto in plæriſque aulis exigi ſolent.

Rationes diligenter exigendæ à quibuslibet. Et prudenter faciunt principes qui rationes quæſtorum ærariorum præſertim coactorum receptorumq; inferiorũ examinandas excutiendasq; curant: quare qui huic muneri præficiuntur Gallis controleurs, Græcis ἀντιγραφεῖς vocantur. Plutarchus ſcribit in exigendis rationib. Periclem fuiſſe implacabilem. Vide de Exactionibus ſup. cap. 6. Pericles.

Traianus optimus princeps laudatur, quòd omnium adminiſtrationum conſcius eſſe volebat, neq; citra eius auctoritatem quidquam fieri pateretur: Ita conuenit hac in re principem oculatum eſſe, neque ſemper alienis oculis videre. Hæc ſi curet princeps, ſimul & miniſtros ad diligentiam prouocabit, inq; officio eos continebit, & prouentuum fiet tutior adminiſtratio: impoſsibile enim non diligentis domini diligentes eſſe vicarios, vt Traianus. Rationum exigendarũ neceſsitas.

f Criſt.

Arist. in Oeconomico docet. Quòd si negligantur hæc, etiam fidi & frugi ministri ad peculatum & negligentiam prouocabuntur: NIHIL AEQVE PRINCIPVM FACVLTATES EXTENVAT QVAM RATIONVM REDDENDARVM NEGLECTVS.

Procuret princeps, vt prouentus patrimonij principalis fideliter conseruentur: vt vectigales agri, telonia, portoria, pascua, syluæ, piscinæ, insulæ, alluuiones, mineræ, molæ, operæ præstandæ, feuda, clientelæ, & quæcunque vel patrimonij vel accessoriorum citra fraudem elocentur, administrentur atque dispensentur.

Inspiciat ne quæstores cum pecunia principis vel collybium vel negociationes exerceant, aut cum alijs pactiones ineant in detrimentũ facultatum principaliũ, sed omnia in vsum principalis œconomiæ cõseruentur, cõtrà facientes ex lege Iulia de residuis mulctentur, vt Paulus respondit.

L. 2. ff. ad l. Iuli. pecu.

Ministri sint incorrupti. Const. 180.

Perpetuò id studio sit omnibus maximè principibus, ne quem vel per præfectos vel per potentiores ac ministros iniuria premi patiantur. Et vt magistratus ac ministri puris sint manibus, neque apparitores sordidos habeant & turpi lucro deditos, quale si quid reperiant acerrimis pœnis persequantur, iuxta Iustin. Nouell.

Ministris mercedes idoneæ constituantur.

Ministris mercedes constituantur neq; salaria accidantur. Dignus operarius mercede, ne cupiditate & auaritia inducti corrumpantur.

Sacrilegus mos est, & Reipub. perniciosus officia publica & magistratus venum exponere, aut fiduciaria mancipatione sic concedere præfectis, vt illis liceat citra rationum reddendarum obligationem administrare, ac miseros subditos suo arbitrio concutere.

Officia non vendenda. Lamprid. in Alexand. L. 6. C. ad l. Iuli. repetundarum. 1. q. 7. c. sancimus. Nouell. consti. 8. Xeno. pæd. 3.

Præfecturas & honores Alexander Imperator nunquã vendi passus, dicens: Qui emit, vendat necesse est, ego non patiar, inquit, mercatores potestatum, quod si patior dãnare non possum. Et Imperator Theodosius rescripsit ad magistratus, nõ ambitione neq; precio, sed probatæ vitæ testimonio præditos admittendos: Olim detestabile in prophanis, nunc etiam in sacra irrupit, adeò nihil vel sacrum vel prophanũ non venale, quod Atticus apud Tacitum grauiter queritur, vt paulò ante in officio principis quoq; admonitum. Ministris, inquit Cyrus apud Xenophontem, non libenter

vtimur,qui necessitate adacti seruiunt:sed qui propenso animo & alacritate ministeria obeunt,atque his etiam si deliquerint facilius condonandum,quàm qui præfracto animo ac necessitate compulsi faciunt.

Præfecti & magistratus ob singularẽ industriam & probitatem,fidem & grauitatem asciscendi,vt de præfecto prætorio traditur à Iureconsultis.Quid iurare debeant,imperatoria constitutione cautum.

L. breuiter. ff.de off.præfe.præto. L.sancimus. C. ad leg. Iul. repetund.

Cyrus legib.cauit,vt factis honestis ad officia & ad honores veniretur, νομικὸν ἐποιήσατο καὶ ἀγαθοῖς ἔργοις προσβῆναι εἰς τιμιωτέραν ἕδραν.

Præfectorum & officialium munus in suis præfecturis,ne cui vim fieri patiantur,néue citra causæ cognitionem aut sententiam quis possessione deijciatur aut re sua aut iure destituatur,priuati autem restituantur: vt iudicia,vt iura principis,edicta,mandata,subditorum priuilegia,consuetudines,inconcussa & ritè seruentur: vt viarum securitas nō lædatur: vt delicta puniantur,carceres & captiui nō negligantur: vnà cum procuratore fisci præfecti quotannis mulctarum rationes decidant: res furtiuas, aut naufragio eiectas & similes,de quib.post dicetur,curent ne diripiantur,néue interuertant ipsi, sed vt custodiantur tantisper, dum à principe mandatum accipiant, dandaq́ opera vt suis dominis restituantur. Sicubi Ecclesia ministris destituatur, id principi indicent præfecti, curentq́ vt Ecclesiarū pastores rectè doceant, & Sacramenta legitimè administrent, synodos obseruent: cōiurationes,sectas,factiones inquirant ac detegant vt coerceantur. Officiales concussionis crimine teneri,si subditos aut expilent,aut operis præstandis grauent,aut denique sententias venales proferri sciant,Impp.Constitutionibus ac ciuili iure cautum. Quibusdam locis permissum,vt subditi bis quotannis operas suis præfectis non coactè sed liberè præstent: Iam eas operas tanquam iure debitas exigunt,& æquè subditos rogando seruitijs grauant. Quid autem hoc est aliud quàm cogere, cùm præfecti rogant quod negare nemo impunè poterit?

Præfectorū & Officialiū munus.

L. iubemus. C.ad l.Iul.repetund. L.2.ff.de concuss. Seruitiorum præstatione ne grauentur subditi. L.solet.§.vlt. ff.de off.procons. L. Penult. ff. ad l.Iul.repetund. L.vna.C. de contr.ind.

Veterum legibus præfectis eo loco vbi præsunt, neque negotiari neque emere licebat,aut filiam elocare: & si quid horum egerint, Lex irritum fecit: Immò nec mutuum dare, ne priuatis intenti commodis à publicarum rerum cura auocentur: reuerentia enim magistratus facilè

L. Principalibus. ff. si cert.pet. L. milites. ff. de re mil.

f 2 *indu-*

inducit subditos ad contrahendum pro illius arbitrio. Quæ etsi temporarijs magistratibus, quales olim Proconsules sancita: tamen his temporibus etiam ad perpetuos magistratus δημοβόρους & δωροφάγους *coercendos, eas leges reuocare operæprecium esset.*

L.1.3. ff. ad l. Iul. repetun. Plato de ll. lib.12. Magistratus functionis suæ ratione reddant. ἐυθυναὶ. Repetundarum actio. In Orat. post red. Pro Cluentio. Nouell. consti.161.

Qui in magistratu vel legatione, vel officio aliquo, vel munere publico pecuniam acceperit, Lege Iulia repetundarum tenetur. Plato constituit in suis legibus certos magistratus qui εὔθυνοι *dicebantur, hi ab alijs magistratib. ratione exigebant officij, quod Syndicari vulgò, Græci* εὐθύνας *dicunt, Latini veteres repetundarum actionem appellauerunt, vt infrà de iudicijs visitandis dicetur. Ita à præfectis, ab officialibus, legatis, atque omnibus denique magistratibus administratæ functionis ratio exigenda: Sic Cicero, Qua lege, inquit, in eo genere à Senatore ratio repeti poterit de pecunijs repetundis? Et alibi: Nihil minus, inquit, faciendum, quàm ab alio rationem vitæ reposcere eum, qui non possit suæ reddere.*

Censores leges custodiunto moresque regunto. Iustinianus omnes magistratus per solennes quinquaginta dies in prouincia assidere voluit sub publico conspectu, & omnibus actionem intendentibus respondere, antequam magistratu abeant.

Postremò, cum princeps citra συνεργῶν *& ministrorũ operam tàm amplæ curæ solus sufficere non possit, sequatur consilium Ietronis, vt suprà diximus, & asciscat homines Deum timentes, veraces, & ab auaritia alienos, in ministerio fideles: impios autem, ambitiosos, futiles, mendaces, thrasones, crudeles, pleonectas, Midas, corruptionib. obnoxios, præfecturas opesque principales fiduciaria pignoratione occupantes, item ebriosos, gnathones, fumiuẽdos, obtrectatores, vitet, & neq; in aulico ministerio retineat, neq; ad officia admittat. Imitetur doctrinam Psalmi 110. docentem quo pacto politica administratio atq; œconomia instituenda, qualis princeps esse debeat, nempè vt ipse primùm det operam, vt sit innocens, iustus, detestans & puniens scelera: deinde quales ministri asciscendi, puta Deum timentes, modesti, non fastuosi thrasones, sed sobrij & à temulentia alieni, in ministerio vigilantes & fideles, non ad oculum seruientes, non vani nec mendaces, neq; detractores, sed linguæ continentis, ac deniq; incorrupti, vt suprà quoq; de aula instituenda monuimus.* De

De Legibus, Reipub. altero fulcimento & præcipuo. Caput VIII.

HActenus de Magistratu eiusq́ cooperarijs, nunc de Legibus, quas diximus magistratum esse tacentem, & reginam omnium, cui omnes parere par est. Sunt autem & hæ à Deo, nempe à diuinæ mentis sacrario in animos hominum sapientum profectæ, qui eas scripto promulgarunt: Non enim sine diuino numine Moyses Domini exercituum legislator, & post eum Minos, Solon, Areopagitæ ac Decemuiri leges promulgasse creduntur. Cretenses adeò religiosè legibus obseruandis intenti fuerunt, vt Thalos à Minoe substitutus iudex ter quotannis regionem pagatim peruagarit, legesq́ue circumferens, vt omnibus innotescerent atque obseruarentur. Græci quoque nomophylaces instituerunt, qui custodientibus præmium, præuaricantibus pœnam irrogarent. Thalos.

Leges in Republica vel ob id necessarias esse omnes sanæ mentis fatentur, ne Cyclopum in morem ἀθέμιστοι viuant homines. Absque legibus autem humanum genus viuens, nihil à feris differre credidit Plato: Non munitiones quantumuis inexpugnabiles, non societates, non fœdera arctissimè deuincta, non fines quàm latissimè prolati, non congestæ vel Crœsi opes conseruant Rempub. sed diligens & seuera custodia atque administratio Legum, quæ ad rectam rationem constitutæ sunt. Cicero, Mens, inquit, & animus, consilium & sententia ciuitatis posita est in legibus. Nam vt corporis vires absque mentis robore languent, sic ciuitas sine legibus disperit: vnde Cato argutè leges appellat neruos Reipub. his debemus, vt à violentia, à sicarijs, furibus, prædonibus liberi, hoc vinculum dignitatis, qua fruimur in Repub. hoc fundamentum libertatis, hic fons æquitatis. Pindarus legem vocat reginam omnium, & cui omnes parere cõuenit. Martian. Iureconsultus ex Demosthene respondit, leges esse ordinationes & dona Dei, decreta sapientum hominum, hoc est, conseruationem ciuilis iustitiæ. Oportet autem leges inter homines dominari, non contrà legibus homines, in quos cadunt affectus, vt ab Aristotele grauiter dictum: Qui leges præficit hominibus, Deum præficit: qui hominem,

De Legibus in vniuersum. de Legib. 9.

Cicero pro Cluentio.

Leges nerui Reip.

Lex regina omnium.

L. 2. ff. de Leg.

Arist. pol. 3. cap. 7.

De Leg. 4. & Ep. ad Dion. Pausanias. Plut. in Laconicis.

hominem, is beluam praeesse vult, quare magistratus & principes legum ministros appellat Plato. Pausanias rogatus, quare apud Spartanos nullam legem liceret abrogare: Quia, inquit, leges oportet esse hominum dominas, non contra homines Legum.

Leges ordinationes esse diuinas.

Indubitatè igitur statuendum Dei opus esse, quòd homines certis legibus coniuncti in ciuili societate viuant, quòd tàm multi populi vni parent principi Legē custodi, quòd pœnis & iudicijs coërcētur flagitiosi, quòd dominia distincta, & sua cuiq; tuta sunt, quòd res legitimis contractib. atq; cōmercijs vltrò, citróq; ad cōmunem vitā transferuntur. Atq; haec omnia à Deo concedi testatur Sapiens Rex: & Paulus vocat ordinationē diuinā, Plato quoq; diuinā illis tribuit auctoritatē, neq; inconsultis oraculis edendas putauit. Proinde nō audiendos fanaticos homines, qui has ciuiles constitutiones nō esse necessarias existimant: Nihil enim impedit, quo minus Christianus magistratū gerere, & parere suis praepositis & possit & debeat: siquidem sanctos & pietate insignes viros magistratu perfunctos, & Remp. iuxta leges administrasse constat. Dominus Deus ipse, Custodite, inquit, IVDICIA MEA, *quae faciens homo viuet in eis.*

Prouerb. 8. 2. Paral. 20. Daniel. 2. Plato de Legib. 8.

Leui. 18. & 19.

Fons omniū Legum. Genes. 19.

Porrò FONS *omnium Legum ex lege post diluuium à Domino ipso lata manauit:* QVICVNQVE *fuderit sanguinem humanum, illius sanguis fundetur per hominē, quia ad imaginē Dei factus est homo.*

Constitutus homo, nempe magistratus, qui caedes, latrocinia, vim prohibeat, Leges, iudicia tueatur, politicum ordinem conseruet.

In Areopag.

Non decretis sed moribus viuendum.

Magistratus igitur ipse talem se primùm praestet, quales velit esse subditos, deinde ciues exemplo bonos efficiat, ac tum demùm leges instituat, vt Plato docet. Isocrates tradit eos, qui Reip. benè praeesse student, non oportere porticus implere literis, sed animo iustitiam possidere, nō enim decretis, sed moribus commodius gubernari Remp. Cui illud Horatianum suffragatur:

Leges sine moribus quid vanae proficiunt?

Tacit. de morib. Germ.

Plus mores bonos apud Germanos valuisse, quàm Leges, testatur Corn. Tacitus. Prudentis legislatoris est dare operam potius ne quid fiat, quàm vt factum puniatur: Vnde Persarum leges praeuertentes hoc curant,

runt, ne homines initiò tales sint, qui praua alicuius rei aut turpitudinis patrandæ desiderio teneantur.

Xen. pæd. 1.

Plato legem viuam appellauit bonum principem & ciues bonos.

Lex viua bonus princeps.

Legum officium est, vt homines virtutem ament, vitia oderint.

Legis virtus est imperare, vetare, permittere, punire, vt Modestin. respondit.

De Leg. 4. & 9. Legis officiũ. Legis virtus. L. leges. ff. de Legib.

Leges cancelli sunt constituti malis ne transiliant, inquit Isocrates.

Isocrates de regno.

Leges politicæ omnes ad regulam sacrarum literarum, tanquam ad Lydium lapidem examinandæ, in primis autem ad hanc: QVOD TIBI NON VIS FIERI ALTERI NE FECERIS. *Qua sententia sic delectatus Alexander Imperator, vt eam in palatio & publicis operibus præscribi iuberet.*

Leges ad sacræ scripturæ regulam examinandæ.

Alexander Imp.

Leges quæ feruntur sint commodæ, & ad communem vtilitatem tanquam ad peculiarem scopum dirigendæ, atque his contrariæ sunt abolendæ, aut non recipiendæ, vt Imperator Anastasius sanciuit.

L. vlt. C. si cõtra ius publ.

Iura constitui oportet in ijs quæ frequenter fiunt, ἐπὶ τὸ πλεῖστον, οὐκ ἐκ τοῦ παραλόγου *Pomponius respondit.*

L. 3. ff. eo.

Sint leges vtiles sibiq́ consentientes, & quæ ambiguitatis minimum habeant.

L. in ambiguis. eo.

In ambiguis ea potius significatio accipiẽda quæ vitio caret, quæq́ rei gerẽdæ aptior: præsertim cùm volũtas ex hoc colligi possit, Celso respondẽte.

L. quod ius de reg. iur.

Leges sint paucæ & breues: nam è multitudine perniciem Reip. oriri Plato censuit: Et legum multitudinem indicium esse malè administratæ Reipub. dixit Isocrates. Quemadmodum vbi multi medici, ibi & morbos multos esse Archelaus affirmauit.

Leges paucæ sint. Plato de Leg. 4.

Leges non modò scribendæ in Rep. sed earum etiam adhibendi custodes, hoc est, νομοφύλακες: *frustra enim leges condi nisi de stabilitate cogitetur. Iustinianus Leges, inquit, non tantùm decenter ferre bonam, sed sancita quoq́ accuratè custodire, & ad effectum deducere, atq́ trãsgressores competentib. pœnis subijcere. Quæ enim legum vtilitas in libris tantum consistens, ac nõ etiã per ipsa facta subditis vtilitatem de se præbeant?* οὐδὲν ὄφελος τοὺς νόμους ὑπὲρ πολλῶν κεῖσθαι, εἰ τοῖς ἀπειθοῦσι ἡ παρ' ἡμῶν ὀργὴ τῶν

Custodes Legibus adhibendi.

Nouell. cõst. 161.

Legum transgressores puniendi.

κυρίων

κυρίων μὴ γενέσθαι,inquit Demosthenes. Athenienſibus obijci ſolitum, quòd ſcribendis magis quàm obſeruandis legibus animum intenderent.

Leges non ſint aranearum telis ſimiles.

Prouerb. 13.

Leges non ſint aranearum telis ſimiles, vt Anacharſis dixit, quas valentiores diuites freti viribus & opibus perrumpunt, Legesque eludunt, imbecilliores & inopes præſidijs deſtituti legum caſsibus inoluuntur. Sic Salomon: Redimunt, inquit, vitam diuitiæ, & egenus fert increpationem.

Leges pro locorum varietate diuerſæ.

Plato de Legib. 9.

Leges non vbique ſimiles eſſe ſemper neceſſe, ſed pro regionum & morum diuerſitate diuerſæ eſſe poſſunt, & tanquam pharmaca, vt inquit Plato, pro morborum varietate ferendæ: aliæ enim Gallis, aliæ Germanis & Italis propter morum diuerſitatem. Id quod cùm in pluribus alijs tum in feudorum conſuetudinibus liquet.

Legum mutatio periculoſa.

De Repub. 4.

L. ſi in aliquã ff. de off. procon.

Leges non facilè mutandæ ſunt: eſt enim omnis mutatio periculoſa: Siquidem qui leges mutat, quaſi morbos curare volens alios excitat, aut quaſi hydræ capita reſecat, vt Plato in ſuis Legibus canit, & Vlpianus reſpondit. Cui accedit illud Sapientis: Qui diruit ſepem, mordetur à colubro.

Leges cum religione mutari Plato teſtatur. Sic per Chriſti religionem Moſaica Lex mutata: mutato enim Sacerdotio legis mutationem fieri. Heb. 7.

Leges Deo & naturę repugnantes non ſunt ratæ.

Daniel. 6.

Act. 4.

Iniquæ Leges, maximè autem quæ cum diuinis oraculis ac naturæ legepugnant, non ſunt ratæ habendæ, ſed mandatum Dei ſemper humanis legibus anteferendum, vt declarat Daniel, & Apoſtolica quoque ſententia: OPORTET DEO MAGIS OBEDIRE QVAM HOMINIBVS.

L. non nouũ. ff. de Legib.

Leges priores ad poſteriores trahendas eſſe Paulus reſpondit.

Leges poſteriores prioribus derogare.

L. ſed & poſteriores. ff. de Leg.

In Hippolyto Coronato.

Contrariæ ſi reperiantur leges, conſtat prioribus nouiſſimas derogare, vt idem Iuriſconſultus reſpondit: idque non ſolùm in legibus, verum etiam in pactis, procuratorijs, iuramentis, interlocutionibus, teſtamentis, legatis, fideicommiſsis, contractibus, alijſque omnibus ferè iuris partibus conſtat nouiſſima prioribus derogare. Poſterior, inquit Euripides, cogitatio melior & ſapientior.

Leges in futurum prospiciunt, vt in posterum prosint, in præteritum indulgeant, Vlpian. L. cùm lex, eo.

In ambiguitatibus quæ ex legibus proficiscuntur consuetudinem, aut rerum perpetuò similiter iudicatarum auctoritatem, vim legum obtinere debere, Paulus respondit. L. cum Imperator. ff. de Legib.

Consuetudo optima Legum interpres. L. si interpretatione, eo.

Quæ longa consuetudine comprobata, non minus quàm scriptæ leges obseruandæ, Hermogen. respondit. Cõsuetudo. L. sed & ea. L. diuturna. ff. de Legib. & const.

De quibus caussis scriptis legibus non vtimur, id custodiendum, quod moribus & consuetudine introductum, Iuliani responsum. L. de quibus, eo.

Consuetudinem inueteratam tradunt, quæ sit rationabilis & præscripta per decennium, duorum ad minus exemplorum testimonia comprobata, vt ex Alex. & Leo. Impp. rescripto liquet. L. 2. C. quæ sit lõga cõsuet.

Nullum consuetudinis esse momentum aduersus legem & rationem, Constant. Imperator rescripsit. L. vlt. C. de præscr. long. temp. L. de quib. L. diutur. ff. de ll.

Consuetudines perniciosæ, vel potius corruptelæ, nullo temporis interuallo confirmantur. Vulgò dicitur: Consuetudo grauissimus tyrannus, sæpe iniusta pro iustis obtrudens. Auten. habita. C. ne fil. pro patre.

Statuta, vulgus scriptam consuetudinem vocat, vel leges municipiorum, ea æqui & boni moderationem habeant, inquit Celsus. Statuta. L. si seruũ. §. sequitur. ff. de verb. obl.

Externorum consuetudines & statuta nosse operæpræcium: nam sine his nunquam perfectam Remp. existimat Plato. Plato lib. 12. de Legib.

Cùm nihil naturæ humanæque societati magis necessarium, quàm quæ mutuo consensu & contractu legitimo paciscuntur homines, vt ea religiosè seruentur; Et quia his sublatis omnia humanæ societatis vincula concidere necesse est. Quare Paulus Apostolus pactorum violatores inter extremæ impietatis notas execratur. L. si empt. ff. de act. empt. Rom. 1.

Publicè quoq; expedit suprema hominum iudicia exitum habere: Nihil enim quod magis hominibus debetur, quàm vt supremæ voluntatis, postquam aliud velle non conceditur, liber sit stylus, & ratum quod iterum non redit arbitrium, vt Constantinus Imperator rescripsit. L. 1. C. de sacr. Eccl.

De custodia Legum, rerumq; tàm Ecclesiasticarum quàm politicarum. Cap. IX.

Principum imago. — *IMperatores Germani apud maiores pingi solebant tenentes altera manu librum, altera gladium, quasi legum & armorum peritia instructi esse deberent. Expendat igitur princeps & magistratus se custodẽ & executorẽ esse legũ ac disciplinæ, neq; solum vt flagitia externa cædes, furta, adulteria, libidines, falsa testimonia, imposturas coërceat, verùm etiam religionem tueatur quantùm ad externã disciplinam pertinet.* Religionis conseruatio ad magistratus pertinet. *Etsi enim gladius corporalis magistratui commissus non efficit in animis pietatem, tamen disciplinæ causa prohibere debet externas contumelias religionis & verbi Dei, Deus enim præcepit magistratibus, vt verbo Dei obediant atq; id propagare studeant: Et nunc, inquiens, reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Osculamini filium, &c.* Psal. 2. Donatistæ. *Donatistæ cùm quererentur se iniquè à magistratibus puniri in causa religionis, Augustinus fretus* Augustinus. *authoritate huius loci è Psalmo affirmauit omnino magistratus officij esse, vt impios cultus & errores coërceret, quales sunt hæreses, blasphemiæ,* Exod. 18. Exod. 28. & d. Moses. Esdræ 2. Neemias. 4. Reg. 16. Achaz. eod. cap. 5. 2. Paral. 19. Dan. 4. & 6. Nabugodonosor. 4. Reg. 18. Darius. Ezechias. Constantinus. C. de Iudæ. & cœli. C. de paga. l. 1. & 2. C. de hæret. l. 1. *periuria, magicæ artes, Sacramentorũ prophanationes, statuarũ adoratio, & id genus peruersa dogmata et superstitiones impiæ: Quomodo, inquiens, reges Domino seruiẽt in timore, nisi ea, quæ iussu Dñi fiunt, religiosa seueritate prohibẽdo ac plectendo? Quare si nostra ætate idẽ curẽt principes nõ id nouo fit exẽplo, sed iam inde à patriarcharũ Monarcharumq; initio vsurpato, Ietro cõsuluit Moysi, vt ad populũ referret de cæremonijs & ritu colẽdi Deum, iussu Moyse Aaron põtifex cõstitutus, Esdras à Neemia: Pontifices & sacerdotes ex authoritate regũ, quæ ad religionẽ pertinebãt exequebãtur, Achaz præcepit Vria vt ædificaret altare, rex præcepit Helchiæ, vt proijceret omnia vasa Baal: Salomon ordinauit sacerdotũ officia & vices certas. Et nõ sunt trãsgressi de mãdatis sacerdotes & Leuitæ. Nabugodonosor & Darius Medus edicta proposuerunt, quib. vetabant blasphemari Deũ Israeliticum: Ezechias superstitiones & abusum ænei serpentis abrogauit, Et in nouo Testamẽto Cæsares, Constantinus, Valetinianus, Theodosius, cultũ idolorum legib. prohibuerunt, & capitales pœnas statuerũt, si quis palàm sacrificaret, templa idolorũ dirui iusserunt: Adde*

Cæsares

Cæsares aduersus falsa dogmata synodos Episcoporũ cõuocasse, Constantinus ad conciliũ Nicænũ plus trecẽtos Episcopos cõuocauit, Athanasiũ accusantes increpat. Cõstantius quoq;, Theodosius et Martianus cõcilia œcumenica indixerũt: Imp. Iustinianus existimauit nõ solũ ciuilis administrationis sibi curã demandatã, verũ etiã religiõis et sacrarũ regularũ solicitudinẽ: Si, inquiẽs, leges ciuiles, quarũ potestatẽ fidei nostræ Deus cõcredidit, per omnia firmas ac stabiles conseruari ad subditorũ securitatẽ studemus: quãtò plus studij dabimus circa sacrarũ regularũ et diuinarũ legũ obseruationẽ, quæ pro salute animarũ nostrarũ definitæ & cõstitutæ sunt? Et mox iterum: Si, inquit, generales leges, quæ perperã à laicis admittuntur non concedunt sine inquisitione & vindicta relinqui, quomodo ea quæ à sanctis Apostolis & patrib. ad fidelium salutẽ disposita sunt, despici sustineamus? Hac officij auctoritate fretus idẽ Imp. leges tulit de summa Trinitate et fide Catholica, de sacrosanctis Ecclesijs, de Episcopis & Clericis, de monachis, ascetrijs, de hæreticis, & alijs plurimis religionis nostræ negotijs. Ad eundẽ modũ Theodericus Romæ in causa Symmachij, Carol. Magnus et Ludouicus Imperatores cõuocatis Episcopis & clericis eis leges præscripserunt. Nam cùm tres sint in Rep. ordines, politicus, ecclesiasticus, & œconomicus, Deus cõstituit Mosen et Aaronẽ fratres, qui in suo populo Remp. & Ecclesiam administrarẽt, indicare volens inter illos duos ordines summam concordiam esse debere, vtriq; eundem finem præscribens Doctorib. Ecclesiarum, vt ex Dei verbo docerent, quæ ad verum Dei cultum, pietatẽ vitaq; innocentiã pertinent, Magistratus sua auctoritate doctrinã veram tueretur, aduersarios coërcet. Hoc auspicio vtraq; functio sub Dauide ac Salomone, et in nouo Testamẽto imperantib. Constantino & Theodosio & alijs quã diu cõcordia cõseruata administratio felix floruit: Nã sic Cõstantinus ad Episcopos, Vos, inquit, eorum quæ intra Ecclesiã geruntur inspectores, ego verò eorũ quæ foris geruntur Episcopus cõstitutus à Deo, ὑμεῖς δ' εἴσω τῆς ἐκκλησίας, ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ θεοῦ καθεστάμενος ἐπίσκοπος.

Tripart. hist. lib. 2. & lib. 10.

Iustinianus. Nouell. constit. 123.

In Codice & Nouell.

Tres ordines in Rep.

Euseb. lib. 4. Vitæ Constantini.

Interim hic cauendum principibus & magistratibus, ne in messem alienam falcem mittant, neq; metas transiliant, hoc est, ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδῶσι: sed quæ Dei sunt Deo tribuant, & quæ Cæsaris Cæsari.

Matth. 22.

Caeterùm quia principes à Propheta vocantur nutricij Ecclesiæ, eam

Principes Ecclesiæ nutritij. Esa.49. *tueri debent, & ministerium Euangelij promouere, vtque doctrina Christiana purè tradatur, Sacramenta legitimè iuxta* CHRISTI *institutum administrentur.*

Leges Ecclesiasticæ. Stipendia ministris Ecclesiæ deberi. 2. Corinth. 6. 2. Thess. 3. Syrach 39. *Curent vt Ecclesiæ suos habeant Episcopos, parochiæ quæq; suos pastores & ministros, ijsq; idonea stipendia dispensentur: dignus enim operarius mercede. Et quanquam Paulus operando victum sibi pararet, ne cuiquam grauis esset, id tamen exemplum Ecclesiæ ministris non præiudicabit, quo minus stipendia ijs debeantur: quod ipsum Paulus testatur, & Iesus Syrach docet, eum qui prophetiæ vacat non posse alijs astringi laboribus.*

L. si quenq. C. de Episc. & Cl. *Sacerdotia, præsertim Ecclesiarum curæ destinata, neq; indoctis neque vitiosis, neque vni plura committentur, neque ab inutilibus fucis nequiter cum ignauia facultates Ecclesiarum absumantur.*

c. execrabilis. de præl. & dig. *Magnus abusus & sacrilegium ingens, quòd principes ministris, & ad gratiam ministrorum ac nobilium, sacerdotia & Ecclesiæ stipendia hominibus ineptis & otiosis conferant.*

De Simo. & ne præla vices. f. c. nonnulli. de cle. non ras. *Non tolerentur sacerdotiorum dinundinationes, sed grauissimis pœnis coërceantur, iuxta constitutiones Cæsarum & Pontificum.*

6. q. 1. c. quare ergo. §. porrò. & d. *Simoniæ crimen magna atrocitate exterminandum, vt Pontifices ipsi constituerunt, nam eius criminis obnoxij à quibuscunque personis perinde atque hæretici & publici criminis rei accusari possunt.*

Verus vsus bonorum Ecclesiæ. Ecclesiarũ bona nõ rapienda ad profanos vsus. c. gloria, & c. aurũ 12. q. 2. Heliodorus. 2 Macchab. 3. Onias. Ioseph. περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ, c. 3. *Vt ministri Ecclesiæ suo quiq; officio perfungantur, eiq; rei inspectores cõstituantur, paucioribus. Ecclesia indigeret Clericis, & Ecclesiæ facultates vtiliter magis dispensarentur, si singuli necessarijs & proprijs vacarent ministerijs. Iura & opes Ecclesiarum diligenter ad suum vsum conseruentur: Et ex harum dispensatione ministri Ecclesiarum ac Scholarũ, item pauperes, viduæ, orphani alantur, captiui redimantur. Nõ sunt Ecclesiarum patrimonia ad luxum principũ rapienda et dißipãda, neq; purpuratis ad suum fastum augendum largienda, imò sacrilegium omniũ maximum existimandum, vt patrum canones testantur, et à Deo seueriter vindicari exemplo Heliodori terribiliter diuinitus percußi, quòd Ecclesiæ thesaurũ diripere tentauerat, quę pius Onias pauperũ, viduarũ & orphanorum deposita esse cõtendebat, παραθήκας εἶναι χηρῶν τε καὶ ὀρφανῶν, vt testatur Ioseph.*

De bo-

De bonis ac prouentibus singularum Ecclesiarum ab œconomis rationes exigendæ singulis annis, idque præsentibus præcipuis parochianis & magistratu aliquo, curandumque vt ritè in pios, & eos, quos diximus, vsus dispensentur, ornamenta & κειμήλια conseruentur, ædificia sarta tecta præstentur à Cimeliarchis. Rationes de bonis Ecclesiarum.

Horrendum & perspicuum Antichristi proludium, quòd principes religione tanquam gladio Delphico vtuntur, eam ad suas vtilitates flectunt, suis affectibus & voluptatibus seruientes, diuina humanis, vera falsis miscentes, de religione ludunt: quemadmodum de Ieroboam, cuius vestigia secuti Israelitæ, & de Antiocho typo Antichristi testatur sacra historia, & Oseæ vaticinium. Religio principibus tanquàm gladius Delphicus. 1. Machab. 6. 2. Machab. 5. Oseæ 3.

Curent principes, vt in hac negligentia Episcoporum mundanis negocijs occupatorum, doctrina Christiana & disciplina pietatis tàm ministrorum Ecclesiæ quàm populi conseruetur. Designentur inspectores viri sacrarum literarum & iuris periti, quibus iudicia Ecclesiastica committantur in religionis controuersijs, vt mox de Ecclesiæ iudicijs dicetur. Inspectores.

Non tolerentur vulgò disputationes de religione ac de magistratibus, vt Martian. Imperator rescripsit: sed si dubitatio incidat, consulantur pastores, vel referatur ad inspectores & iudicia Ecclesiastica ac Synodos. Non tolerandas vulgò disputationes de Relig. l. 3. C. de sum. trinit. & ibi Alciat. Naz. de moderan disp.

Synodi quotannis bis adminus ab Archidiaconis, aut si ab his negligatur à Decanis ruralibus aut Archipresbyteris aut Chorepiscopis seruentur, in quibus iuxta Apostolica & Prophetica scripta exigatur doctrinæ atque Sacramentorum administratio, de ceremonijs, de disciplina tàm cleri quàm populi laici inquiratur, errores & impiæ sectæ extirpentur. Synodos seruandas.

Publica offendicula adulteriorum scortationum, lenociniorum iuxta Christianas regulas coerceantur ac tollantur. 1. Cor. 5. Eph. 5. Heb. 13.

Controuersiæ matrimoniales, diuortiorum, & similium perplexitatum per Ecclesiasticos iudices vel inspectores dirimantur.

Clamdestini matrimoniorum cõtractus, & citra parentum vel eorum qui parentum loco sunt, non ferantur, iuxta Can. Euaristi, quem canonem in vsum reuocare conueniret. 30. q. 5. c. 1. & 2

1.Cor.7. *Maturæ ætatis liberi matrimonio iungantur: præstat enim nubere quàm vri aut scortari.*

Lactant.lib. 6.cap.23. Lupanaria non ferenda. L.1.ff. de concub.§.vlt. Horat.lib.1. Sermo. Satyra 2. Deuter.23. 1.Cor.5. Ephes.5. Hiero. in Epitaphio Fabiolæ. *Lupanaria, quæ Diabolo auctore instituta, vt Lactantius testatur, etsi canones & leges, quemadmodum & cõcubinatum dissimulatione permittunt, vitandi adulterij, incæstus, & deteriorum criminum causa, & Cato ethnicus, vt est apud Horatiũ, suasisse videtur: attamen cùm omnis fornicatio à Domino & Mosaica & Euangelica lege grauissima comminatione prohibita sit, & exemplis seuerissimis punita, hæ mulierum prostitutiones & lenocinia omnia è Repub. Christiana explodenda sunt: Aliæ sunt leges Cæsarum & ethnicorum, aliæ Christi, aliud Vlpianus, aliud Paulus Apostolus præcepit. Apud illos impudicitiæ fræna laxãtur passim, & solo stupro & adulterio cõdemnato passim per lupanaria & ancillulas libido permittitur, quasi culpam dignitas faciat, non voluntas, vt Hiero. testatur. Quòd sicubi omnino tolli non possint lupæ, saltem notabili veste ab*

L.5.C. de Episc. aud. & Const. Imp. Aug. anno 30. *honestis matronis discernantur, vt ab Imper. quoq; sancitum. Dio Chrysostomus prorsus negat stupra & prostitutiones etiam seruiliũ corporum in Rep. ferenda, quod cõmuniter omne genus humanũ honorabile, eodemque dignum honore à creatore Deo conditum sit, eademq; symbola habens vt iustè honoretur, idq; etiam iuxta rationem rerum pariter turpium ac honestarum: Cui accedit, quod difficile sit libidini per licentiam alitæ modum aliquem inuenire, quem non amplius abiecto timore transgrediatur.*

Blasphemiæ. *Blasphemiæ, execrationes, diræ imprecationes, iuramenta temeraria, comminatione grauissimarum mulctarum abrogentur.*

Superstitiones. L.1.§. medicos.ff.de var. cog. *Iuramenta leuia, & quæ peierandi occasionem præbent, qualia in Academijs & in iudicijs calũniæ, malitiæ ac similibus negocijs imponi solent, ad sacræ scripturæ & Imperatorum constitutiones moderentur.*

L.eorum.§. nullis.C.de malef.& math. Deut.18. L. multi. C. de math. *Superstitiones, incantationes, magicæ artes, seueriter puniantur. Veteres leges magicis plusculum tribuisse videntur quàm Christiana religio ferat: Etsi enim nemini nocent artes magicæ, non tamen minus puniendi qui illis vtuntur, vel dæmonum præstigijs sibi illudi patiuntur, vt Mosaicis & Christianis legibus cautum.*

Exorcismi. *Neque minus puniendi, qui execrationibus & exorcismis populo illudunt,*

dunt, verbum Dei ad transferendas creaturas in aliū vsum ad quem nec creatione nec singulari Dei ordinatione institutæ sunt vsurpantes, quæ impostura adeò iam recepta, vt etiam presbyteri & plerique pastores illis non vereantur vti, & credulo populo illudere. Liberi vetiti. Actor. 19. L mathematicos. C. de Ep. aud.

Libri curiosarum artium, vel potius præstigiorum conquiri debent, & aboleri non modò exemplo Romanorū, qui etsi ethnici essent, tamen Mathematicos & incantatores Senatusconsulto Italia pellendos, & eorum libros concremari voluerunt: verùm etiam quod in Actis Apostolicis legimus, immensæ æstimationis libros curiosarum artium igni traditos ab Apostolo. Et Imperatores Honorius & Theodos. cōstituerunt, eos libros sub Episcoporum oculis flammis concremandos.

Libros vetitos dolo malo aut imprimentes aut vendentes, & famosa scripta edentes legitima pœna mulctentur. Vlp. l. 5. §. vlt. ff. de iniur. & libell. fam. C. eo. l. 1.

Stationarij illi quæstores, qui velut Eleusinæ sacra circumferunt Huberti, Antonij, Bernardi, Anastasij reliquias vel imposturas potius populo vendidantes iuxta constitutionem Imperialem explodantur: Ad eundem modum concursus ad statuas, & earundem lustrationes coerceantur. Stationarij. Augustana constit. anno 1500.

Item sectæ peruersæ, hæreses, pacis publicæ turbatores, sancitis in hoc pœnis vindicentur. Sectæ.

Disciplina seruetur in Ecclesia, vt publicis offendiculis obnoxij à communione Sacramentorum arceantur, donec resipiscant, manifestumque dent melioris vitæ specimen. Disciplina Ecclesiastica.

In hunc vsum Excommunicatio, vt neruus Ecclesiasticæ disciplinæ maximè retineri debet. Excommunicatio.

Clauium vsus diligenter retineatur, abusus tollatur. 1. Cor. 5. Clement. 1. de sent. excom.

Iudicia in Ecclesia necessaria sunt, in quib. de doctrina de hæresibus, de perplexitatib. matrimoniorū, diuortiorum, de iureiurando, de adulterijs, deq́; offendiculis ac similib. casibus cognoscatur. Hæc olim in cœtib. Ecclesiarū magna grauitate tractabantur, vt testatur Tertull. Iam hæ arduæ causæ vni officiali cōmittuntur, homini plærūq́; sacrarū literarū, sine quibus hæc definiri rectè non possunt, non solum imperito, verumetiā vita & morib. corrupto. Collegia Canonicorū, vbi & Archidiac. sunt, his iudicijs Clauium Ecclesiast. vsus. Iudicia Ecclesiæ. Tertull. Apolog.

non

non essent incommoda, si huc homines collocarentur eruditi, vti olim ad conseruationem doctrinæ ac disciplinæ sunt instituti, Et Archidiaconi, qui Episcoporum oculi sunt, tales essent, vt pro dignitate his iudicijs præsidere possint.

Archidiaconi. c. Adhæc. de off. archid.

Collegia Canonicorum.

Collegia Canonicorum tolerabiliora essent, si ad veteres canones reformentur, nempè vt sacris literis vacarent, vt per eos pia doctrina & disciplina conseruaretur: præpositi, archidiaconi, decani, Scholasteres suis officijs responderent, & ad eam formam ac functionem se componerent, quam veteres canones præscribunt.

60. & 61. dist.

Constitutum, vt esset in Collegijs Theologus, qui concionaretur populo, & alter qui canonicis iunioribus atque etiam prouectioribus sacras literas interpretaretur, imprimis psalterium, ac Prophetas, & Apostolorum scripta: nimirum vt quæ quotidie in templis recitantur & cantantur, intelligant, iuxta concilium Lateranense: Iam multò satius esset, vt parcius cantarent, & frequentius ad lectionem atque explicationem scripturarum conuenirent.

c. 1. de magistratib.

Monasteria.

Monasteria, vt essent scholæ vtriusq; sexus & sodalitia καὶ ἀσκητήρια pietatis, à superstitionibus & abusibus, quibus nunc obnoxia, libera: Quòd si ad hunc modum reformarentur, Reipub. Christianæ essent vtilissima: nimirum si quæcunque legunt psalluntúe, è Canonicis scriptis essent deprompta: Siquidem in Ecclesia nihil recitandum, nisi eo penu desumpta, vt testantur canones Concil. Africani atque Laodicen. Exercitia fierent in monachorum sodalitijs declamationum Ecclesiasticarum, vt hinc velut è viuarijs Ecclesiarũ pastores peti possint quoties opus. Abbas Spanhimensis testatur monasteria vetera fuisse scholas sacrarum, aliarumque bonarum omnium disciplinarum, habuisse doctores in omni doctrinarum & linguarum genere exercitatissimos, Vnde factum, vt veteribus Abbatijs tanquam instrumentis conseruandæ doctrinæ tàm multæ Ecclesiæ commissæ.

Concil. Laodicen. c. 59.

Abbas Spanhi. in Chronico.

Non permittendi monasterijs priuati carceres propter tyrannidem, quam sæpe in innocentes exercent.

Ascetriarum monasteria.

Puellarum τῶν ἀσκητριῶν monasteria diligenti opus habent reformatione.

tione. Magno animarum periculo inuitæ in monasteria detruduntur, maiori periculo inibi repugnante conscientia tanquam feræ indomitæ ferreis cancellis retinentur. Nullus coactus cultus Deo placet: Frustra me colunt, &c. Quare præstaret liberas esse professiones, & quales primitiuæ Ecclesiæ fuerunt. Arceantur lasciuientium colloquia & cõmessationes, lusus ac saltationes: Non permittantur citra auctoritatem superiorum atque parentum aut propinquorum exire: Habeant concionatorem grandæuum, pium, eruditum, qui sacras literas, non aniles fabulas monachorum doceat: nihil & ipsæ legant psallantúe nisi è sacris & Canonicis scripturis depromptum, & ea lingua quam intelligant. Oeconomum habeant laicum, qui quotannis Capitulo præsentibus aliquibus à magistratu rationem prouentuum expensarumque reddat. Psalm. 54. Matth. 15.

Si ad id vitæ institutum reformari possent monasteria, quod Hieronymus describit, cùm aliàs tum ad Rusticum, atque in Epitaphio Paulæ, & qualia à Chrysostomo & Basilio atque Possidonio in vita Augustini depinguntur monastica exercitia: sic & vtilitatis & pietatis plusculum haberent, & libentius multi amplecterentur.

De Scholis, Cap. x.

IVuentutem instituere summum munus in Repub. Plato ciuitates hortis amœnis comparare solebat, in quibus nisi holitor antequam frugiferæ arbores fulmine aut grandine dißipatæ vel vermibus corrumperentur, nouellas inserat, luxuriantes præscindat, surculos distortos corrigat, hortus dispereat necesse est: Ita si proceres, si magistratus, decuriones in ciuitatibus interierint, quos in illorum tribunalia surrogabimus si desint Scholæ, in quibus liberi in timore Dei & moribus ingenuo homine dignis imbuantur, & præcocia illorum affectibusq́ obnoxia ingenia coerceantur, vitia corrigantur, quid aliud sperandum, quàm vt Roboam regis regnum desolatum iri: nam cùm hæc sit seges Reipub. ea si negligatur, quæ speranda meßis? Imprimis autem conuenit supremæ nobilitatis liberos accuratius educare: quòd quo illis maiora obeunda Reipub. munia, eò Scholæ. Cic. de diuinat. Iuuentus seges Reip.

plus eosdem sapere, & diligentius educare par est: felicesq́ tum fore Resp. si docti & benè instituti Reip. præsint. Proinde Persæ cõquisitos è toto regno quatuor viros eruditione & morũ grauitate reuerendos delegerunt, quos regijs & nobiliũ liberis præficerent. Pudere nos decet ethnicos maiorem educationis curã habuisse quàm nos Christianos, quib. id peculiariter à Deo mandatũ: quare Scholarũ præcipua ratio habenda. Diligenter instituẽdi & conseruandi ludi literarij. Asciscendi eruditi magistri & institutores iuuentutis, cõferenda stipendia honesta: id enim est Christo sternere vestimenta. Pauperes scholastici, in quibus ingenij specimẽ & indoles honesta elucescit, vel à pijs priuatim, vel è publico in studijs honestis prosequendis, cùm ad Ecclesiæ tùm ad Reip. curã conseruandam, alendi & sustentandi. Nobiliũ & honestorũ ciuium liberi honestis disciplinis imbuantur, & quorũ parentes inopia aut proliũ numero onerati, vt pro dignitate liberos educare non queant, ij liberalitate principum aut aliundè quæsitis piorum subsidijs adiuuentur, & ad honestum vitæ genus instituantur, maximè ad bonorum stemmatum conseruationem: Nam Reipub. interest familias honestas conseruari, vt Vlpianus respondit.

Persarũ institutum de nobilium liberis instit.

Matth. 21.

Qui ad gubernacula sedent, inspicere debent ciuium subditorumq́ studia, atque operam dare, vt piæ & vtiles artes doceantur, vt bona scripta legantur: hæc enim formant mores ac iudicia populi. Inutilia reijciantur. Et interest Reip. ne quæuis scripta vel publicentur vel recipiantur, citra magistratuum auctoritatem & censuram.

L. 1. §. sed etsi seruus ff. de ven. inspic.

Meminerint principes harum rerum publicarum solicitudinem sibi concreditam, atq; ideo deos appellari, quòd rerum diuinarũ, religionis, pacis ac disciplinæ conseruatio illis commissa sit, exemplo piorum Ezechiæ, Constantini, Iustiniani, Caroli Magni, & similium principium, vt paulò antè diximus. Indignissimum autem heroico genere metu vel ignauia, vel deniq; vtilitatis alicuius priuatæ spe veram ac muneris à Deo iniuncti functionem deserere. Quin potius vocatione sua freti officio perfungantur, confidantq́, & intrepidè omnem fortunam operiantur, securi de euentu, quem Deus haud dubiè fortunabit: Iustus vt leo confidens, impius nemine persequẽte fugit. Iustus in æterũ non cõmouebitur: Ab auditu malo non

Magistratus Dij appellantur.
Psal. 82.

Magistratus officio suo fungatur, certus à Deo iuuari.
Psal. 112.

lo non timebit, firmum cor eius confidens in Domino, vt suprà quoque admonuimus. Tenenda regula: OPORTET DEO MAGIS *obedire quàm homini. Constantinus iussit claudi templa idolorum, & doceri Christum, frementibus & bellum contra mouentibus Licinio & Maxentio: at Dominus concessit gloriosam victoriam officio perfungenti. Daniel contempto edicto regis crudelissimo apertis fenestris in cœnaculo confitetur Deum verum securus de auxilio diuino, quo etiam conseruatus. Nicomedensis nobilis quidam eadem fiducia discerpsit edictum impium Diocletiani aduersus Christianos propositum, vt testatur historia Ecclesiastica.*

Act. 4. Euseb. hist. Eccles. lib. 9. cap. 9. & Sozomenus, lib. 1. Daniel. 6. Euseb. lib. 8.

Pauperum cura. Cap. XI.

H*Vc quoque pertinet pauperum & miserabilium personarum cura: quanquam hæc & ad charitatis religionem, & ad politicam* ευταξίαν *piè constituendam referri potest principibus & magistratibus peculiariter commendata: Inq; eum vsum olim à pijs principibus instituta ptochotrophia, orphanotrophia, brephotrophia, genontocomia, nosocomia, xenodochia, eiusq; generis miserorũ receptacula, quæ & leges ciuiles & Ecclesiastici canones diligentissimè à magistratib. curanda sanciuerunt, nimirum vt membra nostra inopia pressa, pueri parentib. destituti, expositicij, senes, languidi, peregrini cõfoueantur atq; alantur: eodem pertinet leprosorum, furiosorum, perpetuis & contagiosis morbis obnoxiorũ, ac reliquarum miserabiliũ personarum cura: adde captiuorũ sub Turca redemptio. Quæ omnia primũ à Domino ipso nobis tàm sedulò cõmendata, deinde ab Apostolis patribusq; ac Imperatorũ legib. promulgata sancitaq;. Hieronymus scribit, Fabiolam nobilissimã fœminam omnẽ cẽsum, qui amplissimus erat, in vsus pauperũ cõuertisse, & primã omniũ νοσοκόμειον instituisse, in quo ægrotantes colligeret de plateis, & cõsumpta laborib. atq; inedia miserorum membra foueret: Quoties, inquit, morbo regio & pedore confectos humeris suis portauit? Quoties lauit purulentam vulnerum saniem quam alius accipere non volebat? præbebat cibos propria manu, & spirans cadauer sorbitiunculis irrigabat.*

Politicæ Leges. Pauperum & miserabiliũ cura ad magistratus pertinet. C. de Epis. & cle. l. orphanotrophia. l. omnis. l. si quis. Fabiolæ in pauperes cura. In Epitaph. Fabiolæ.

Tiberius II. *qui & Constant. dictus, à Iustiniano adhuc viuo ob virtutis*

Tiberius II. Imp.

Paul Diacon lib. 18. in Iustiniano. *præstantiam ad imperium ascitus adeò multa distribuit ad alendas pauperes familias, vt à Sophia Iustini vidua reprehenderetur, quòd facultates Imperatorias exhauriret. Deus mirandis modis eam liberalitatem compensauit: Nam cùm auream crucem marmori insertam in terra leuari iubet, nolens eam pedibus calcari, ingentem sub ea thesaurũ reperit. Quibus & alias fortunas simul & victorias adiecit ei Dominus, quibus beneficia in pauperes ab eo collata compensaret.*

Olim principes & priuati opulentiores horum imitatione domos & loca pauperum pietati consecrata extrũxerunt amplissima. Constantinopoli vltra tria millia pauperum è publico alebantur catalogo inscriptorum Chrysostomus refert: Et in Italia, Germania, Gallia, amplissimis prouentib. locupletata pauperum ac laborantium hospitalia visuntur, sed quæ non vbiq; pari fide ad verorum pauperum vsum dispensantur. Monasteria hospitalitati pauperum dicata, iam potentiorum & prædonum hospitijs seruire cogũtur, maximè his quos pudor à mendicando deterret.

Pauperũ tria millia è publico alebantur Constantinopoli. Chrysost. homil. 67. in Matth c. 20. Monasteria & hospitalia iam prædonibus & potentib. seruire coguntur. Matth. 6.

Exquirendum curent principes sicubi pauperes, qui vel morbis vel liberorum turba pressi, vt illis secretò suppeditentur necessaria. Sicubi pueri bonæ indolis, vt subsidia studiorum tribuantur: item viduis, pupillis scholis stipendia destinentur.

Et quanquam secretò & sinistra nesciente quæ dextra tribuat, largienda: interim quacunque proficiscitur princeps, nemini stipem deneget, quo alios exemplo prouocet. Habeat suos eleemosynarios, homines exploratæ fidei, per quos largiatur, vbi necessitas exigit.

Exigantur quotannis rationes prouentuum & impensarum, idq; magistratu vel officiali principis probatæ integritatis viris vnà cum pastore loci præsentibus, cureturq; vt in verè pauperes dispensentur prouẽtus.

Collectæ. 1. Corinth. 16. & 2. Corint. 9.

Vbi desunt redditus, hîc fiant collectæ, quas Paulus vocat λογίας, aut ex præscripto eiusdem Apostoli efficiatur, vt quisque in vna Sabbatorum seponat, quantum facultates patiuntur in pauperum vsum.

Mendici validi. Nouell. constit. 80.

Interim validi illi mendicantes & inutiles fuci, μάταια ἄχθεα ἀρούρης, vt Iustinianus eos appellat, qui verè pauperib subsidia præripiũt, coercendi, & ad laborandum compellendi, vti id principum constitutionib. cautum

neq;

neq; illis locus detur in nosocomijs ac xenodochijs, sed nec ostiatim stipem mendicando extorquere concedatur, fiatq; diligens prouisio, ne validi verè egentibus eleemosynas præripiant.

Lege Mosaica cautum, ne quis esset inter fratres mendicus: veterum quoque Francorum legibus cautum, ne quis vicatim mendicaret, suos quæq; alebat ciuitas. Deute. 15. In Caroli constit.

Suos quæque ciuitas parochia cognoscat atque alat pauperes, & sicubi non suppetat, detur à magistratu vel à parocho tessera, vel testimonium, vt liceat in proxima parochia mendicato stipem petere, & non vltra eam præfecturam, vel ciuitatem proximam, idque non nisi verè pauperibus concedatur.

Externi & ignoti non tolerandi, nisi certis testimonijs testentur se dignos quibus detur.

Errones ac plani illi, qui militum titulo se venditant, pagatim grassantes ac stipem per villas postulantes, intollerabili petulantia gentem rusticam vexantes magna seueritate cobibendi sunt, & ad laborandum compellendi. Milites errones.

Liberi pauperum & mendicorum, vbi adoleuerint, laboribus ac opificijs adhibendi ne in mendicandi otio adolescant, ac sic tandem malis artibus operam dent. Siquidem Plato in sua Repub. tradit plurimos semper fures & latrones illic esse, vbi mendici multi, quòd his tyrocinijs otium alatur, & laboribus insueti ad quæuis flagitia perueniant. Parum proderunt pœnarum comminationes, nisi otium adimatur κακουργίας ἀρχὴ, vt in Epitropico nostro vberius declarauimus. Merentur hac in re laudem Antuerpienses, & aliæ quædam ciuitates, qui expositicios aliosque pueros inopes curant, pro cuiusque ingenio instituendos, ac primùm artibus instituendos, deinde matrimonio honesto elocari. Mendicorũ liberi. Plato lib. 11. de Legib. & 8. de Rep. Antuerpienses.

Paupertatis etiam vsum in Repub. esse ostendit Dio Chrysostomus, vtpote ad victum parandum artesque exercendas honestas idonea, addens secundum naturam magis esse paupertatem quàm diuitias.

De Tutelis. Cap. XII.

Miserabiles personæ. Tutelarum curà.

AD miserabiles personas pupilli pertinẽt & viduæ, quibus diligentissimè legibus prospectum à maioribus: Tutelarum igitur necessaria inspectio & cura eorũ, qui sibi suisq; rebus prospicere non possunt: nempè pupillorũ, iuuentutis, furiosorum, fatuorũ, atq; id genus hominũ mentis inopia alijsq; subsidijs destitutorum. Quantum horũ neglectus olim & nostris temporibus Reip. detrimentũ attulerit, luculentis exemplis declarari poterit, nimirum quòd pupillorum, è quibus Reip. plærunq; felicitas pendet, & educatio simul & institutio cum bonorũ fideli administratione negliguntur: Idq; animaduertentes veteres, ei curæ diligẽter prospexerũt, adeò vt etiã in magistratu subsidiariam actionem cõstituerint, qui vel pupillis tutores, vel minorib. ac mente destitutis curatores non dederint, vel deniq; passi sint, eorũ corpora & bona malè administrari: siquidẽ magistratus de barum rerũ neglectu teneri Iurisconf. responsis atq; Imperatorũ rescriptis traditũ. Et Propheta: Si læseritis, inquit, pupillos & viduas, clamabũt ad me, & ego exaudiam, & indignabitur furor meus, percutietq; vos gladio, & erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri orphani. Plato huic curæ peculiarem magistratum constituit, puta legum custodes, quib. singulis annis tutelis inspiciendis, & vt ritè administrentur, cura demandata.

Plato in suis legibus & Iureconsulti. l. 1. & 2. ff. de magistra. conuen. Magistratus neglectæ tutelæ teneri. d. l. 1. & 2. & C. eo. Exodi 22. Plato. lib. de Leg. 11.

Nostris temporibus in ciuitatib. per Decuriones aliquot, ruri per Scabinos vel œconomos adiuncto pastore eius loci id confici poterit, vt videlicet ad magistratum in ciuitatib. & in pagis ad præfectum, aut iudicẽ referretur à propinquis, si qui pupilli, aut minores, aut mentis inopes reperirentur, peterentq; illis tutores: Et vbi testamento tutores dati, non vt legitimi vel datiui satisdent Rem pupilli saluam fore.

Instit. de satisda. tuto. Vlp. l. 4. §. vlt. ff. Rem pupil li sal. fo. Nouell. consti. 118. L. 1. C. vbi pupill. Liuius decad. 4. lib. 9.

Poterit autẽ mater & auia tutelam gerere, quamdiu innuptæ manserint, & Velleiano Senatusconsulto renunciarint. Verùm etiã rursus matrimonium contraxerint, liberis tutores petere debent, quod si non fecerint, liberis defunctis eas succedere nõ debere quidam voluerunt. Vitricus etsi tutor esse permittitur, si alius testamento datus nõ sit tutor, non tamẽ apud Vitricum alendum pupillum, exemplo Ebutij Romani, declaratur apud Liuium.

Quemad-

Quemadmodum pupillis tutores, ad eundem modum puberibus & minoribus curatores dandi: Et sicut præcipuè tutores dantur personis & secundario rebus: ita curatores contrà reb. & secundario personis. Nã etsi puberib. nõ dãtur inuitis curatores, tamẽ administratio ante viginti quinque annorũ ætatem nõ est concedenda, vt est ab Imperatorib. rescriptum: Neq; permittendum, vt ante hanc ætatem ære alieno onerentur creditarũ pecuniarũ, quas in luxu consumãt, vt Solon sapiẽter apud Athenienses cauit, et apud Romanos Senatusconsultũ Macedonianum prospexit, vt creditorib. actio denegetur, tàm aduersus filium quàm aduersus parentes, nisi constet honestis causis, vtpote studiorum vel legationis causa creditã esse pecuniam sic enim cessat Senatusconsultum ex rescripto Alex. Imp.

Tutores personis. Curatores rebus. L.1. ff. de legit. tut. L. cum plures. §. cum tutor. ff. de admin. tut. Macedonianum S. C. L.1. ff. ad S. C. Maced. L. Macedon.

Curatores quoq; furiosis, mentecaptis, prodigis, fatuis, surdis, mutis, perpetuò morbo laborantibus dandi, quia rebus suis præesse non possunt.

Curatores mente & sensibus captis dandi.

Administratio neq; tutorib. neq; curatoribus concedenda à magistratu, nisi prius inuentarium fecerint & satisdederint REM PVPILLI *saluam fore: Item vt quotannis ratio reddatur.*

L. si furiosus. ff. de curato. d. l. 4. ff. rem. pup. sal.

Pupilli & puberes honestis artibus pro personarum familiarumque conditione & dignitate instituendi.

De hac re, quoniam in Eutopico nostro satis multa diximus, illinc desumere licebit, si quis plura desideret, quæ ad hunc locum pertinent.

De otio adimendo, & artibus discendis. Caput XIII.

NAM *vt iners otium in Rep. maximè vitandum, ita labores & artes functionesque honestæ confouendæ.*

Otium iners vitandum.

Curandum vt omnes subditi vel laboribus artibusq;, vel honestis functionibus, addicti sint.

Memorabilis sanctio Amasis regis Ægyptiorum, vt singuli subditi apud præfecturæ præsidem, hoc est, nomarchen singulis annis profiteri cogerentur vnde viuerent, vt Herodotus tradidit, eam legem ab Ægyptijs mutuasse Solonem Plutarchus auctor.

Amasis rex. Herodot. in Thalia. Plut. in Solo

Athenien-

Vnde quisq; viuat ratio habenda. *Athenienses, & eorum consilium Areopagus, quid quisque ageret, aut quonam quæstu sustentaretur, diligentissimè inquirere solebant, vt homines memores vitæ rationem reddendam esse honestatem sequerentur.*

Athenęus dipnosophist. lib. 6. *Corinthij, si quem opsonari & facultates profligere viderent, eum in iudicium vocabant, rogantes vnde viueret, & quid operis faceret, quod si redditus haberet, an expensas tolerare queat, vt Athenæus scripsit.*

Catamidiari. *Decoctores catamidiari iussit Hadrianus, hoc est, ritus gratia publicitus exhiberi.*

Mimi. Aegyptij. Vrsos ducentes. Constitutio Imp. Augustę anno 1500. *Mimi, Histriones, & qui se mentiuntur Aegyptios, item vrsos saltantes ac feras exoticas in spectaculis circumducentes, quia horum sodalitio exploratores, proditoresque nonnunquam iunctos fuisse compertum, prudenter Imperialibus sanctionibus cautum, vt hoc hominum genus proditionis suspectum non toleretur, sed ditionibus expellatur, sicut & plani illi militum nomine stipem postulantes: Breuiter omnes otiosi, si inopes, ad victum honestè quærendum, & in sua quenque vocatione ad laborandum compellendi sunt, neq; toleranda inania telluris onera.*

Nouell. constit. 80.

Artes discendæ. *Nemo cuiuscunque conditionis sit sine arte aliqua, aut honesta functione, memor: Artem quamuis terram alere. Dionysius rex exutus regno ludum literarium aperuit Corinthi, & pueros literas ac Musicam docuit.*

Lex Massiliensium. Val. Max. lib. 2. *Massiliensium legibus nemo in ciuium numerum recipiebatur, qui nihil artis nosset, quo victum parare posset, vt Valerius Maximus testatur.*

Solonis. Plutar. in Solone. *Solonis atque* XII. *Tab. legibus sancitum, vt filius patri necessaria vitæ subsidia non deberet, à quo nullam artem accepisset.*

Atheniensiũ. Greg. Nazianzenus ep. 117. ad Eudoxũ Rhetoré. *Legem Athenis fuisse proditum, vt iuuenes, postquam ad pubertatem peruenissent, artibus adhiberentur: adducebantur autem hoc modò: Proponebantur publicè singularum artium instrumenta, & adducti, quo quis instrumento delectatus, ea arte instituebatur, tanquam ad eam natura propensus & compositus, eaque institutio successum felicem habebat: Et quæ contra hunc morem institutio suscepta, quasi inuita Minerua infeliciter succedere existimata. Artes igitur vtiles & honestæ inducendæ,*

ducendæ, fouendiq́ue artifices honestis stipendijs, & immunitatibus inuitandi, præsertim earum artium, quarum vsus necessarij, velut lanificij, telæ texendæ, fabrorum, latomorum, & similium: Inutiles & voluptatib. magis quàm necessitati paratæ artes explodantur, iuxta Xenocratis præceptum, quales sunt mimorum, scurrarum, histrionum, vngnentariorum, saltatorum, & cæteræ, quæ à Dione commemorantur in oratione quæ inscribitur Euboica.

Inprimis Agricultura vbiq; fouenda: Omnium enim rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agricultura melius, nihil vberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius. Hæc enim functio, quia nos omnes alit, plurimis non immeritò priuilegijs est honestanda, curandumq; vbique vt agri bene colantur, nam id Reip. interest. Cyrus vbi agros benè cultos cerneret, laudauit industriam, ac tanquam benè meritos de Rep. priuilegijs adiuuit: contrà neglectorum colonos mulctauit. Cyrum etiam superasse studio agrorum colendorum Numam Dionys. testatur Halicarnass. Apud Romanos censorium probrum habebatur agrum malè colere. Agricultura. Xenop. Oeconomico & pæd. Dionys. lib. 2.

Etsi igitur sedentarias artes tanquam cupiditatum architectatrices ingenuis indignas plerique existiment veteres, solaq; militia & agricultura liberos homines institui velint, vt Dionys. Halicarnass. testatur. Interim tamē nulli probro esse debet honestam exercere artē, cùm artes sint dona Spiritus sancti, vt Moyses testatur. Et Augustus potētissimus monarcha probro non duxit filias lanificio erudiri, vt Suetonius testatur. Sedentariæ artes. Opificia honesta dona Spiritus Sancti. Exodi 32.

Alexandrum Imperatorem ferunt omnium artium corpora instituisse, vt tradit Lampridius & Callistratus, quibusdam etiam collegijs & corporibus, quibus est ius coëundi, lege permissum, immunitatem tribuisse, vt necessariam operam publicis vtilitatibus præberent. L. pen. §. quibusdam. ff. de iur. immun.

Qui illicitum collegium vsurpauerint, eos pœna eadem teneri, qua illi qui loca publica vi armata occupant, Vlpianus respondit. Illicita collegia. L. qui illicitum. ff. de col leg. illic.

Licita tamen opificum necessariarum artium & negociationum collegia fouenda, cùm Resp. maximè horum minorum corporū subsidio consistat, vt cōmercia conseruentur. Opifices & mercenarij fideliter & iusto mercede operam locent & exequantur, cessantes mulctentur.

Opificũ illicita pacta. L. vna. C. de monop. & neg. ill.

Artifices & ergolabi prohibeantur pacta inire, ne opus ab alio inchoatum impleant, aut iniunctā curam alteri intercipiant: Nam cùm eius conspirationis occasione sæpe suscepta opera tardius aut neglectius absoluant, Zeno Imperator rescripsit, vnicuique opus etiam ab alio inchoatum ac derelictum citra metum vllius mulctæ implere & absoluere posse.

De Commercijs. Caput XIIII.

Cõmercia.

Commercia & contractus legitimi, quia in societate humana sunt necessaria bona fide, & citra fraudem exercenda sunt.

Contractus. L. si fundus. ff. de euict. Hierem. 32.

Contractus iuxta loci consuetudinē, in quo contrahimus obseruandos, Caius respondit. Sic Hieremias Propheta omniū contractuum moribus in agro emendo vsus, adhibitis, & eius temporis & loci cautionibus.

L. item si precio. §. 1. ff. locati.

Nemo in negotio & contractib. proximū circumueniat, vt Paulus docet. Quanquam autē leges ciuiles in contractib. circumuentionem in precio tolerare videantur, vt à Iureconsultis responsum, attamē vbi quod acceptū est supra semissem minus eo quod datū fuit, circumuēto leges subueniunt, tā vēditori quàm emptori, iuxta rescriptū Dioclet. & Max. Impp.

L. 2. C. de rescind. vend.

Iudæorum vsuræ.

Iudæi fœnus exercentes non tolerandi, nam hi populum nō intelligentē exugunt, dantq́ occasionem furtis, rapinis atque imposturis, aut sicubi tolerantur, manibus laborent, & honesto quæstu victum quærant, à blasphemijs in Christum abstineant, ac veste vtantur certo signo notata, quo à Christianis distinguantur. Contrà facientes puniantur, priuilegijs quibuslibet olim concessis non obstantibus, vt Imperiali quoque constitutione Augustæ promulgata cautum.

Augustana Constitutio anno. 1530.

Vsuræ prohibitæ.

Vsuræ meræ ab ethnicis etiam improbatæ meritò Christianis abominandæ. Et quanquam leges Romanæ receperint moderatam aliquam eius quod interest compensationem, cuius est necessarius in contractibus vsus, tamen non ferunt iniustas acquirendi rationes, dum damnant captiosa pacta legis commissoriæ, & quantum possunt, fraudibus commerciorum occurrunt, coërcentque nouas artes astutæ auaritiæ.

Vsuræ igitur & cõtractus illiciti abrogentur, præsertim in quib. fœnus

quincuncen excedit, aut in quo vltra sortem repetitur, & immoderatum interesse constituitur, iuxta constitutionem de hoc cõtractu ijsdem Augustanis Comitijs promulgatam: Item si equi, pecora, esculenta, poculentaue, vestes in sortem supra iustam æstimationem conferantur. Hos contractus iudices tanquam irritos pronunciabunt, neque executionem fieri patiantur eorum, qui modum ab Imp. Iustiniano præscriptum excesserint: Quique hanc legem transgrediuntur dimidietatem sortis amittent. Negligentes magistratus punientur, iuxta pragmaticam sanctionem Augustanam, superius quoque citatam. L. eos. C. de vsu.

Coërceantur negotiatorum collybistarumq́, ac mensariorũ illiciti pecuniæ mutuandæ cõtractus plus quàm centesimarũ vsurarum: Sed frustra hic canimus surdis principibus, qui his hominibus plurimum obnoxij.

Mercatura etsi propter cõmunem rerum necessariarum vsum in Rep. vtilis, quòd societas humana citra emptiones & venditiones & cõmercia consistere non queat, quòd alij rebus indigent, quibus alij abundant, atq́, ita necessitas vltrò citroq́, negotiationem requirat, vt ijs quib. carere possumus diuendxis necessaria cõparamus: Quare Aristot. & Cicero mercaturam inter honestas rei familiaris species numerarunt. Verùm quia auaritia omnes honestas functiones corrumpit, inspectione opus habet. Ac primùm, ne inutilia pro vtilib. importentur ac distrahantur, veluti quæ ad luxum et effœminandos hominum mores faciunt, quib. videmus fortissimas nationes corruptas, quare carere ijs præstaret, quibus vulgi leuitas ad intemperantiam excitatur, & opes ciuiũ exhauriuntur. Deinde ne res necessariæ exportatæ annonã & egestatẽ in Rep. pariant, néue hostib. mercatorum auaritia subministrentur, quæ patriæ defendẽdæ ac cõseruandæ seruire debebant. Nam hisce reb. mercatores se regibus & principib. insinuant, eorũ opes nouis illecebris importãdis exugũt, ac potẽtes fiunt, ciues atq́, adeò principes ad egestatẽ redigẽtes. Propheta Naum bruchos Niniuitarũ mercatores appellat, quòd perinde atq́, bruchi segetes absũmãt, ijsq́, absumptis auolãt. Mercatores, vbi opes principũ ac ciuiũ, vbi impostur is & fœnerãdo emũxerint, tandẽ benè saginati auolãt: Nã vbi pecuniæ vim mercatorijs fraudib. contraxerint, eam in vsurã collocant, quã speciosiore Mercatura. Polit. 6. Offic. 1. Naum 3. Bruchi Niniuitarũ mercatores. Vide Plat. de leg lib. 12.

nomine Financium ac Cambium vocant, pro centenis in singulos annos, vel ab vnis nundinis ad alteras, vel in singula semestria vicenos fœnerantes. Postremò inspiciẽdum magistratib. vt merces incorruptæ, iustoq; precio distrahantur, néue iniustis ponderibus atque mensuris vtantur distrahentes. Vnde veteres suos habebant ἀγορανόμους, quibus duo potißimũ curæ fuerunt, primùm vt omnia in foro & commercijs compositè citraq; tumultũ fierent, alterùm, vt à mendacijs & imposturis tàm ementes quàm vendentes abstinerent. Nam fuisse apud Athenienses Aedilitiam legem, quæ in mercimonijs forensibus falsum & imposturas puniebat, Demosthenes testatur: Quod Romani æmulati per Aediles cereales idem curabant, qui ob vitia rerum venalium peculiares dabant actiones, & vt anonnæ ac cibariorum copia suppeditaretur, & quæq; iusto precio distraherentur. Vnde recentiores ab instituendis his rebus Episcopos vocabant.

Agoranomi. Plato lib. 11. de Leg.
Aedilitia lex. Demosthen. in oratione πρὸς λεπτίνην.
L. vlt. ff. de mun. & ho. L. 1. §. cura carnis. ff. de off. præf. vrb.
Episcopi.

Atq; hic quoq; curandum magistratib. per administros fidos, ne in negotiationib. & mercatura conspiratione facta pauci coëmant vnius generis merces, & tanti quanti velint distrahant, eaq; tyrannide priuatorum vtilitatem interuertant atq; opprimant. Quæ nequitia necessarijs pœnis tàm veterum legum, quàm recentiorũ pragmaticarum sanctionum cohibenda fuit, nempe bonorũ confiscatione & Imperialis banni mulcta. Quæ enim maior calamitas affligere poterit Remp. quàm rerũ ad vitæ vsum necessariarum ex paucorum auaritia pendere? Refert Aristot. fuisse quendam Syracusis, qui solus coemerat quidquid in Sicilia ferri esset, & quotquot ferro opus haberent ab hoc vno redimere cogerentur, et quanquã non tàm iniquo precio distraheret, tamen à Dionysio rege tanquã perniciosum ciuẽ Sicilia pulsum. Nostris temporib. eò auaricia creuit, & nobilitatis honestatisq; ratio degenerauit, vt non pudeat reges, pontifices & principes, quiq; nobiles existimari volunt, hac execrãda negotiatione quæstum turpißimum facere, cùm τὸ καπηλικὸν olim, & principũ constitutionib. tanquã res sordida honestis familijs interdicta esset. Iam lucri bonus odor quibuslibet ex re qualibet. Thebanorum lex erat, vt nemo ad Reip. munia accedere permitteretur, nisi per decem annos à mercatura destitisset.

Monopolia refrænanda. L. vna. C. de monop. Const. Maximil. Imp. Colo. anno 1512. Arist. pol. 3.
L. nobiliores. C. de cõmer. & merc. Mercimonia nobilibus interdicta.
Thebanorũ statutum. Arist. d. loco.
Dardanarij.

Mandatis principũ olim cautũ, ne dardanarij vel propolæ vllius mer-

cis

tis sint, ne aut ab ijs qui corruptas merces supprimunt: aut à locupletioribus qui fructus suos æquis precijs vēdere nolunt, dum minus vberes prouentus expectant, annona oneretur. Pœna in hos variè statuitur: Nam si negotiatores sint, negotiatio interdicitur, interdum & relegari solent, humiliores ad opus publicum dari, Vlp. responso. L. annonam attentare. ff. de extra cri. l. in dardanarios. ff. de pœn.

Nundinæ tàm hebdomadariæ quàm anniuersariæ atque alijs statis temporibus institutæ, propter communem Reipub. vtilitatem ac rerum necessariarum importationem liberæ sint, neque conuenire hic quenquam aut pignorare, aut mercibus manum inijcere, aut decreto aliquo retinere, alijsq́; priuilegijs tā veteri & cōmuni quàm singulari iure cōcessis, liceat. Nundinæ.

Nundinis impetratis à principe non vtendo decennij tempore vsum amitti, Modestinus respondit. L. 1. ff. de nundinis.

Dominicis diebus à negotiationibus feriandū. Sacrilegij vsus est nundinas instituere diebus quibus sacris vacandum.

Reipub. administratores operam dent, prouideantq́; ne quid earum rerum quæ necessaria sunt, desit, vt monuit Cicero.

Quare curandum, vt necessaria, puta frumentum, ligna, lanæ, coria, & similia, non exportentur citra magistratus auctoritatem, qui prius exquirant, an tanta earum rerum sit copia, vt carere liceat.

Porrò cùm panis præcipua inter esculenta cura sit, prouidendum in Repub. vt annonæ frumentariæ vitetur difficultas: cohibendi corculiones, qui frumentum, sine quo nulla Respub. incolumis esse potest, difficilè reddunt, coemptumq́ue vndique frumentum carius distrahunt. Qua in re magistratus si conniueat, aut in hac cura negligens fuerit, Dominus qui vindicem habet oculum, & ad clamorem esurientis populi exurgens, flagitiosos hosce homines atque ipsos magistratus conniuentes inultos non sinit, ac sæpenumero voluntarijs suspendijs, cùm spem communis mali fefellisse sentiunt, vindictam de se ipsis sumere compellit. Nam qui frumentum non communicat, huic maledicit populus, inquit Sapiens. Proinde principes & magistratus has pestes cohibere debent, & Reipub. necessitati hac in re consulere. Annonę frumentariæ ratio. Prouerb. 11.

Vti olim curatores Reipub. constituebantur, ita profuerit in qualibet

Repub. præfectos annonæ creari, qui frumento in vsum publicũ coemendo condendoq́ præessent, quales olim qui apud Athenienses σιτοφύλακες & σιτομετραὶ atque σιτῶναι appellati, quibus frumentationis publicæ, hoc est, σιτωνίας cura demandata fuit: Horũ meminit Demosthenes & Hermog. Iurecos. Quod Atheniensium institutum prudenter imitati Veneti duumuiratum constituerunt in Rep. sua, qui annonæ præfectus & frumentum & opsonia cõuehenda procurat, Prouidadorios vocant. Quinetiam Turcus eandem diligentiam non negligens Aediles habet, qui sedulò, vt populo copia sit frumenti & oryzæ, dispõnũt. Romani olim tanto studio rem frumentariam coluere, vt alueos à singulis regionibus Aegypti ære publico in Nilum ducẽdos curarint, quibus frumenti vis ingens Alexandriam deferri posset, atque inde Romam: Et si quis alueos illos perfodisset, capite plectebatur. Honor. & Theodos. viuum concremandum sanciuerunt.

Arist. polit. 6. L. vlt. ff. de assess. Demosthen. πρὸς λεπτίνην. L. 1. ff. de mũ. & hon. Venetorum Duumuiri annonæ. Prouidadorij. Turci. Romani. L. vna. C. de Nili agg. non rump.

Principes imitentur Iosephi consilium Pharaoni datum, & frumenti curatores designent, qui dum vilis est annona, frumentum è prouentibus recondant, & aliud insuper in futuram necessitatem coemant, non quæstus causa, sed vt difficultate premente tolerabili precio frumenti subditis succurrant, memores sententiæ Salomonis: Qui iuuat egentes ac communicat frumentum, huic Dominum benedicere, contrà frumentum ad lucrum occultantes execrari ab omnibus.

Iosephi consilium. Genes. 41. Prouerb. 11.

Molarum cura non negligatur, nam huius rei vsus omnium commodis seruit. Moyses ex Dei oraculo noluit molas & similes res publicè necessarias vllo pignoris nexu teneri. Principes dispiciant, ne hi qui bannales habent molas, rusticos & miseram plebem hisce seruitutibus iniquius cogant. Idem in furnis bannalibus curandum principi.

Molarum cura.

Constituantur è decurionibus inspectores esculentorum, vt panis legitimo pondere incorruptus, iustoque precio vendatur, vt mox de Opsoniorum Episcopis dicetur.

Inspectores esculentorum. Panis.

Ad eundem modum & cereuisia, vinum & poculenta incorrupta iusto precio & legitima mensura præbeantur, his enim potissimùm vita conseruatur, & corrupta multis aut necis aut morborum occasionem præbent. Esaias vini mixturam inter præcipua flagitia numerat,

Vinum. Cereuisia. Esaiæ 1. Cauponum ratio.

Caupo-

Cauponibus, stabularijs ac tabernis meritorijs pro annonæ ratione ex bibendæ cœnæ & stabulandi precium præscribatur, ne supra id quod iustum ab hospitibus exigant.

Cauponum ratio.

Vt in tabernis vinarijs & cereuisiarijs caupones vltra dimidiatum aureum non credant rusticis atque alijs plebeis: Si quid supra hanc summam crediderint, non habeant exigendi ius.

Vt ante meridiem, & à solis occasu, incolis non concedatur in diuersorijs aut tabernis perpotare, sed tantùm peregrinis ex itinere huc diuertentibus necessaria hospitij præbeantur. Caupones & tabernarij, qui hos limites excesserint, puniantur.

Aleæ ludus, & aliorum prohibitorum ludorum exercitia legibus vindicentur: Et receptatoribus si quid incommodi acciderit, prætor iudicium non dabit, vt Vlpianus respondit.

Aleæ ludus.

Præpotandi, exigendíque æquales haustus mos ac temulentia grauiter coercenda, non solum quòd corpori & vocationi, præstandóque cuiusque officio noceat: verumetiam ob id maximè quòd Apostolus neget EBRIOSOS REGNVM DEI INGRESSVROS. *Proinde qui per ebrietatem scelus aliquod designarint, duplici pœna mulctandi: Siquidem in culpa sunt ebrietati indulgentes nō ignari, quòd amisso per ebrietatem rationis vsu in omne facinus præcipitētur, vt Salmonius Iureconsulte. eruditè censuit. Basilius interim voluntarium* ἀυθαίρετον, *interim vinosum dæmonem,* οἰνικὸν δαίμονα *appellat ebrietatem, quod ex nostra voluntate in animas irruat, & accersitus homines obsideat. Sunt quædam vitia quæ vulgò neglecta plurimorū malorum causas præbent, inter quæ temulentia meritò recensetur. Græci* οἰνόπτας *habebant, potandi arbitros, qui modum excedentes puniebant. Superioribus annis pœna Comitijs Imperialibus constituta: sed quid leges siue morib. vanæ proficiunt? vt Poeta inquit: id quod ipse Imperator Carolus facilè animaduertit, perinde existimans Germanis temulentiā prohiberi, ac Hispanis furādi consuetudinē. Vulgus queritur tēpora indies fieri difficiliora, nō expendentes annonam crapula & potandi intemperantia augeri. Romulus quia abstemius, cùm parcius bibenti quidam diceret vinū vile futurum, si sic omnes biberent:*

Præpotatio & ebrietas coercenda. 1.Corinth.5.

Salmon. de voluntario & inuoluntario. in l. Lex est. ff. de Leg.

Basil. aduersus Ebriosos.

Oenoptæ.

Caroli V. dictum.

Romuli responsum.

Immò,

Immò, inquit ille, carius si omnes quantùm liberet potarent, ego enim bibo quantùm lubet. Qui superioribus annis aqua & secundaria cereuisiola contenti esse solebant, iam cereuisiam & siceram postulant, eamque immodicè ingurgitant: Qui cibario pane antè rugientem ventrem implebant, iam triticum & similam fastidiunt, vt Hieron. ait, clericorum delicias insectans.

Hieron. ad Nepot.

Opsoniorũ esculentorumq́ cura. Arist. polit. 6. Harpocratio in 10. Rheto.

In opsonijs quoque non negligentes esse conuenit. Apud Græcos olim opsoniorum & fori curatores constituebantur, ἐπιμεληταὶ τοῦ ἐμπορίου, qui pro temporis & annonæ ratione precia statuebant esculentorum ac poculentorum, curabantq́; ne quis ciuis plus frumenti viniq́; quæstus causa reconderet in difficultate annonæ quàm necessarius vsus eius poscere videretur: Quæ verò supra communem vsum in forum afferebantur, ea in publica horrea cõdenda curabantur, vnde fiebat, vt vel iniquissimo tempore egentibus ciuibus iusto precio annona præberetur. Ea cura postea ad præfectum vrbis delata, vt testatur Vlpianus. Et quanquam iam obsoleuerit pluribus locis hæc cura, publica tamen vtilitas requirere videtur inspectores, quos Arcadius Episcopos vocat, qui pani, vino, cereuisiæ, cæterisque rebus venalibus, vnde ciuibus quotidianus victus suppeditatur, præessent, & precia particularum distrahendarum ad æstimationem integræ mercis propolis constituerent: veluti ad precium modij tritici, singulorum panum, proportione æstimationis habita: & ad integri vasis butyri, olei æstimationem, libræ precium: ad vini integri vasis & hordei precium, quartæ æstimatio constituenda.

Præfectus vrbis. L. 1. §. iura carnis. ff. de off. præf. vrb. L. vlt. ff. de mun. & hon. Episcopi. Precia particularum ad proportionem integræ rei accommodanda.

In opsoniorum vsum curandum, ne pascua in vniuersum bobus saginandis ad quæstum opulentiorum occupentur, sed tantùm saginæ concedatur, quantum eius regionis necessitas exigit, & reliqua vaccis pascendis iusto precio subditis locentur ad lacticiniorum necessarium vsum.

Pascuorum ratio. Lacticiniorum vsus.

Olim hoc Episcoporum erat munus, vt precia iusta rebus necessarijs imponerentur, vt Impp. Valentin. & Val. testantur.

Episcoporũ cura. L. 1. C. de Episc. audien.

Cæterum quia ad annonã leuandam plurimũ facerent leges sumptuariæ, proinde inutiles sumptus coercendi, populus ad frugalitatem, & ad optimum vectigal parsimoniam adigendus; Nihil enim æquè exhaurit

Sumptuariæ leges.

opes

opes ciuium quàm luxus certimanina. Oppia lege olim cautum, ne qua mulier plus semuncia auri haberet, néue vestimento versicolori vteretur, nec iuncto vehiculo in vrbe oppidóue, aut propius inde mille passus veheretur, vt testatur Liuius & Tacitus. Apud Græcos γυναικονόμοι & γυναικοκοσμοὶ *de matronarum cultu statuebant indicta mulcta, quæ secus quàm statutum indueret. Veneti quoque cernentes immoderatum in mundo muliebri sumptum, sanxere, ne vlla patricij sanguinis serica veste induta conspiciatur, nisi nuptiarum die, & quibus nuptijs solennibus cõuiuijs adesse moris est: neque torques aureos, aut monilia gemmis distincta. Creantur huius statuti* νομοφύλακες. *Hodie videmus tanta contentione in luxu & splendore, atque adeò insolentia tàm vestium quàm conuiuiorum certari, vt frustra de his leges promulgentur, nisi per principes peccandi licentia & causa per inspectores ac nomophylaces recidatur, nempè incontinentiæ vitium. Quid enim prodest pudicæ vxori ornatus, quo marito cui alioqui grata se venditet? Aut igitur mulctas grauissimas statuere oportet principes, quibus luxus cohibeatur, aut ipsos principes simplici & parabili cultu vti oportet, exemplo Caroli* V. *quo tandem ad frugalitatem & simplicitatem & proceres ac reliqui subditi inuitentur,* SERICA AVTEM ET AVREA ARGENTEA AC *Gemmis distincta solùm impudicis permittantur, Lacedæmoniorum more, vt superius quoq́ admonitum in gynæcij disciplina.*

Oppia lex. Liuius dec. 4. lib. 4. Tacit. lib. 3. Gynæconomi. Iul. Pollux lib. 8. Athenæus dipnosoph. 6. Veneti. Nomophylaces. Vestitus insolentia. Legum custodes necessarij. Carolus V.

Atque vt cultui, ita & conuiuijs præscribendus modus: neque enim sentitur latens detrimentum Reip. quod sumptibus illis sympofiorum atque apparatu immodico nuptiarum, baptismorum, exequiarum, dedicationum, nundinarum pompis, ferculorum varietate ac splendore profunditur. In quibus dum contentione quadam insana tenuiores æmulentur opulentiores, & quisque splendidus conuiuator videri vult: Ii quibus res familiaris angustior, eandem ambitiosa stultaque æmulatione dissipant, atque in hisce celebritatibus ac festis decoquunt, vt profestis esurire cogantur. Veneti & dotium & epularum in priuatis conuiuijs modum statuerunt, vt nulli quantumuis opulento patricio vltra sex millia aureorum dotis nomine filiæ dare permittatur, cùm ante à quibusdam sexaginta mil-

Conuiuiorũ apparatus. Venetorum statutum.

ta millia ducatorum in dotem dari consueuerint. In conuiuijs, ne vltra vnum aut alterum capum, nisi impetrata venia, cum bubula & veruecina apponatur, constituta mulcta. Hæc exempla temperandi luxus & crapulæ si sequeremur, primùm Deo, qui non leuiter offenditur abusu suorum donorum, gratum opus faceremus, deinde Reipub. commodis seruiremus.

Censores necessarij. *Apud Romanos Censores constituti, qui de ciuium moribus iudicabant præsentis exactæque vitæ rationem perquirentes, indignos honoribus abdicantes, famosos notantes, luxum & alia vitia mulctantes. Is magistratus hodie pernecessarius in tanta morum corruptione ac magistratuum neglecta cura, cum nemo suo officio perfungatur. Theologi aut adulantur, aut peruersa docent: Iureconsulti persuadent principibus omnia licere, iura affectibus accommodando flectunt. Breuiter, mundus in maligno positus, ὁ κόσμος ὅλος ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται: vnusquisque declinauit,*
Psal.14. *simul abominabiles facti: Non est faciens bonum, ne vnus quidem, Deuorantes populum, vt psaltes canit.*

Statera. *Onerant annonam etiam steteræ adulterinæ, de quibus D. Adrianus*
L. annonam. ff. de extra. cri. *edictum proposuit, quo pœnam legis Corneliæ in eos statuit, perinde ac si lege Testamentaria, quòd testamentum falsum scripsisset, signasset, reci-*
L. pœn. ff. ad leg. Corn. de fals. *tasset, damnatus esset. Sed eundem Adrianum eum qui falsas mensuras habuit, in Insulam relegasse, Modestinus respondit. Prouideant igitur*
Prouerb.16. & 20. *magistratus vt mensuræ & pondera iusta sint: Abominabile enim est apud Dominum variare pondera: Statera fallax non est bona, inquit*
Deuteron.25. *Sapiens: Et Moses, Nolite, inquit, facere iniquum aliquid in iudicio, in negocio, in pondere, in mensura. Statera iusta & æqua sint pondera, iustus modius, æquusque sextarius, Ego Dominus Deus vester. Impp. Valenti-*
L. modios. C. de suscept. lib.10. *nianus, Theodosius & Arcadius, constituerunt, vt in singulis stationibus & ciuitatibus mensuræ ac pondera publicè ænea vel lapidea extarent, ne quid supra modum debitum exigatur à collatoribus, & susceptores punirentur, qui vltra modum exegerint: Ita ex Repub. fuerit in omnibus ciuitatibus & præfecturis extare velut archetypos ponderum atque mensurarum.*

Falsum

Falſum modium menſurámue falſam quauis in re dolo malo renunciantem actione falſi modij teneri, Vlpianus reſpondit. L. ſi menſura. ff. ſi menſ. fal. mod. dix.

Comitijs Imperialibus Auguſtæ habitis deliberatum, optatumque vnam vbique menſuram, vlnam, pondus idem eſſe. Verum cum id optare procliuius quàm præſtare, prouidendum, vt recepta ſuis quibusque locis iuſta ſint. Exploratores deſignentur in ciuitatibus & in pagis, qui de his fideliter inquirant, & violatores ſeueriter ſecundum leges puniantur.

In pannis telisq; diſtrahendis fraudes frænentur: nam ſunt plurimæ in hac negotiatione impoſturæ, quæ Rempub. non leuiter lædunt. Alij pannos ex officina prodeuntes, vt menſuram, vlnarumque numerum & quæſtus aucupium augeant, ſic diſtendunt, vt vel laceros diſtrahant, vel ſic diſtentos ac raros, vt vbi maduerint mox contrahantur, iuſtaque menſura deſideretur. Alij oleo adipeq; macerantes fucum faciunt emptoribus, alij tabernas opacant, quo minus impoſtura appareat. Proinde ſapienter ab ordinibus Imperij conſtitutum, vt in poſterum pannicidæ neque integros pannos, neque partes diſtrahant, niſi prius aquis immerſerint, neque tabernas obſcurent, vt vicia mercium occultent. Qui verò huius impoſturæ rei fuerint deprehenſi, ij ipſius panni aut telæ iacturam facient, poteruntque à quibuslibet accuſari, iuxta Imperialem ſanctionem, ſed nulla conſtitutionum obſeruatio, quia deſunt nomophylaces. Panni diſtrahendi cura. Auguſtana Conſt. an. 30.

Porrò cùm numi vſus in commercijs & Repub. neceſſarius, in hoc repertus, vt permutandi difficultatibus ſuccurreretur: Siquidem olim non ſolùm permutatio citra pecuniæ vſum vſurpata Græcis, vt teſtatur Homerus, verumetiam apud Germanos diu valuiſſe Cornelius Tacitus auctor eſt. Et Iuſtinus ſcribit, Lycurgum legem tuliſſe, vt non pecunia, ſed compenſatione mercium ſingula compararentur. Eaque tempora feliciora fuiſſe Plinius exclamat, quibus numus ignotus, voluntaria rerũ permutatio humanam ſocietatem cõtinebat, tametſi emptionem quoq; ſine pecunia fuiſſe contendat Stephanus. Forculanus in ſua Neciomantia. Iam res nummaria ſocietati hominũ vtiliſſima in grauiſſimã & Reip. intolerabilem fraudem conuertitur, fitq; vt mundus viliſſima corruptiſſimaq; mo- Permutatio. Iliad. n. Tacit. de mo rib. Germ. Iuſtinus li. 3. Plin. lib. 33. Forculanus. Monetarum cura.

neta repleatur, nullusque numus iustè precio cudatur. Apud maiores binum trinumq; intertrimentum legibus admissum, iam vix tantum auri argentiue additur æri. Arcadius & Honorius æris precia, quæ à prouincialibus postulantur ita exigi voluerunt, vt pro viginti libris æris auri solidus redderetur. Monetarij conniuentia principum ac dominorum quotidie magis ac magis detrahunt, & de pondere & de puritate atque indicatura, & numismata non modò vulgaria verumetiam imperatoria, quantumuis id vetitum legibus, recudunt. Principes bellorum & luxus insania exhausti, monetarijs & coactoribus obnoxij cudendi ius elocant. Quæstores ærarij principum, mercatores ac collybistæ qui immensas summas recipiunt, cum monetarijs cauponantes meliora numismata ad incudem conferunt. Et quia auri & argenti precium quotidie augetur, hanc æstimationem non curant monetales mancipes & ius elocatum in auaritiam & imposturas vertunt, precijque dispendium in adulterando sarciunt.

L. vna. C. de colla. æris, lib. 10.

Quæ dispendia in Rempub. non solùm vertuntur, verumetiam in principes ipsos non animaduertentes hanc fabam, vt dicitur, in illorum caput cudi, cùm vectigalia & redditus annui viliori soluantur pecunia, & merces pro nummi æstimatione distrahantur, eoque deportantur vbi moneta melior, atque ita pro imminutione quæ est in æstimatione solidi omnium quoque precia decrescant. Accedit huc quòd non solùm Imperator, ad quem monetæ cudendæ auctoritas pertinet, verumetiam alijs, quibus vel vigore regalium ius hoc concessum, vel consuetudine introducta pecuniam cudunt. Et cùm metalla non habeant plerique inferioris conditionis ordines è numismatibus recudendis lucellum captantes ἀγυρολύποις *ius suum locant: Nonnulli monetam falsam cudunt, alij probam forcipe attondent, aut aquis deteriorem leuioremq; reddunt. Quantum incommodi Reipub. ex his imposturis inuehatur, pauci sunt qui æstimare poterunt. Et quia principes bellis luxuque exhausti, ad cogendum pecuniam his Reipub. pestibus vtuntur, ad illorum imposturas conniuent, & quiduis permittunt: Vnde fit, vt freti principum ac magistratuum auctoritate impunè citra vllum animaduertendi exemplum in perniciem*

L. 2. C. de vet. numis. potest. lib. 11. L. dictus. §. pen. de aur. & arg. leg.

Reipub.

Reipub. imposturas exerceant. An non falsi quoque obnoxij illi principes, qui cùm hæc prohibere debebant, conniuent ad tantam Reip. perniciem, iuxta Vlpian responsum. Olim Triumuiri creabãtur monetales, qui æris, argenti, auri flatores essent, vt Pomponius testatur: Hi curam habebant excudendæ explorandæque monetæ, ne quid in his metallis corruptelæ admisceretur. Decemuiri ærosam pecuniam, quæ plus æris admixti, & minus argenti & auri quàm proba materia postularet, reijciebant, vt ex Sceuolæ responso liquet. Ea legitima moneta agnoscebatur, quæ veterum principum vultu signata, & iusti ponderis ac specie bona. Quod significantius Græcè in Leonis Nouella sancitur ἀπαραποίητον τὴν μορφὴν ἔχον, καὶ τὴν ὕλην ἀκύβδηλον, καὶ τὴν ὁλκὴν τέλειον. *Lege Cornelia cautum, vt qui vitij aliquid addiderit, quiúe argenteos nummos adulterinos conflauerit, qui raserit, tinxerit, finxerit, falsi crimine teneretur: Eademque pœna afficiendum qui prohibere potuit, nec prohibuit, statutaque pœna deportationis & bonorum omnium confiscatio, vt Vlpianus respondit.*

L. 9. ff. ad l. Corn. de fals.
Monetales.
Triumuiri.
L. 2. ff. de orig. iur.
Decemuirorum lex & pecunia ærosa.
L. cum credi tor. de solut.
L. vlt. de vet. num. potest.
Pœna adulterate monetę.
L. 8. & 9. ad l. Corn. de fals.
d. l. 9.
d. l. vlt. C. de vet. num. potest.

Gordiani edicto cautũ obryzatorum omnium solidorum vniforme precium postulandum, scilicet capitali supplicio puniendo, qui vel iussa Imperatoriæ maiestatis auaritiæ cæcitate contempserint, vel æternales vultus, dum fraudibus student, violare nõ reuereantur. Constantinus viuos exurendos, & tanquam maiestatis reos & domum vel fundum, vbi patratum crimen fisco vendicandum sanciuit, accusatoribus immunitate promissa. Esaias inter scelera præcipua commemorat monetæ & vini adulterationem.

L. 1. & 2. C. de fals. monet.
Esa. 1.

Iam multis retro annis omnibus ferè comitijs & pragmaticis deliberationibus ac sanctionibus de monetis agitatum, sed nihil dum seriò constitutum. Aut si quid edictis promulgatum, vt quotannis binis conuentibus per deputatos æstimatio monetarum exploraretur, & inspectio pro Reipub. necessitate fieret: ac nihil eorum, quæ ad publicam vtilitatem constituta sunt obseruatur, cùm nullum sit vindictæ exemplum. Eò tandem progressa licentia, creuitque in tantùm sanctionum contemptus, vt nisi maturis consilijs principum intolerabilis auaritia atque impostura nummulariorum monetariorumque frænetur, res nummaria prorsus

Quid in re monetaria præstandum principi.

confundetur non sine irrecuperabili Reip. detrimento. Quare si qua huic malo occurri debeat, necessarium erit, vt principes ipsi monetā cudendam curēt suis impensis, nō elocent monetarijs, cudantq́ iustæ æstimationis numismata & aurea & argenta, solum detractis impensis, & ad eam æstimationem omnia numismata exigantur. Et quia propter commercia cum vicinis regionibus necesse fuerit, vt communicato cum his consilio eadem æstimatio obseruetur, fiant quotannis in hunc vsum conuentus, delibereturq́ seriò, quibus modis tandem res tàm necessaria ad publicam vtilitatem restituenda, & restituta sarta tecta conseruanda sit.

De iustitia administranda. Cap. xv.

De iustitia vide caput 14. libri prioris.
Iustitia finis legum.
Rom. 13.
1. Pet. 2.
Act. 26.
1. Corinth. 6.
L. idem Pomponius ff. de recept. arb.

P*Orrò cùm finis legum sit Iustitia, vt inquit Plutarchus,* δικὴ μὲν οὖν νόμου τέλος. *Iustitia autem & legum custos ac dispensator magistratus, nimirum Dei simulachrum iustitiam per legitima iudicia administrantis. Non sunt audiendi Anabaptistæ, somniantes, Christianos nec gladio nec magistratu vti, neque iudicio contendere debere, cùm tamen hæ sint ordinationes Dei, vt Paulus testatur, & bonæ creaturæ. Licet enim à magistratu petere defensionem, ideò licebit in iudicio petere, vt iustum defendat, nocentem puniat, suum cuique tribuat, &c. Paulus prouocauit ad Cæsarem: prouocatio iudicij pars est, Licebit igitur iudicijs vti propter pacem, vt suum cuique adiudicetur, & scelerati pœnis coerceantur: Etsi enim priuatis vindicta vetita est legibus Christianis, magistratui tamen gladius à Deo datus ad vindictam facinorosorum. Paulus permittit coram arbitris disceptare, ergo & coram ordinarijs & alijs iudicijs litigare permissum: Siquidem arbitri quoque iudices sunt, vt Vlpianus respondit. Verùm quia de his initio libri superioris diximus, eò relegamus plura desiderantem: Ac de iustitia eiusq́ distinctione eiusdem libri* XIIII. *capite peti poterunt.*

Iustitia nemini deneganda.

Curandum principi, vt nemini Iustitiæ administratio denegetur: Et postulantibus secundum Leges & consuetudinem loci ius impertiendum.

dum. Quod si iudices nō faciant, tenentur iniuriarum, vt testatur Vlpian. L. 1. ff. de aq. cotid. æst.

Principes olim ipsi iudicijs & causarum actionibus præerant, populoq; ius ipsi per se reddebant, vt de Romulo & Tullo Plutar. testatur, & astipulatur Pompon. Iulius Cæsar laboriosissime ac seuerissime ius dixisse fertur. De Cyro Xenoph. scribit, quòd nō otio sed industria subditis præfuerit & ius dicēdo publicis cōmodis seruiebat. Idem de Augusto traditū, etiamsi corpore parū valeret, lectica pro tribunali posita ius dicebat. Traianus, vt Dio memorat: ciuilib. negotijs adeò intentus fuit, vt studio pugnæ non à iuredicūdo fuerit retractus. Et de Adriano, Ius, inquit assiduè dicebat. Philippus Macedonum rex ab anicula admonitus, ne rex esset, si suorum causas audire nollet. Idem de Adriano proditum suprà citauimus. Accepimus Ludouicum regem Galliæ iudicio Parlamenti assidere solitū, & si deprehenderet aliquos gratiam captare, affirmantes regis causam iustam esse: Audiamus, inquiebat, eam, & plus valeat iustitia quàm vestra beneuolentia. Nostro tēpore magno Reip. malo principes plæriq; non dignantur, nisi alienis aurib. subditorum querelas audire, tantum abest, vt controuersijs forensib. præsidere velint. Interim tamen sunt quidā officij memores, qui & ipsi frequenter præsident litibus dirimendis, & vel secundum Leges, vel ex æquo & bono ius dicunt.

Principes olim ipsi ius dicebant.

L. 2. ad fi. ff. de orig. iu.

Ludouicus rex Galliæ.

Porrò quia principes ipsi omnib. locis controuersijs dirimendis adesse non queant, arduas quidem causas, quæ ad aulam tanquam miserorum sacram anchoram deferuntur, ipsos cognoscere operæprecium fuerit. In vrbibus autem & pagis iudicia, vt ritè constituantur, administrenturq́, procurare sedulò studeant: Et cùm ipsi quoq; de ijs, qui iuridicundo præficiendi sunt, iudicare nō poterunt, negotiū idoneis dent, vt eiusmodi conquirant, de quorum peritia & virtute certò constet, eosq́ commoneant, vt fideliter officio fungantur, alioqui non laturos impunè. Nam si vel largitionib. corrupti, vel fauoris emerendi & gratiæ causa à iure & æquitate deflectant, incredibilem Reip. perniciem afferunt: Controuersiæ enim crescunt, & producuntur in infinitum, & qui litigant, varijs sumptibus exhauriuntur. Curet igitur princeps, vt suis locis sua cuiusque generis iudicia statis temporibus, & iudices idonei & incorrupti constituantur.

Iudices assessoresq; ac iuridici, suis quibusq; locis cōstituendi.

Iosaphat

Iosaphat rex Iuda constituens in omnibus ciuitatibus, perque singula loca iudices, praecepit eis: VIDETE, *inquiens,* QVID FACIATIS, NON ENIM HOMINIS IVDICIVM EXERCETIS, SED DEI: ET QVODCVNQVE IVDICAVERITIS, IN VOS REDVNDABIT.

Veteres iudiciale forum iuxta templum collocari voluerunt, quo meminerint se à Deo constitutos, seque à Deo iudicari, dum hominibus ius dicunt, vt Plato asserit: Et Dominus per Prophetam, Ego dixi Dij estis.

Plato de Leg. lib. 6.
Psal. 82.

Iudiciorum labyrinthi corrigendi.

Cùm actiones forenses hoc tempore ad meras rabularum rixas degenerarint, quibus iudicio contendentes circumducuntur, profuerit Reip. inutiles & non necessarias processuum ambages, quantū per consuetudines receptas & rationabiles licebit resecare, & ad priscam grauitatem iudicia constituere. Atque idem de formulis statuendum esse, non videretur absurdum.

Iudicia in tuto sint.

Iudicia in tuto extra strepitum & tumultum collocentur, vbi nulla vel seditionis vel violentiae, vel denique alterius rei perturbatio formidanda. Seuerissimè puniendi, qui iudicia publica, eorumque executionem, aut violare aut impedire, aut vim aliquam ijs locis ac personis inferre conati fuerint, vt testatur Paulus Iureconsultus. Apud Gallos ne rex quidem hoc facinus remittere potest.

L. vbi est. ff. de reb. dub.

Iudicibus sua auctoritas conseruanda: Quandoquidem illam munitam esse voluit Deus, praecipiens non ideò illis maledicendum si non pro cuiusque libidine ius dicant, vt Moyses testatur: Et Syrach, Aues, inquit, cœli portabunt vocem tuam, & sententiam annunciabunt.

Exod. 22.
Syrach 10.

Iudiciorum distinctio.

Iudicia omnia aut dirimendarū controuersiarum, aut puniendorum maleficiorum causa reperta, hoc est, quod nostri Iurisconsulti dicunt, aut sunt ciuilia aut criminalia, vt Cicero pro Cecina.

L. 1. C. de dilat. l. interdū ff. de iudic.

Ordinaria iudicia ritè obseruentur, & termini ac dilationes pro locorum personarum rerumque conditione moderentur, iuxta Const. Imp. & responsa prudentum.

Controuersiae verò quae citra ordinarium processum dirimi poterunt

summarijs

summarijs cognitionibus, amputatisq́ dilationibus & partium disceptationibus per iudices summatim probationibus receptis decidantur: Atq ea, quæ altiorem habent quæstionem ad directum iudicium deferenda, Vlpiani responso. Poterit princeps de plano, vt dicitur, cognoscere, & causas perfunctoriè sine strepitu iudicij expedire. Sic Adrianus aniculæ ius dixit in itinere.

L. 3. §. ibidé. ff. ad exhib.
Dion. in Adrian.
Arg. l. omniũ C. de testa.

Apud Germanos olim deligebantur in Concilijs, qui iura per pagos redderent.

Centeni.
Tacit. de morib. Germ.

Centeni singulis ex plebe comites consilium simul & auctoritas adsunt.

Ac verò cùm princeps omnibus præsidere non possit, in singulis ditionibus ordinentur Consistoria principalia, in quibus duo vel tres Iureconsulti, & totidem è nobilitate, totidemq́ è ciuitatibus cordati decuriones virtute, rerumq́ue peritia præstantiores, quibus vel præses vel Cancellarius præficiatur, ad quæ grauatis apud inferiora iudicia prouocare liceat. Hic eius ditionis libelli supplices expediantur. De arduis causis, præsertim si de principis iure aut prouentibus agatur, nihil citra ipsius approbationem definiatur.

Cõsistoria in singulis ditionibus.

Supplicare volentes pagani, prius præfectos interpellent, in vrbibus Consules, qui si respondere postulatis, aut controuersias componere nequeant, aut recusent, tum demum vel aulam vel consistoria requirant.

Admonendi litigaturi illius Alcibiadis, vt qui vlla ratione subterfugere possint, litem non quærant: ἐξὸν φυγεῖν μὴ ζήτει δίκην.

Litigantes quoad fieri poterit ad concordiam redigendi. Atq hi recessus vtriusque partis consensu recepti, iudicati instar erunt. Si transigere non detur, iudicio experiantur ordinario, vel receptis arbitris lites finiantur.

Curijs dominicalibus ac clientelarum receptæ consuetudines, & processus sui seruentur, adhibitis ex curiæ paribus non omnibus, sed magis idoneis: Et ne contendentes sumptibus grauentur, sex aut septem, aut denique pro causæ conditione paulò plures adhibeantur à Domino curiæ: Nam omnes pares conuocare propter immensos sumptus abusus est. Interim

Iudicia curialia.

terim videndum principi, ne curiæ iure suo abutantur, & vt semper ad principem pateat prouocatio.

Decuriæ Ecclesiasticorũ iudiciorum.

Ordinentur & iudicum decuriæ in collegijs Canonicorum è Canonicis eruditioribus Theologis & Iureconsultis, qui præsidente Archidiacono vel Archipresbytero, Ecclesiasticas controuersias dirimant, & synodales causas tractent præsertim ijs locis, vbi Ecclesiastica Episcoporum iudicia corrupta sunt, vt suprà admonitum.

Concilium iustorum. Eras. Psal. 1.

Iudicia cùm alia tùm suprema & grauiora maximè vires requirunt sapientes, integros, diuque exercitatos, non solùm in iure ciuili, & patrijs consuetudinibus, sed in lege quoq; Domini, quæ solos sapientes facit. Sæpe enim incidunt quæstiones quæ vel iuxta consuetudinem loci, vel ad sacrarum literarum regulam decidendæ. Vnde propheticus rex vocat concilium iustorum, quòd hæc functio integris & incorruptis debetur, qui publicis & honoratis consessibus intersunt, à quibus impij & stolidi ac imperiti arcendi.

Iudices quales esse debebant. L rem nõ nouam. C. de iudic. Nouell. constit. 11.

Iudices omnes sint viri boni, integritatis & existimationis spectatæ, bonis parentibus orti, legitime nati, literarum non prorsus ignari, saltem legere sciant, iuris communis & consuetudinum patriæ forensiumque rerum non imperiti, ætatis maturæ, & non nisi iuramento præstito asciti, iuxta Const. Impp.

Abusus est cum magno Reip. detrimento, quòd iudices citra delectum, & ad gratiam aulicorum ac profectorum constituantur plærunq; nothi & alioqui inepti literarum atque omnis iudiciarij vsus imperiti.

Qui iudices esse non possunt. Iudices non sint scabini. l. vlt. C. de assess. Cicero pro Quintio. Iudiciorum quatuor pestes.

Iudices esse non possunt etiamsi petantur, surdi, muti, furiosi, fœminæ, serui, impuberes, infames: Non admittendi fratres, nec pater cum filio, nec affines iudices, aut scabini in eodem iudicio esse debent.

Item iudices ijdem non sint scabini aut assessores in eodem iudicio, cùm illi tanquam aganothetæ & inspectores nomine principis constituti, vt iudicia ritè peragantur, iuxta rescriptum Imp.

Iudicia quatuor modis eludi veterum scitis traditum, quod dicere solitus Hieronymus Porcarius, nempe gratia, odio, precio, metu, vt proditum est ab Alex. Neapol.

Iudex vel magistratus, qui ob iudicandum vel non iudicandum, ob denunciandum vel non denunciandum, ob accusandum vel nō accusandum pecuniam acceperit, lege Iulia repetundarum tenetur, vt Marcel. respondit, & Impp. Grat. & Valent. rescripserunt.

Iudex corruptus lege Iulia tenetur.
l. 1. ff ad l. Iul. repet. l. omnes C. ad l. Iul. repet.

Iudices finguntur sine manibus & clausis oculis, quòd nec munera recipiant, nec personam respiciant. Id Osymanthæ regis Aegyptiorū imago declarat oculis subclausis veritatem collo suspensam habens: Adde quòd antiquitas dierum vestibus niueis & capillis candidis à Propheta descibitur.

Iudices sine manibus & clausis oculis.
Diodo. Sicul. lib. 1.
Antiq. dierū. Daniel 7.

Munera igitur non recipiant iudices, immò ab omni suspicione corrupti iudicij abesse debent. Quare Iustinianus prohibet vel minimum donum aut lucrum admittendum in administrando: Quinetiam emere & contrahere magistratus eo loco, vbi ius dicunt prohiberi Vlpianus respondit, & Arcad. & Honor. rescripserunt.

Nouell. constit. 17.
L solet. §. nō verò. ff. de off. proconf. l. solus de off. procōs. l vlt. C. de rescin. vend.

Cambyses pecunia corruptum iudicem Sysannem necari iussit, atque pellem detractum in lora concidi, quibus tribunal integeretur, ibidemq; filium Otanem sedere iussit iudicem, memorem in quo tribunali iudicaret.

Pœna corrupti iudicis.
Herod. lib. 5.

Proponant iudices iustitiæ imaginem à Chrysippo descriptam virginali filo, aspectu vehementi & formidabili, luminibus oculorum acribus neque humilis neque atrocis, sed reuerendæ cuiusdam tristitiæ dignitate. Ex qua imaginis descriptione intelligant iudicem, qui iustitiæ antistes sit, oportere esse grauem, sanctum, seuerum, incorruptum, inadulabilem, contra nocentes immisericordem atq; inexorabilem, bonis placidum et securitatem ostentantem, vt apud Gellium legitur. Et Plato ex Orphei & Hesiodi sententia iudicij simulachrum virginem pingit pudicam.

Iusticiæ imago.
Gell. lib. 14. c. 4.
Plato de leg. lib. 12.

Non est constantis iudicis, cuius animi motum vultus detegit: Sed in cognoscendo neq; excandescere aduersus eos, quos malos putat, neque calamitosorum precibus illacrymari oportet, vt Callistratus respondit.

L obseruandum. ff. de off. præsid.

Aegyptiorum reges iuxta consuetudinem illius regionis iudices ad iusiurandum adigebant, vt etiamsi quid rex iuberet eos iudicare, quod iustum non esset, ne iudicarent. Tanti referre putabant, vt iustos iudices populus haberet.

Iudicis iusiurandum.

Galliæ Parlamento rex subiectus.

Apud Galliæ Parlamenta idem ferè obseruatur, ne plus regi liceat quàm iure concessum: Iudicum ea potestas, vt rex etiam eorum decretis pareat, & in controuersijs aliquando causa cadat, neque suis aduersarijs quibus cum litigat, præiudicare liceat.

L. vlt. c. si contra ius, & vtil.

Anastasius Imperator iudices monet, vt nullam sanctionem, nullumq́ rescriptum, quod per mendacium & contra vtilitatem publicam imperatum sit, in disceptatione cuiusuis litis patiantur proferri.

Iudiciorum personæ incorruptæ. d. l. rem non nouam. C. de iudic. l. 1. C. de asseß.

Vti iudices & præsides iudiciorum decet incorruptos esse, ita quoque assessores, scribæ, viatores à corruptione alieni officio sanctè persungi, & non nisi iurati functioni adhiberi debent. Sic constituit Iustinianus Imperator.

Iudices, scabini, atque assessores non sint procuratores neque aduocati, quamdiu officio funguntur.

Sportulæ.

Iudicibus, scribis, viatoribus sportulæ ac mercedes deputentur, ne partes grauet suo arbitratu. Apud Athenienses definita fuit certa summa, quæ drachmam non excedebat. Apud Romanos varia pro varietate summæ petitæ, vt etiam variæ sportulæ, quæ iudicibus dabantur, quanquam sæpius continerent decimam litis partem, quam dependebat litigator temerarius, Græci vocant πρυτανεῖα.

Officiales & iudices ac scabini partes sumptibus non grauent, sed vt certa pecunia constituatur in cognitionibus vel inspectionibus locorum controuersorum ac finium regundorum: Et vt contendentes non vocentur, neque audiantur in tabernis, neque symposijs soluendis grauentur.

Non fiant cognitiones in tabernis.

Scriba iudiciarius. Sigillum.

Iudicia singula suum habeant scribam ac proprium sigillum, & non solùm scabini, verùm vt iudex signet documenta publica. Documenta publica non signet, nisi prius lecta.

Scabini testimonia citra fauorem, citraq́ue fraudem & legitimè recipiant, & in iudicio deferant.

Contractus illicitos, & quæ alioqui prohibita, quæq́ue in detrimentum Reip. vergunt, non comprobent neque consignent.

Abusus, quòd solis scabinorum sigillis documenta auctoritatem accipiant & probent.

Vt via-

Vt viatores & nuncij neminem citent, aut pignora capiant citra iudicis iussum. Viatores.

Vt citatione facta, diem, locum, nomen notent.

Procuratores & aduocati suo officio legitimè fungantur, & non nisi iurati admittendi. De Procuratoribus. d. l. rem non nouam.

Præuaricatores qui cum aduersa parte colluserint, atque clientis causam prodiderint, extra ordinem pœnis pro criminis atrocitate coercebuntur, iuxta Iureconsf. responsa. L. 1. & 3. ff. de præuaricato. L. nemo. C. de postul.

Procuratores cum partibus iniqua pacta non ineant, sed constituto salario contenti sint.

Procuratores contumelijs abstineant, litem de industria non suspendant, item ineptis procemijs & ceremonijs tempus nō terant, iuxta Areopagitarum legem: Et sic constituerunt Impp. Valentinian. & Valens. Veritatem, inquit Menander, plerunque vi orationis in persuadendo opprimi, τὸ πιθανὸν ἰσχὺν τῆς ἀληθείας ἔχει ἐνίοτε μείζω καὶ πιθανώτερον ὄχλου. L. quisquis. eod. tit.

Periuriorum occasio omnibus modis anteuertenda. Quare iuramenta in iudicijs moderanda, neque iusiurandum in eadem lite iterandum, iuxta constitutionem Impp. Nec aliam iusiurandi rationem, quàm per Deum verum & per Euangelia recipienda: Nam Deus præcepit per nomē suum iurare. Admonendi causidici vt iuramenta quæ processus iudiciarij solennitas non requirat, remittant, qualia sunt malitiæ iuramenta, & his similia. Iuramenti forma & ratio. Nouell. consti. 5c. Deut. 6. d. l. rem non nouam, cum aut. seq.

Iuramenta quæ quibusdam locis aduersus idiographa & documenta publica pernicioso abusu recepta sunt, aboleantur.

Curetur vt iudicia ritè suoque tempore seruentur, iudices & scabini maturè adsint, partes disceptantes diligenter audiant, negligentes mulctentur.

Iudex, antequam sententiam ferat, de causæ veritate inquirat, vtranque partem sæpius interroget, & prorogato paulisper iudicis officio, pacificatoris partes sumat. Iudices pacificatorũ partibus funguntur.

Proponat incommoda, quæ è litibus prorogatis oriantur, & dictum Alcibiadis, Litem semper detrectandam si liceat effugere, ἐξὸν φυ-

L. penul. ff. de interrog. act. Consulere. L. 2. ff. de off. proconf. Iurisdictio. Voluntaria. Consiliarij. 1. Corinth. 6.

γεῖν μὴ ζήτει δικῶν. Nam interrogationibus iudicum interdum plus proficitur quàm positionum & articulorum ambagibus, quibus iudici sæpè illuditur, & audiendo summatim vna hora citius ad scopum causæ peruenietur, quàm integro anno iudiciarijs scriptis legendis, idque videtur comprobare Vlpianus. Veteribus consulere fuit iudicio causam permittere ex æquo & bono decidendam, vnde Martianus iudiciariam contentiosam, consiliorum verò volũtariam iurisdictionem vocat: voluntariam intelligens quæ consensu partium exercetur, iudicia enim in propatulo, consilia seorsim habentur, vnde assessores iudicum consiliarij dicuntur. Apostolus monet controuersias arbitris committendas.

Archidamas. Plutar. in Laconicis.

Archidamas arbiter delectus inter duos dissidentes, ambos in lucum Mineruæ duxit, atque iuramentum exequitur, vt starent arbitri iudicio: id vbi iurassent, Pronuncio, inquit, ne hinc exeatis quin inter vos dissidium deponatur, & inuicem reconciliemini. Effecit dexteritate, ne amicos offenderet recusato arbitrio, nec alterum alienaret è duobus, si pro altero sententiam tulisset.

Priscorum iudiciorũ simplicitas. L. Aemilius. ff. de mino. L. Debitores C. de pigno. & hypoth. Matth. 8.

Priscorum iudiciorum simplicitate, antequam hæ formulariorũ & rabularum vexandi iudicio contendentes labyrinthi & imposturæ inueherentur, obseruatum, vt non intentaretur actio in personam nisi admonito prius reo. Denunciabatur dies, quo vel soluendum vel præstandum, vel iudicium eo nomine suscipiendum esset: idque adhibitis testibus qui id factum testarentur, vt ex Iureconf. Pauli responso atq; Impp. rescriptis liquet, idque Christianæ regulæ conuenit.

L. placuit. C. de iudic.

Iudices in omnibus præferre magis debent iusticiæ æquitatisq; scripti quàm stricti iuris rationem, iuxta Constit. Constant. & Licinij.

Magistratus & iudices qualitatem rerum, personarum, temporum expendere debent, etsi è circumstantijs sit quædam dissimilitudo, non permittens vt ad legem scriptam referatur, permittitur ex probabili tamen humanitatis ratione mitigare legem scriptam, vt Vlpianus respondit.

L. iusiurandũ. §. penult. ff. de iureiur. l. 2. ff. de re iudic.

Neque scripto iure neglecta æquitate, neque æquo & bono ad scriptum ius non exacto iudicandum vel respondendum, sed vtrunque coniungendum:

dum: Nam æquitas è scripto iure constat, & ad hoc sunt leges proditæ, ne quis pro suo arbitratu ἐπιείκειαν fingens ab eis discedat.

Gradus æquitatis primus religionis, vt quoties negocio plures incidunt sententiæ, ea proferenda quæ propior religioni: deinde patriæ vel Reipub. tertius parentum, postremus priuatarum rerum, vt Cicero testatur.

Aequitatis gradus. Offic. 1.

Quia non omnia legibus complecti possunt, religioni iudicis relinquitur, qui ex æquo & bono & probabili rationis iudicio ac circumstantijs consideratis iudicabit, vt respondit Iulianus.

L. non possunt. cũ seq. ff. de legibus.

Iudices cordatos tales esse alijs debere docuit Isocrates, quales ipsi sibi esse velint: χρὴ τοὺς νοῦν ἔχοντας τοιούτους εἶναι κριτὰς τοῖς ἄλλοις, οἵωνπερ ἂν αὐτοὶ τυχεῖν ἀξιώσαιεν. *Huc pertinet quod aliàs superius inculcauimus:* QVOD TIBI NON VIS FIERI, &c.

Inst. de off. iud. §. 1. leg. rem non nouam. C. de iud.

Iudices pronunciabunt secundum leges & consuetudines rationabiles loci, non suo arbitrio.

Etsi vulgò adeò præstigijs probatorũ in iudicando niti solent, vt etiam si de causa in iudicium deducta compertum aliter iudex habeat: tamen secundum allegata & probata pronunciandum putetur: Verùm cum Vlpianus dicat, rei veritatem nullis erroribus vitiari. Quare vbi iudici veritas constat, non patietur eam falsis probationibus extorqueri. Cicero ostendit non in testimonijs, sed in sapientia & consilio iudicis constitutam esse debere iudicandi æquitatem. Quod autẽ Gellius scribit iurare debere iudicem, non liquere de causa, parum momenti habet, cum vel proprio iuramento astringatur quod sibi iustum visum sit iudicaturum, eiusque arbitrio permissum, quantum fidei testibus adhibere debeat.

An secundũ allegata & probata iudicandũ semper. L. illicitas. §. veritas. ff. de off. præs. Pro Fonteio. Gell. 14. cap. 2. Alciat. ad l. qui accusare. C. de æden. Nouell. consti. 150.

Sunt Iureconsulti, qui existimant, Quoties Iudex è certa conscientia mouetur ad principem referre debere, & se iudicandi necessitate exoluere: Quòd qui contra conscientiam iudicat, seipsum iudicet. At si princeps non audierit eum, rectè facturum, si Gellij exemplo iuret, sibi non liquere Quamuis enim secundum acta & probationes iudicandum: id tamen non adeò obseruandum pertinaciter, vt contra conscientiam quis pronunciet.

c. per tuas de simo. L. Pomponius. ff. de re iud. d. l. illicitas. dd. c. pastoralis. § quia verò, de off. iud. de leg.

Iudicem

Conſcientia mille teſtes. Nouell. conſti.105.

Iudicem non poſſe cauſam ſecundam æquitatem definire, niſi adhibeat conſcientiam ſynceram, etiamſi mille teſtes obſint, cùm in probationibus ſæpe dolus & error verſetur. Princeps cùm ſit lex animata, poterit pro ſua conſcientia iudicare, cauſasque definire, vt Iuſtinianus ſanciuit.

Sententia abſolutoria aut condemnatoria. L. 1. ff. de re. iudic. L. reſpiciendum. l. Arrianus. ff. de act. & obl.

Iudex ſententiam ferre debet aut abſolutoriam aut condemnatoriam atque certam: Tum enim res iudicata dicitur, vbi controuerſia pronunciatione iudicis finem accipit: interim memor illius Marcelli reſponſi, vt pronior ſit ad abſoluendum quàm condemnandum. Notata in Claudio Imperatore varietas in pronunciando, vt teſtatur Suetonius. Vtinam noſtro tempore iudices partim inſcitia partim malitia hac culpa vacarent.

L. properandum. C. de iudic. ff. de pœn. Vt cauſæ & lites legitimo tempore terminẽtur. d. l. properandum.

Curabit princeps, vt omnes cauſæ in iudicium deductæ legitimo tempore à iure præſcripto terminentur, ne lites fiant immortales, vt inquit Iuſtinianus. Abuſus execrandus, quod cum omnes ciuiles cauſæ à litis conteſtatione intra triennium, criminales intra biennium terminandæ ex Conſtitutione Imperatoria, hoc tamen pro corrupto noſtro ſæculo litigantes iuramenti aduerſus calumniam præſtiti parum memores, lites in hominis ætatem prorogant, adeo vt ſæpe partes ſumptuum, moleſtiarumq́ pertæſi ius ſuum deſerere cogantur.

Interim tamen non præcipitandæ ſententiæ, ſed vtriuſque partis probationes & iura diligenter cognoſcenda, iuxta illud: μή τι δίκην δικάσεις, πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούειν. *Quòd ſi non liqueat, Iuriſconſulti conſulendi.*

C. de ſequeſtra. prohib. l. vna. & ibi gl.

Sequeſtratio bonorum regulariter iure prohibita, exceptis caſibus certis: vtpotè ſi de conſenſu partium fiat, ſi litigioſa ſit poſſeſſio: aut ſi timeatur de dilapidatione rei vel fructuum: adde ſi poſſeſſor contumaciter abſit.

E ſcripto recitandas ſententias. L. hac lege. C. de ſenten. è breuib. recit.

Abuſus eſt quibuſdam locis ſententias non modò è ſcripto non recitari, ſed ne in ſcripta dirigere: cum tamen Imperator iudicibus mandarit, vt matura deliberatione habita poſt negocium ſententias ponderatas ſibi antè forment, & emendatas ſtatim in libellum fideliter conferant, ſcriptasque ex libello partibus legant: licet in cauſis parui momenti id non ſit neceſſarium.

Iudices

Iudices olim apud Romanos præsente prætore sententias ferebant tabulares, non vocales, vt Budæus testatur. L. vlt. ff. de Senato.

Magistratus sua auctoritate sententias exequendas curabunt, & reos parere cogent: Frustra enim sententia fertur, nisi sequatur executio, vt Vlpianus respondit. Vt iudicatorum fiat executio. L. à Diuo ff. de re iud.

Cùm filij Darij contenderent de regno Persarum, & sententijs Iudicum minor maiori præferretur, alter parere iudicato cogebatur, etiamsi probabiles causas haberet cur præferendus esset. Darij filij.

Nemo propria auctoritate etiamsi victor sententiam exequetur, vt Modestinus respondit. L. miles. §. qui iudicati ff. de re iudic.

Appellationem prohibentes primùm pugnant contra naturalem defensionem, vt notant Iureconsulti: deinde occasionem præbent grauißimè delinquendi. Sæpè enim iudicia fauore corrumpuntur partium. Appellandi auxilium nemini denegandum.

Quoniam iudices nonnunquam ad suggestionem litigantium vel alia lapsus occasione à Iusticiæ scopo aberrant, principes supplicandi remedium non denegabunt grauatis sententia partibus: Etsi quidam iudices, si quis contra eorum sententiam corruptißimam mutire auserit, capitale existimant. L. omnes populi. ff. de iust & iur. L. & in maiorib. C. de app. Supplicandi remedium.

Vulgus consultationem cum appellatione magno abusu confundit: interim si ritè discernatur ab appellatione non impediendam in arduis & perplexis causis, iisque locis, vbi ex consuetudine receptum, consultationem petere. Apostoli autem non concedendi, nisi vbi iam inde ab antiquo receptum. c. cùm ex literis, de in integ. restit. Cõsultatiõis & appellationis discrimen.

Vt de veritate constet, acta in quolibet iudicio tàm ordinario quàm extraordinario per tabellionem in hoc ordinatum vel loco eius per idoneos viros duos conscribantur. Sint igitur in quolibet iudicio geminæ capsæ, in quarum altera iudiciaria acta cum sententijs recondantur: in altera contractus, pacta, testamenta, successiones & similes causæ coram iudicio agitatæ, iuxta Constitutionem Innocent. III. Acta vt seruentur iudiciaria. c. quoniam cõtra de probat.

Libri in quibus acta iudicialia & contractus conscribuntur, diligenter reclusi seruentur, ne qua fraus fieri poßit. Demosthenes testatur Athenis fuisse scrinia forensia, in quibus testium dicta & acta litium in-

Echinus. *scribi solebant, vocaturq́ Græcis ἐχῖνος, quo ea quæ in acta, omniaq́ partibus producta velut apud sequestrum deponebantur, quoad palàm in iudicium proferrentur. Meminit Aristoteles quoque in Atheniensium*

Archiuum. *politia. Nos archiuum appellamus.*

Cap.3. Tempora cõtrouersijs dirimendis cõstituta.

Porrò quia superius diximus aulam esse debere asylum oppressorum, laudatum institutum, vt certa tempora dirimendis cõtrouersijs designentur: Sæpè enim fit, vt humiliores vel à potentioribus in publicis iudicijs vel fauore vel largitionibus vincantur: vel quia diuturnitate litis impensarumq́ grauitate deterriti cogantur iustam causam deserere: proinde supplices cognitionem summariam aulicam petentes non sunt repellendi. Et quanquam princeps promiserit se subditos quosque in suo competenti patrio iure conseruaturum, liberum tamen relinquitur principi partes litigantes ex iusta causa suspenso aliquamdiu iudiciario processu ad concordiam sarciendam vocatos audire: quod si minus succedat, ad cœptum iudicium remittere. Et cognitiones illæ etiamsi sæpe cumulentur, non tamen præcipitandæ, sed maturis deliberationibus tempus concedendum, neque respiciendum quàm breui tempore multæ controuersiæ expediantur, sed quàm benè ex æquo & bono componantur. Cauendum interim quod plærunque fit, ne nimium propter concordiam altera pars grauetur iniqua transactione, deturq́ alijs actionis intendendi & iniquum petendi vt æquum ferat, occasio: sed deprehensus iniquum calumniose petere, vt is ab agendo atque supplicando desistere, & aduersæ ac vexatæ parti impensas refundere cogatur. Vehementer placuit cum initio gubernationis, dirimendis controuersijs tua Cels. præsideret, animaduerteritq́ alteram partem potentiorum caterua & Iurecõsultis prægrauari, quod seorsim vocata humiliori parte aduocatis destituta, eiusque causa cognita iusserit per procuratorem generalem eius causam tueri.

Item prouocationes ab inferioribus tribunalibus ad aulam delatæ maturis sententijs decidantur, neque diutius suspendantur.

In referendis supplicibus libellis & actis, fidelis & accurata fiat recitatio, vt integrè legantur, neque memoriter referantur. Sæpe enim ad

fauorem partium flectuntur quædam aut supprimũtur, vt superius quoque cap. III. *attigimus.*

De Criminalibus iudicijs. Cap. XVI.

CVm homines non solùm doctrina regi, sed pœnarum quoque metu deterreri velint, concessus à Deo magistratus vindex contemptarum legum, vt violatores puniat: EFFVNDENS, *inquit Deus,* SANGVINEM *humanum,* EIVS *sanguis fundetur per hominem, hoc est, per magistratum, qui pœnas sumat à transgressoribus: Quæ lex fons est omnis iuris & potestatis.* Sanguinis effusi pœna.

Danda igitur imprimis magistratibus opera, vt subditi tales reddantur virtutis exercitio, vt non sit opus animaduersione, vt vel revereantur magis seueritatem quàm sæuitiam detestentur, & virtutis amore peccare oderint magis quàm pœnarum formidinem. Id quod Persas consueuisse diximus superius, & hîc quoque repetendũ, nimirum præuertentes curabant initiò ne tales essent ciues qui prauæ alicuius vel turpis rei patrandæ desiderio teneantur, προλαβόντες ἐπιμέλονται, ὅπως τὴν ἀρχὴν μὴ τοιοῦτοι ἔσονται οἱ πολῖται, *vt testatur Xenophon.* Curandum ne peccetur. Pediæ lib. I.

Oportet prudentes Rerumpub. gubernatores qui atrociora scelera vitari velint, leuiorib. occurrere. Sic apud Athenienses actio fuit κακηγορίας *ob conuicia,* αἰκίας *ob vulnera,* φόνου *cædis. Demosthenes in oratione, qua acerrimè in Midiam inuehitur quod alapam infregerit, Euæonem quendã refert ob vnius plagæ contumeliã Bæotum in cõuiuio cõfodisse. Et Cononẽ* αἰκίας *accusat orator, quod ab eo & filijs verberib. affectus, ostendens hanc petulantiam etiam leuium rerũ non ferendam in Rep. Siquidem ex paruis hisce irritamentis atrociora oriuntur, ex talitro ad pugnum, à pugnis ad gladium. Vnde Draconis legibus etiam olusculi furtum acerbissimè punitum. Quinetiam frugem aratro quæsitam noctu furtim pauisse perinde ac secuisse capitale sanxerunt* XII. *tab. Leges.* Euæon. κατ̓ μειδίου λογ. ὑπὲρ χορδύλου. Delicta punienda.

Interest autem Reipub. ne crimina maneant impunita, atq; vt delicta puniantur, vt Iulianus & Paulus Iureconſ. responderunt. Vnde per L. ita vulneratus. ff. ad l. Aquil.

L. eum qui nocentem. ff. de iniur.

inquisitionem citra accusationem de criminibus cognoscit magistratus iuxta decreta & statuta locorum.

Pœnarũ nerui necessarij in Repub.

Inanis est Resp. vbi pœnarum nerui desiderantur: ὐδὲν ἐςὶν ὄφελος πόλεως ὅπῃ μὴ νεῦρα ἐπὶ τοὺς ἀδικοῦντας ἔχῃ, *vt Aeschines dixit.*

Pœnæ quare institutæ.

Pœnas in hoc constitutas, vt aut castigati meliores reddantur, aut exemplo emendentur Platonis sententia, cui & Vlpianus astipulatur.

L. si. quis forte. ff. de pœn.

Gladij ius.

Sontes iuxta leges puniendi: non enim frustra gestat gladium magistratus. Vnde principibus in suis inuestituris ius gladij traditur, nimirum ad defendendos bonos & flagitiosos coercendos. Nec obstant quæ phanatici Anabaptistæ somniant de non vindicando, cùm ea ad priuatos pertineant, non ad publicam vindictam, quæ exercetur à magistratibus auctoritate legum.

L. respiciendũ. ff. de pœ.

Respiciendum est iudicanti, ne quid aut durius aut remissius constituat quàm causa deposcit. Nec enim aut seueritatis aut clementiæ gloria affectanda est, sed propenso iudicio, prout quæque res postulat, statuendum. Planè in leuioribus causis proniores ad lenitatem iudices esse debent, at in grauioribus pœnis seueritatem legum cum aliquo temperamento lenitatis subsequi, vt Marcellus respondit.

Criminum grauiorum pœna.

L. capitaliũ. eo.

Quæ autem sint pœnæ grauiores, recensentur à Callistrato, & in Constitutione Imperiali criminalium iudiciorum, nempè blasphemiæ, periurij, symoniæ, incendiariorum, grassatorum, furti, veneficij, falsi, raptus, adulterij, lenocinij, proditionis, rapinæ, seditionis, homicidij, latrocinij.

Gradus suppliciorum.

Et sunt gradus suppliciorum: alij ad furcam damnantur, alij viui cremantur: item capitis amputatio, metalli coercitio, in insulam deportatio, relegatio, fustibus alij cæduntur.

L. aut facta. ff. de pœn.

In puniendis delictis aut facta puniuntur, vt cædes, furta, aut dicta, vt conuicia, & infidæ aduocationes: aut scripta, vt falsi ac famosi libelli: aut consilia, vt coniurationes. Atque hæc quatuor genera septem modis consideranda, causa, persona, loco, tempore, qualitate, quantitate, euentu, vt Claudius Saturninus respondit.

Voluntas in delictis consideranda.

Voluntas & nocendi libido maximè spectanda in delictis, vt Vlpianus & Paulus existimarunt: Nam quæ spontè & consultò fiunt, acrius punien-

punienda quàm quæ ignorantia, vt Plato differit in Hippia minore, cui subscribit Marcell.

L. verũ, & l. qui iniuria. ff. de furt.

Euenit vt quibusdam prouincijs eadem scelera grauius puniantur, vt Callistratus testatur.

d. l. respiciendum. §. furta. ff. de pœn.

Ratio autem habenda vbiq; primùm illorum quæ in Deum committuntur, vt sunt blasphemiæ, hæreses, periuria, simoniæ: Pòst quæ in Rempublicam, in patriam, inde quæ in parentes, postremò quæ in alios: Sic Plato.

Aequitatis & stricti iuris distinctio. d. l. respiciendum.

Marcellus scitè distinguens inter ἐπιείκειαν & ἀκριβοδίκαιον: Delinquitur, inquit, aut proposito, aut impetu, aut casu: Proposito delinquunt latrones, qui factionem habent, Impetu cùm iusta indignatione vel contentione ad manus venitur, vel ebrietate: Casu, cùm venando telum in feram missum hominem interficit.

Aequitatis ratio. L. nonnunquam. ff. de iudic.

Hoc, inquit Vlpianus, æstimare oportet eũ qui ius dicit pro conditione causæ, vel personæ, vel temporis: & ita ordinem edictorũ & compendium moderari: Vt cùm lex furem quinque solidos furatum suspendendum sancit, de grassatore, non de lapso infirmitate ætatis, aut famis necessitate adacto, plærique Iurisconsulti interpretantur. Est enim æquitas mitigatio probabilis, non scripta sed consilio quæsita. Iudices freti sæpe auctoritate iuris stricti & exacta verborum obseruatione perniciosè errant, vt Celsus respondit.

d. l. si seruũ. §. de verb. ob.

Lex homicidium plectit capite: id non intelligendum esse de fortuito, & quod defensionis causa fit, æquitas docet: sed de homicidio petulanter & dolo facto, vt suprà de iusticia & æquitate priore libro cap. XIIII. *admonuimus.*

L. scientiam. §. qui cum aliter. ff. ad. l. Aquil.

Non apicibus semper stricti iuris ac maliciosæ callidæq; interpretationi forensium rabularum inhærendum, sed è circumstantijs iura metienda: Nam summum ius summam iniuriam veteres dixerunt.

Sumum ius summam iniuriam.

In iudicijs capitalibus ἐπιεικείας rationem habendam ex probabili causa, declarant iudicia duo olim habita in Areopago, in quorum priore absolutus est Mars, quòd stupratorem filiæ interemerit: in altero Orestes candidum calculum tulit quòd patris necem vltus: Vterq; à dijs Pallade

Iudicia Areopag.

& Apolline absolutus, vt testatur Euripedes. Quod videntur sapientes finxisse, vt docerent iudices discernere debere inter cædem dolo patratam & iusti doloris ac probabilis causæ occasione commissam, atq; seueritatem legum quibusdam casibus mitigandam. Itaque huius moderatione & ἐπιείκειας Deos auctores finxerunt, ne videlicet ipsi iudices à legib. discedere viderentur. Huc pertinere videtur cædes Mose Aegyptium occidentis nō temeritate carnis, sed heroico impetu diuinitus excitato ad fratrum iniuriā propulsandam. Phineas pio Zelo cōmotus occidit Zambri.

Seueritas legum quibusdam casibus mitiganda.

Mose cædes.

Asyliæ ius.

Ius Asyliæ olim lege Mosaica Hebræis, quos & Græci & Latini secuti certis locis concessum, veluti templis ac locis consecratis, vnde extrahere confugientes non liceret, nimirum vt insontes vel casu & imprudentia citraq; dolum lapsi confugium haberent, quo ab iniusta & illegitima violentia defenderentur. Non autem sicarijs, voluntarijs homicidis, sacrilegis, raptorib. concessa essent refugia: vt & Moses & Imperatores ac Pontifices constituerunt: τὴν γὰρ ἐκ τῶν ἱερῶν ἀσφάλειαν οὐ τοῖς ἀδικοῦσι, ἀλλὰ τοῖς ἀδικουμένοις δοθῆσαι, Iustinianus ait.

Exod. 21. L. 3. C. de his qui ad Eccl. c. c. inter alia. de imu. eccl. Nouell. constit. 7.

Clementiæ laus.

Ad iustitiæ temperamentum adhibenda Clementia: Nihil enim laudabilius ac generoso animo dignius clementia: Sola enim Deos æquat clementia nobis, inquit Poeta.

De æquitate & clementia vide c. 14. lib. superioris.

Sicq; miscenda cum iustitia clemētia, vt neutra ab altera separetur. Et quemadmodum interdum summum ius, summa est iniuria, non oportet semper apicibus iuris inhærere, sed ἐπιείκειας rationem hebere: ita in eos, qui per imprudentiam & probabili occasione deliquerunt, clementia potius exercenda, quàm qui ex proposito & petulanter crimina committunt. Sanabiles clementia dignos, insanabiles pœnas dare, vt exemplo alij deterreantur. Plato & Vlpianus censuerunt.

Lenitatis ratio.

Ita tamen lenitas temperanda, vt Reip. causa adhibeatur seueritas, sine qua rectè administrari non poterit, vt Cicero testatur.

Extraordinariæ cognitiones & pœnę.

Hodie enim licet ei, qui extra ordinem cognoscit, suo arbitratu sententiam ferre, vel grauiorem vel leuiorem, præserim de ijs, quibus iure non sunt expressæ pœnæ, ita tamen, vt in vtroq; modum non excedat, iuxta Vlpiani responsum. Neque semper τὸ ἀκριβοδίκαιον seruandum in supplicijs

L. hodie. ff. de pœn.

ciis sumendis etiã extraordinariis, cùm pœnæ sint odiosæ, nec debeant locũ habere nisi in casib. iure expressis. Leges XII. Tab. de capite ciuis, nisi per maximum comitiũ, illosque quos censores in partibus populi locassent, iudicari voluerunt, adeò de hominis salute veteres non leuiter decernebant.

De vita hominis non leuiter decernendum.

Generaliter placet in legibus publicorum iudiciorum ac priuatorum criminum, qui extra ordinem cognoscunt præfecti vel præsides, vt iis qui pœnam pecuniariam egestate eludunt, coërcitionem extraordinariam indicant: alibi in vincula duci, & corpus torqueri leges permittunt, quod vulgò dicitur: Qui non habet in ære, luat in corpore.

L. 1. §. generaliter, & l. 5. ff. de pœn. Qui non habet in ære, luat in corpore.

Non animaduertendum in quenquam in gratiã alicuius, sed iuxta leges. Memorabile quòd Alexander Magnus, vt quendam innocentẽ occideret interpellatus à matre obstante per nouem illos menses, quib. eum in vtero gestisset prægnans, prudenter respondit: Aliam posce mater mercedem, hominis enim salus officio nullo pensatur.

L. si quis id quod. ff. de iurisd. l. quicunque quod. C. de ser. fug. Alexander Magnus.

Decet omnẽ animaduersionẽ ira & contumelia vacare, neq; ad eius qui punit, ad Reip. vtilitatem referre, vt Cicero sapienter dixit: Et inuitum ad supplicia venire oportet, perinde atque eum qui membrum deploratum cogitur resecare, ne totum corpus corrumpatur & pereat.

Inuitum ad supplicia venire magistratum.

Proinde principes aut magistratus decreta præsertim in criminalibus non debent præcipitare, vt in cæde illa Thessalonica accidit Theodosio, sed potius Constitutio Impp. Grat. Valer. & Theodos. præponenda, quæ sancit ad triginta dies executionem suspendendã sententiæ capitalis, vt si fortè ex affectu & sinistra criminatione exacerbato animo lata sententia, causæ exactus cognosci, & affectus sedatior magistratus ad clementiorem sententiam flecti poterit.

Non præcipitandas sententias in criminalibus. L. si vendicari. C. de pœn. Hist. eccles. lib. 11.

Tiberius Imperator vetuit, ne damnati intra decem dies supplicio afficerentur, vt Dion Nicæus testatur.

Tiberius Imperator.

Athenodorus Cæsari monumentum philosophicum reliquit, Cùm fueris, inquiens, iratus, ne quid dixeris feceris ue prius quàm alphabeti literas apud te recensueris.

Athenodori præceptum.

Anaxandridas rogatus quare Lacedæmonii plures dies insumerent

Anaxãdridæ apophth.

cognoscen-

cognoscendis capitalibus causis: Quia, inquit, si in his semel erratum fuerit, non est corrigendi consilij potestas.

Sanctius nocentem absolui, quàm innocentē damnare.

Traianus Aufidio rescripsit, sanctius esse impunitum relinqui facinus, quàm innocentem condemnare, vt Vlpianus refert.

L. absentem. ff. de pœn.
Hæreseos delati citra cognitionē iniquè necātur.

Cum iudices pronunciare debeant secundum id quod eorum conscientia dictet, & quod in iudicium deductus confiteatur, parum iustè faciunt, qui hæreseos delatos ab inquisitoribus citra cognitionem tradant supplicio afficiendos, iuxta Const. Bonifacij pontificis.

c. vt inquisitionis de hæret. in 6.

In delictis fit remissio ad locum, vbi quis deliquit. Quod si iudex facere neglexerit, punitur ex Constit. Imperat.

Auten. si verò criminis. C. de adulte.
Carcerum vsus.

Carceres restituantur non ad pœnam, vt plærisque locis fit præter legum auctoritatem, sed ad custodiam, & ad continendos, non ad puniendos homines, Sic Vlpianus respondit. Et Liuius, Carcer, inquit, foro imminens ad terrorem increscentis audaciæ.

L. aut damnum. §. folio. ff. de pœn.
Priuati carceres.

Priuati carceres monachorum & monialium propter tyrannidem, qua sæpe innocentes affligunt, non tolerandi, iuxta Zenonis constitutionem.

C. de priuat. car. l. vna.

Abusus quoque non probandus, quòd honesti homines in carcerem temerè interdum conijciuntur, vnde existimationis notam contrahunt.

Item quod facinorosorum extra crimē maiestatis supplicio affectorum vxores & liberi proscribantur, ac bona à magistratib. vendicentur, cùm pœna hoc casu non transeat ad hæredes, nec parentum crimen in liberos redundet.

Lictorum & carnificum ratio.

Lictores & carnifices, cùm ministri sint & executores iustitiæ, si alioqui honestè viuant, & officio suo legitimè ex mandato magistratus perfungantur, non abominandi, neq; iniuria vel cōtumelia afficiendi, haud secus quàm iudex, qui sententiam pronunciat. Qui vt est lex loquens ita lictor quoque lex exequens. Nec peccare militem testantur canones, qui iussa magistratus exequitur. Constat quoq; veteri Testamento sanctos viros & honestos de fontibus supplicium sumpsisse. Abihau iussu Salomonis occidit nocentes. Pineas occidit Israelitam fornicantem cum Midianitico scorto. Elias occidit prophetas Baal. Etiamsi Aristoteles hos, qui

24. q. 5. c. miles.

qui huc se asciscì patiuntur, tanquam flagitiosos abominetur. Estque censoria lege cautum, ne quis ciuis Romanus carnifex esset. Cæterùm quia necessitas hoc officium requirit, si suis stipendijs contenti, & honestè viuant, ob munus etsi odiosum non sunt contumelijs afficiendi.

In torturis & quæstionibus decet principes & magistratus magnam cautionem adhibere: Neque enim in magistratu impunitam crudelitatem in torquendo leges voluerunt, si modũ excesserint: Nam moderata temperamenta in quæstionibus obseruãda Arcadius respondit. Sic enim torquendus reus, vt vel innocentiæ vel supplicio saluus reddatur Vlpiani responso. Edictum extat August. Quæstiones neq; semper neq; in omni causa desiderari, sed cùm capitalia & atrociora maleficia aliter explorari nõ possunt. Cui subscribit Vlpianus: Quæstionibus fidem nõ semper neq; nunquã habendã: nam rem esse fragilem & periculosam, & quæ veritatẽ sæpe fallat, plerią; enim patientiæ duritia ita tormenta contemnunt, vt exprimi veritas nullo modo possit. Alij rursus tãta impatientia, vt in quouis potius mentiri quàm tormenta pati malint, ac non se solùm sed alios criminentur. Id quod ante Vlpianum Quintilianus testatus: Quæstionẽ, inquit, pars altera necessitatẽ fatendi vocat, altera etiam sæpe falsa dicendi: quòd alijs patientia facilè mendacium faciat, alijs infirmitas necessarium. Nã si de quæstione habenda agatur, plurimũ intererit, quis & quẽ postulet aut offerat, & in quẽ ex qua causa, siue iam erit habita, quis ei præfuerit, quis & quomodo sit tortus, an credibilia dixerit, an inter se constantia, perseuerauerit in eo, an aliquid dolore mutauerit prima parte quæstionis, an procedente cruciatu, quæ vtrinq; tàm infinita sunt, quàm ipsa rerum varietas. Hæc ille. Addit Vlpianus à quæstionibus incipiendum non esse, sed ita demum adhibendas, si causa magna subsit, vel personæ vel rerum qualitas hanc confessionem postulet. Videndum ne odio aut vlciscendi animo adhibeantur, sed indicia præcedant idonea, argumenta extrinsecus accedant, & circumstantiæ personarum, locorum, temporum, qualitatis, quantitatis, euentus, quib. Iurisconsulti facta punienda existimarunt. Est etiam ratio habenda ætatis, dignitatis, &c. His autem omnibus spretis hominem adigere, vt fateatur quæ non patrauit, est inexcusabilis sæuitia.

Torturæ ratio.
L. de minore. ff. de quæstio. l. quæstionis modum. ff. eo.
l. edictum. ff. de quæst.
L. 1. §. quæstionem eo.
Lib. 5. c. 4.
d. l. 1.
Indicia idonea in quæstionibus requiri.

Abusus est quod plerisque locis carnifices sententiam pronuncient. Criminales causas intra biennium, vt ante quoque dictum, finiendas Iustinianus sanciuit. Neque enim expedit criminales quæstiones diu suspendi, quapropter pœna quoque ab Imp. adiecta iudicibus id negligentib. infligenda. Curandum principi vt iudicia visitentur, iudicatorumque perinde atque ab alijs magistratib. gestorum ratio exposcēda, quod vulgò syndicari, Græci εὐθύνας dicunt. Sic à Philippo Gallorum rege, cognomēto pulchro, statutum, vt in Parlamenti iudices tertio quoque anno cùm tardissimè inquireretur Florentiæ à septemuiris Iureconsultis triennio indicantibus post exactum tempus ratio exigitur perfuncti muneris iudicandi, licetque quibusuis actionem hanc intentare. Iustinianus constituit antequam magistratu abiret quinquaginta dies sub publico conspectu omnibus actionem intendere volentibus responderent, & si qui sibi malè conscij aufugerint, substantia exciderent.

L. vlt. C. vt intra cert. tēp.

Philip. Pulcher rex Galliæ.

Nouell. constit. 101.

De inspectione administrationis Reip. Coronidis vice adiectum. Cap. XVII.

QVemadmodum bonus agricola nunquam debet esse otiosus, semper habens quod agat, ita principem, cui tot incumbunt, tàm multi homines concrediti à Deo, semper occupatum esse decet. Siquidem modò legibus ferendis, controuersijs componendis, iuridicundo, modò legationib. vel audiendis vel ablegandis, officijs dispensandis, alijsque innumeris, domi atque foris negotijs adeò distenditur, vt ne solidā dormire noctē concedatur, vt apud Homerum admonetur Agamemnon. Qua occupationū mole plurimùm leuari poterit princeps, si ordine, tempore oportuno, certisque personis, vt de synergis diximus, singula procuranda & exequēda demandet. Et tanquam apum rex in alueario, ita princeps omniū officia inspiciat, diligentiā consideret, & an quique demandata grauiter exequantur. Scitum à Cicerone celebratū velut ænigma, quod veterib. oraculi vice vsurpatū Cato in re Rustica testatur, FRONTEM OCCIPICIO PRIOREM. *Quo significatur Domini præsentiam in omnibus negotijs expediendis plurimum momenti habere, & rectius & expeditius res geri, vbi præsens*

Occupatiōes & otiū principis.

Occupationum molis leuandæ ratio.

Frons occipitio prior.

sit ipse cuius negotium geritur. Id quod nulli magis obseruandum quàm principi, si modò veri principis officio perfungi velit, & Episcopis qui inde nomen habent. At hodie plurimi ex his neglecto hoc oraculo alienis oculis vident, alienis auribus audiunt, manibusque alienis vtuntur, atque adeò occiput fronte prius esse patiuntur, parum aduertentes, ibi Rempub. optimè administrari, vbi auris audit & oculus videt, iuxta Sapientis gnomen. Constantinus, vt antè dictum se inspectorem ἐπίσκοπον *profitetur à Deo constitutum Reipub. Porrò hæc inspectio partim domi in aula, partim foris fieri poterit.*

Episcoporũ nomen.

At verò in aula inspicienda examinandaq́ primùm aulæ œconomia an ritè administretur, an prouentuum fiat frugalis & fidelis dispensatio, an receptorum expensarumque exacta ratio, an iustitiæ officina ferueat, an denique suo quisque fungatur officio. Eaque omnia hybernis temporibus domi citraque molestiam expediri poterunt. Quæ verò foris per ditiones inspicienda, etiam per æstatem cum voluptate, modò venationis, modò aucupij, modò piscationis prætextu, ac velut aliud agendo præstari poterunt. Non est nouum neque obscurum principes venatione feræ insequendæ studio longius abductos, ac in persona priuati hominis pleraq; cognouisse veluti per lusum, quæ seria inspectione nõ essent indigna. Nondum memoria excidisse arbitror, cùm initiò gubernationis susceptæ ad remotiores ditiones concessisses, quo rarius maiores tui diuerterunt, subditos quasi nouo solo oriente exhilaratos confidentius suas querimonias & iniurias exposuisse, teq́ue cognita præfectorum ministrorumq́ue tyrannide, eos èxutos præfecturis seueriter mulctasse.

Inspectio aulicæ œconomiæ.

Foris inspectio.

Ex re igitur & principis & Reipub. fuerit Cassitæ exemplo, & oraculi Catonis admonitione, frontẽ occipitio præponere, & ditiones ac præfecturas modò has modò illas inspicere, atq; exquirere conditiones earundẽ, nõ q̃ de Verre tradit Cicero, vt subditos expilet, aut iuri, aut priuilegijs eorundem aliq̃d detrahat, sed vt Vlpianus de procõsulis et præsidis officio tradit prouinciã ac ditiões circumeat, inspiciatq́ an opera publica sarta tecta præstẽtur an refectiõe indigeãt, et si qua cæpta sunt, vt cõsumẽtur, prout vires eius Reip. permittunt. Curatores quoq; operũ diligẽtes solẽniter præponat,

Ditiones lustrandæ non grauandæ.

In Verr 5. act.

L. si in aliquã ff de off proconf.

Quarũ rerũ inspectio necessaria.

§. de plano, & §. obseruare. L. necquaquā eo. tit.

Vt nemo cōcutiatur aut opprimatur. L. illicitas. §. ne potentiores, de offic. præsid.

ministeria militaria si opus ad curatores iuuandos dare, item vt postulata & querimonas ciuium odiat, de plano cognoscat, pupillis ac viduis debilibusq́ aduocatos decernat, prospiciat ne humiliores à potentioribus opprimantur, aut iniurijs afficiantur, néue prætextu adiuuantium militares viros illicitis ministerijs ad concutiendos homines vtantur.

Thalos ὁ. θάλως.

Thalos in hunc vsum à Minoē constitutus extra vrbem iudex in singulos annos regionem obibat custodiæ legum intentus, æneasque tabulas pagatim circumferebat, vt Plato testatur.

Legum custodix cura. Nouell. constit. 161.

Iustinianus, Non tantùm, inquit, decenter leges ferre summo bono est, sed etiam sancita custodire, & ad effectum deducere, transgressoresq́ competentib. pœnis subijcere. Quæ enim legū vtilitas, si in literis duntaxat consistant, ac non etiam per ipsa facta & opera subditis vtilitatem de se præbeant? Et quanquam subdat hanc curam præfectis commissam, vt Reip. nihil desit, at nisi principis ipsius inspectio accedat, edicta sæpe per auaritiam & tyrannidem præfectorum negliguntur.

Proinde pius princeps meminerit se constitutū à Deo legum custodem, cui custodiæ satisfacere non poterit, si semper alienis oculis alienisq́ auribus omnia permittat: Sed ditiones suæ administrationi concreditas aliquando inspiciat, inquiratq́ primùm quæ ad Dei honorem, deinde, quæ ad publica commoda, postremo, quæ ad principale patrimonium pertinent.

Ecclesiarum inspectio.

Quia verò ad Dei honorem pertinet cura Ecclesiarum, quæ etsi Episcopis incumbere debebat, at illis dormientib. magistratus qui custos est à Deo constitutus, non solùm politicarum & legum secundæ, verùm etiam primæ tabulæ, eandē solicitudinem nō negliget, inspiciatq́, vt in Ecclesijs doctrina purè annuncietur, & Sacramēta legitimè administrētur. Videndū an Ecclesijs idonei ministri cōstituti, an stipendia suppetant, an simoniaci cōtractus, an iura Ecclesiarū cōseruentur, an prouentuū rationes exigātur, an synodi seruētur, an publica offendicula coërceantur, an clauiū vsus recte vsurpetur, an sine blasphemijs, periurijs, alijsq́ manifestis offendiculis obnoxij, an incātatores, magicis artib. dediti, an hæreses, sectæ, clancularia cōuenticula foueantur, an ædes sacræ, tēpla, sarta tecta præstētur, an κειμήλια cōseruentur, an sint scholæ, et quo pacto pueritia instituatur: Collegia et mona-

monasteria, quib. exercitijs vtantur, an vacēt sacris literis & piæ discipli næ, an scholas habeāt, quid doceatur, an habeant qui sacras literas doceāt: quæ bonorū dispensatio: an prælati suo officio fungātur: an archidiaconi, qua diligentia, & an sacræ scripturæ ad veterum canonum normam, synodos, visitationes Ecclesiarum, iurisdictionem tueantur. Hæc & similia curet princeps exquirenda, vt & superius cap. IX. *monuimus.*

Item an pauperum ratio, an xenodochia, ptochotrophia & orphanotrophia fideliter curentur: an viduarum, orphanorum & miserabilium personarum ratio habeatur.

Hinc progrediendum ad politica, an toparchæ, præfecti, iudices, scabini ac cæteri ministri principis & Reipub. suo officio fungantur, an iudicia per idoneas personas legitimo processu & tempore idoneo seruentur, an leges, edicta & ordinationes gnauiter per ministros curentur exequenda. Politicorum inspectio.

Examinandæ leges & consuetudines, excutienda statuta, an ratione & æquitate nitantur, abusus abrogandi: quales aliquot iuri & æquitati contrarij pluribus locis huiusmodi abusus consuetudinis fuco à magistratibus aut præfectis ad rapacitatem excusandam prætexuntur, è pluribus paucos indicabo. Alicubi praua cōsuetudine introductum, vt naues tempestatibus eiectæ, earumque merces & onera, vbi ad littus appulerint, mox à magistratibus & præfectis eius loci occupentur, tanquam fisco deuoluta. Quam quidem consuetudinem olim Andronicus Constantinopolitanus Imperator tanquam iniquam à Romanis vsurpatam abominatus, vt Nicetes scribit, inquiens, ἀλογωτάτου παρὰ ῥωμαίοις ὡς ἔοικε νόμου ἰσχύοντος τὸ τὰς ναῦς χειμαζομένας ἀπὸ φλοίσβων θαλαττίων τῦλα πνύσας, &c. *Post autem à Frederico Imperatore abrogata, qui, Nauigia, inquit, si quo casu ac tempestate ad littus ferantur aut naufragium patiantur, tàm ipsa nauigia quàm nauigantium bona ipsis integra seruentur, & illis ad quos ante naufragium pertinebant reddantur: sublata penitus omnium locorum consuetudine, quæ huic aduersatur sanctioni, nisi piraticam exercuerint, aut hostes fuerint Christianorum. Transgressores huius constitutionis bonorum publicatione mulctandos. Hactenus Frederici Noua Constitutio.* Naufragio eiecta. Nicetæ annalib. de Andronici imperio.

Superioribus annis cùm primùm in aulã venissem, & hac de re querimoniæ apud principem factæ, ipse citata Frederici Constitutione principem hortatus, vt hunc abusum abrogaret.

Auten. nauigia. C. de fur.

Alia eiusdem propriè moneta: Si plaustro casu euerso homo pereat. Quidam principum præfecti plaustrum vnà cum iumentis & oneribus siue mercibus impositis quasi fisco vendicandum arrripiunt, contra omnem iuris & æquitatis rationẽ, nisi quod prætexãt, nautas & aurigas ob pœnæ metũ cautiores reddi. Verùm quia præter iuris rationẽ hæ consuetudines introductæ, diligẽter abolendæ, iuxta Pauli responsum, quod contra iuris rationem, &c. Idem abusus in re furtiua vsurpatur, quo freti Apronius & Timarchus Verris ministri apud Ciceronẽ in rem furtiuam prætextu custodiæ manus inijciunt. Accepimus quendam quingentos aureos penes se deferentem à præfecto pecuniæ cupido comprehensum furtiq́; insimulatum, eoq́; prætextu suspensum, vt pecunia tanquam res furtiua præfecto loci cederet. O rapacitatem planè Verrinam: O custodes seruandæ scilicet rei constituti, sed quis ipsos custodes? Quibusdam locis peregrinorum & aduenarũ bona, si intestati decedant principes ac magistratus iniqua consuetudine occupant, contra constitutionem Friderici. Iniquissimum vbi principes & magistratus bonorum pupilli fructus suos faciunt.

Plaustro euerso homo necatus.

ff. quod contra, de reg. iu.

Res furtiua. Cic. Verr. 5.

De statut. & consue. contra libert. &c. §. omnes.

Vulgò magno abusu iactatur dictum, Ein jar lose/hundert jar lose: *Quod dictum hinc ortum existimatur, quod Iureconsultorũ bona pars tradit, Iuri offerendi pignoris non præscribatur, hoc est, quod hypothecarius proprietario præscriptionem opponere non potest quamdiu fatetur hypothecam, quin semper proprietarius oblata pecunia redimere hypothecam possit, etiamsi in ipsa hypothecæ obligatione cautum sit, vt si intra certos annos pignus vel hypotheca redempta non fuerit, quod tum hypothecario cedat, quod in Iure Ciuili prohibitum est. Siquidem pactum legis Commissoriæ in pignoribus improbatur ac rescinditur ex rescripto Constantini Imperatoris. Interim si proprietarius redemptionem offerat, & hypothecarius neget hypothecam esse, atque inde triginta anni effluxerint, quibus proprietarius redemptionem nõ vrgeat, hoc casu hypothecarius præscriptionem proprietario opponere poterit. At in emptione & venditione*

Ius offerẽdi.

L. fin. C. de pact. pign. & leg. commiss.

longè

longè alia est ratio, aliaque natura quàm in hypotheca. Nam in venditione lex Commissoria magnam habet æquitatem: vt si fundus venierit adiecto pacto, vt liceat intra certum tempus redimere restituto precio: Sin autem venditor sinat præscriptum tempus elabi, res manet emptoris, neq. dabitur in posterum venditori actio. Absurdum enim est huc dictum illud torquere, Ein jar lose/hundert jar lose. L. 2. & 4. ff. de leg. commiss.

Simili abusu vulgò dicitur: Vbicunq. in documētis emptionis precium expressum reperitur, hic semper redemptionē oblato precio concedi: Quod prorsus cum iure scripto pugnat, quandoquidem precium in contractu emptionis tanquam substantialis pars exprimi debet: Iam si contractum comprobat, quo pacto retrouenditionem tribuet? Adde omnem contractum è conuentione partium legem sumere. Precium expressum in documentis emptionis.

Eiusdem abusus, quod fideiussores non requisitis prius principalibus conueniantur, etiamsi principales intra territorium habitent, & bona possideant. Fideiussores excussi non requisitis principalib. auten. præsen. C. de fideiuss.

Hæc ex innumeris indicare volui, vt similis notæ consuetudines & abusus inquirantur atque corrigantur.

Inquiratur ecqui in ciuitatibus municipijsque ac pagis iudices, consules, scabini vel assessores, decuriones creentur, an homines idonei ac honesti, Deum timentes, iuxta ea quæ superius suo loco dicta, vt opificia & artes honestæ foueantur & priuilegijs inuitentur: mercimonia citra fraudem exerceantur, mensuræ, pondera ne adulterentur, monopolia, vsuræ, illicitique contractus coerceantur. Ciuitatum inspectio.

An præfecturæ, præturæ, quæsturæ, per homines incorruptos & politicos iuris patrij & literarum magis quàm solius militaris rei peritos administrentur, an suo quisq. officio perfungatur, an suis stipendijs cōtenti subditos non concutiant, aut seruitijs alijsq. oneribus grauent, vt Iustinianus præscribit præsidi Pisidiæ inspiciendum, Ecclesiarū pastores in officio contineant, res Ecclesiæ cōseruent, rationes quotannis exigant: pauperes non negligant num pueritia etiam in pagis rectè educetur atq. instituatur, maturè artibus & ad victū honesto labore parandū pro cuiusque ingenio adhibeantur, vt inutilib. & noxijs hominib. regiones liberentur, quo quisq. Præfectorū. Seruitiorū. Nouell. constit. 24. Ecclesiarum. Scholarum. Otij. Agriculturæ.

quæstu

quæstu viuat. Imprimis curandum Cyri regis exemplo, vt agri benè colantur: rustici diligentes beneficijs excitentur, ignaui mulctentur, vt cap. XIII. *huius libri admonitum.*

Publicorum. *Quæ communia, publica aut vniuersitatis sunt, & publicæ vtilitati seruientia, non patiatur princeps priuatorum vsibus intercipi: pascua, syluæ, piscinæ, molæ, & quæ ad communitatem ac Reipub. vtilitatem pertinent, diligenter conseruentur, neque tolerentur citra vrgentem necessitatem, citráque principis auctoritatem distrahi, diuidi, oppignorari aut elocari.*

Fluminum ac riuorum. *In fluminibus & riuis, etsi principes iure regalium auctoritatem habeant: non tamen decet riuulos qui priuatorum pratis, viuarijs ac cæteris necessarijs rebus seruiunt, clientelæ iure priuatorúmque vsibus concedere in aliorum subditorum præiudicium, adeò vt ne anaten quidem aut anserem alere liceat accolis, nisi à beneficiarijs redimatur. Cum his alendis plerique subditi ad tributa pendenda & seruitia præstanda & exactiones soluendas veluti adminiculis vti cogantur.*

Item ne quid in fluminibus publicis ripáue eius fiat quo peius nauigetur, aut cataractarum impedimentis quo minus pisces ascendere & subditis piscationis vsum præbere queant. Huc pertinet an ripæ fluminum, septa, incilia, aggeres suo tempore inspiciantur, & iuxta consuetudinem ac leges eius loci muniantur, & si quid desit reficiatur: an alluuionem & insularum iura conseruentur, iuxta constitutiones Adolphi ducis, attaui tui paterni, principis sapientissimi. Adolf. D. Cliuen. ordinatio de Reip. mun. *Idem in feris & venatu inspiciendum principi, ne numerosiores greges ad depascendas segetes miserorum ali patiatur, & labores & impensas in colendo agro absumi, ac suas voluptates inedia subditorum pascat, memor diuitum delicias pauperum sanguine instrui, vt Ambrosius de Nabothe concionatur.* Ferarum. *Crudelissima autem quorundam principum consuetudo vel tyrannis potius ob feram quæ segetes miseris absumpserit occisam vel etiam depulsam, membro atq; adeò vita mulctari hominem. Refertur de Episcopo quodam, qui ob feram occisam hominem ceruina insutum pelle canibus lacerandum obiecit. Præclarum pastoris Ecclesiæ facinus, Nerone verius quàm Episcopo dignum exem-*

Feræ occisæ pœna crudelis.

exemplum: nam Tacitus scribit, Neronem solitum Christianos ferarum tergis cõtectos canibus laniandos obijcere. Moderetur princeps affectus, neque tantùm indulgeat venationis illecebris, vt miseros subditos, à quibus ipse iniuriam depellere & tueri agros debebat, immißis feris tanquam calamitatem accersat, & vnde illi & vectigal pendere, & vxori ac liberis victum quærere cogantur, id tutò colere non liceat: Sed tenet insatiabile multos principes venandi cacoethes. Ferunt Mithridaten adeò venandi rabie percitum, vt septem continuis annis neque vrbis neque ruris tecto vsus. Actæona, vt est in fabulis, aiunt in ceruum mutatum atque à proprijs canibus discerptum: Quo figmento adumbratur, quòd facultates omnes in canes ad venatum alendos insumpserit. Et nostræ ætatis principes plurimi malè audiunt quòd nimium venationibus indulgeant. Moderata venationis recreatio tantis Reip. curis principibus meritò debetur, si non fiat cum subditorum ac segetum calamitate. Olim iure gentium venatio & occupatio ferarum quibuslibet libera erat, & Imp. eam citra discrimen omnibus permittit, id quod etiam nunc quibusdam locis liberum relinquitur, nisi longißima præscriptione quis hoc ius priuatim vendicarit. Ac posterioribus sæculis libertas venandi ad vrsos & lupos restringitur iure consuetudinario feudorum. Contempletur opera publica, oppida, arces, castella opportunis locis sita, vt vel muniantur aduersus incursus hostium, vel munita custodiantur: item portus, traiectus, pontes, sepes publicas & militares, speculas, obices & repagula publicarum viarum ad inopinatas irruptiones parata atque opposita, & breuiter, vt omnia opera publica sarta tecta præstentur.

Tacitus li. 15.

Mithridates.

Actæon.

Instit. de re. diuis. §. feræ. L. quisq. ff. de diuers. & temp. præscr.

§. nemo. de pace te. in vsib. feud.

Opera publica. d. l. si in aliquam.

Ædes præsertim in ciuitatibus ad vtilitatem salubritatemq́; quantum fieri potest ædificentur non nimis angustæ, etsi non vndecunque, saltem frontes & camini sint latericij aut lapides imbricibus aut tegulis operiantur aduersus incendia.

Incendiorum diligens cautio vbique adhibenda sanciendaque, inquirendum an curentur à magistratibus instrumenta, quibus exortum reprimatur extinguaturq́;, an certæ leges quid cuique agendum exorto incendio. Olim accuratißima huic malo cura adhibita, adeò vt Tribuni plebis

Incendiorũ cura.

L.1.& 3. ff. de off. præf. vig.

& Aediles interuenirent, eratq́ familia publica circa portas & muros disposita, vnde si quis esset euocabatur, fuerunt & familiæ priuatæ quæ incendia vel mercede vel gratis restinguerent, vt Paulus Iureconsultus tradit. Nec vlli magis conuenire nec alium sufficere huic rei quàm principem, quare Augustus maluit per se huic rei consulere.

L.vlt.eo.tit.

Seriò autem admonendi inquilini, ne per negligentiam incendij dent occasionem. Negligenter autē ignem habentes flagellis ac fustibus cædendos Vlp. respondit.

Limitum.

Exquirenda limitum suæ ditionis ratio, ne quid inde dissidiorum fomenti oriatur cum vicinis. Sæpe enim vel ob finium regundorũ, pecorum pascendorum, lignationis glandis legendæ, aquæ ducendæ, venationis controuersiam, & ob leue ius ingens belli incendium concitatur. Et sæpe fit præfectorum morositate vel simultate priuata, vt harum rerum leui controuersia inflammentur principes, vt dum suum quisque ius summum defendere vult, summam plerunq́ iniuriam sibi accersat. Quòd si ipsi principes coràm de his conuenientes conferrent, facilè vicinitatis & pacis causa vtrique alteris concederent, neque paterentur rem tàm leuem dissidiorum occasionem præbere. Proinde principes in his & similibus circumspectos esse oportet, neque semper vel ministris nisi re prius explorata fidem habere, vel in rebus tàm modici momenti summo iure niti.

Viæ publicæ.

Collustrandæ viæ publicæ an curentur ac reficiantur, vt neque humilioris neque angustioris refectionis prætextu reddantur, iuxta edictum Ioannis Illustrissimi parentis tui.

Securitas viarum.

C.1.§.conuentionales. 2. col. versicu. sed istud de pace cur. fir. & ibi Bald. l. 1.§. summum & ib. Bar. ff. de his qui deie. l.1.§. in Sardiniæ. C. de o ff. præf. præ to. Afr.

Vijs publicis securitas præstetur & libera commeandi libertas. Nihil enim laudabilius principi quàm vt itinera per suas ditiones secura præstet. Qua in re magnã laudem meruit piæ memoriæ parens tuus Illustrissimus, quòd violatores publici commeatus citra cõniuentiam citraq́ vllum personarum respectum seueriter punierit. Reipub. interest sine metu & periculo per itinera publica commeare: maximè enim qui gadellas & tolonia vectigaliaq́ accipiunt ad custodiam territorij sui tenentur.

Securitas & saluus conductus conceditur aduersus vim, non autem contra ius. Despiciendum an iudicia suis locis ritè & incorrupta seruentur, vt secundum leges & consuetudinem loci pronunciatur, processus legitimo-

gitimo tempore terminentur, vt superius de iudicijs & iusticia administranda diximus.

Perduellionis & maiestatis rei, qui in Rempub. aut principem hostilem animum sumunt, quos Iustinianus καθοσιώσεως ἐνόχους *vocat, tanquam perniciosissimos latrones persequantur, cum quibus ne paciscendum sine iusta causa, sed tanquam latrones, sicarij atque incendiarij habendi, & vnà cum liberis & vxoribus proscribendi.*

Perduellionum. Nouell. Consti. 95.

Repressalia & pignorationes, quæ à Iustiniano ἐνεχυρασμοὶ *appellantur, nisi fiant ob iusticiam denegatam, & ciuili & canonico iuri, ac vicinitatis concordiæ conseruandæ contraria non tolerentur.*

Repressalia.

Curandum interim magistratibus, ne cui detur iusta hostilitatis ac diffidationis causa, ne cui vis fiat, neque iusticia denegetur: nam ab his solennibus verbis repetitio fieri potest, quam vocant clarigationem: Siquidem hi perduelliones hostes publici dicuntur. At si qui præter has aut alias iustas causas hostilitatẽ indixerint, hos non pro hostib. sed pro prædonibus & latronib. ac bannitis habendos, quibus nulla securitas præstanda.

Nouell. consti. 52. & c. vni co de iniur. Bart. in tract. de represſ. Clarigatio. Hostes publici. L. hostes. ff. de captiu. & post. re.

Explorandum an constitutio Imperialis aduersus pacis turbatores alicubi violetur, quæ cap. IIII. *huius libri refertur.*

Pacis turbatorum.

Diuersoria & tabernæ meritoriæ in solitudine locisque suspectis non permittantur ædificari, & reperta aboleantur.

In diuersorijs fiat inquisitio an sint receptacula facinorosorum nebulonum, an immoderati sumptus, an aleæ ludus aut alterius generis quæstus causa, an perpotationes intempestiuæ concedantur, de quibus cap. XIIII. *politicorum superius dictum.*

Diuersoriorum.

Inquiratur de latronibus, prædonibus, sacrilegis, grassatoribus, furibus & eorum receptatoribus, sine quibus diu latere non possunt, reperti coerceantur. Item validis mendicantibus, planis, Aegyptijs, mimis, erronibus, qui se milites mentiuntur, vrsos saltentes ducentibus, atque id genus otiosis & inutilibus terræ oneribus ditiones purgentur, iuxta Impp. Constit.

Otium iners cohibeatur, exemplo Amasis & Areopagitarum, quæraturque quo quisque quæstu viuat.

Vt liberi præsertim pauperum artibus ac laborib. adhibeantur, exemplo Antuerpien. vt nemo sit sine arte aut honesto quæstu vnde viuat.

An mercatura legitima exerceatur, ne inutilia pro vtilibus importentur ad luxum, néue res necessariæ exportentur, contractus illiciti, vsuræ, monopolia, dardanarij cohibeantur.

Inquiratur an rerum necessariarum cura, quod panis, vini, cereuisiæ, frumenti, opsoniorum in diuersorijs precium. Coerceantur inutiles sumptus. Inquiratur de operarum mercede.

Honestatis & familiarum ratio.

Inspiciat vt boni & honesti & probi prouehantur, mali conquirantur, & in eos prout quisque deliquit animaduertatur.

L. 1. §. sed etsi. ff. de vent. inspic. L. sancimus. L. dubius. C. de contrah. empt.

Si qui reperiantur honesta familia orti, ac natales moribus comprobantur, hos ad officia ministeriaq́ honesta prouehat, aut alijs subsidijs succurrat: Nam Reipub. interest, vt honestæ familiæ conseruentur. Non patiatur bona honestorum stemmatum extra familiam alienari: reuocetur noua Frederici Imperatoris constitutio, abrogata Val. & Grat. ac Theod. Impp. contraria lege.

Inquisitione Reipub. facta priuati quoque patrimonij rationem non negliget. Rimetur cuiusque præfecturæ prouentus, iura, vectigalia, feuda, clientelas, emphyteuses, telonia, pedagia, tributa, exactiones, collectas, insulas, alluuiones, portus, naualia, portoria, mineras, metalla, syluas, pascua, viuaria, fluminorum, riuorumq́ conditiones, molas, fundos vectigales, prædia patrimonialia, indictiones, mulctarum ac fisci rationes, operas præstandas: & qua diligentia hæc omnia administrentur, an citra fraudem elocentur a subditis exquirat. Si quid reperiatur incommodi, id curetur sarciendum. Si ministri deprehendantur corrupti, aut parum fideliter quæstura vel functione sua vti, reijciantur, & pro ratione delicti mulctentur, atque alij datis idoneis stipendijs substituantur, ne vel subditos grauandi, vel domini facultates fraudulentur, administrandi occasio præbeatur.

Id si faciat princeps, simul & suo patrimonio conseruando riteq́ administrando consulet, & fidos habebit ministros: Sin autem negligat, neque ipse suarum facultatum rationes & dispensationem exquirat, ea negligentia.

gentia alioqui fidos ministros ad fraudium exercendarum securitatem prouocabit, & patrimonij vires indies magis atque magis attenuabuntur, sine quibus præsidijs Reipub. gubernatio sustineri non potest, vtpote quibus princeps ipse, militares copiæ, ac tàm varia ministeria publica aluntur, conseruantur, & ritè administrantur, vt Iustinianus testatur. Contemplandæ artes principales & ædificia quæ restauratione indigeant, & vt sarta tecta seruentur. Atque, vt paucis hæc complectendo finem faciam, an quæ in limitibus ditionum sita castella & arces diligenter custodiantur, an idoneis munitionibus & commeatu iisdem prouisum. An ex omnibus iam dictis quæ sunt administrationis & status conseruandi, veluti stipendia ac principale patrimonium alienata, aut fiduciaria aut hypothecaria obligatione grauata, quod si reperiatur vt redimantur. Ad eundem modum de seruitijs & operis præstandis si quid oppignoratum vel remissum vt recuperetur, ne aliorum immunitas alios grauet. Horum & similium cura & inspectio principi necessaria, neque semper satis existimet alienis oculis & auribus vti, sed, quemadmodum diximus initiò, frontem occipiti præponere necesse est.

FINIS.

INDEX CAPITVLORVM,
QVÆ IN HOC OPVSCVLO CONTINENTVR.

ILLV-

IOANNIS STVRMII

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM GVLIELMVM, DVCEM IVLIACENSIVM, CLIVENSIVM, MONTENSIVM, COMITEM Marchiæ, & Rauenſpurgi: DOMINO in Rauenſtein, Ioannis Sturmij de educatione Principis.

EST res illuſtriſſime Princeps omnino optabilis, vnà cum natura ſecum adferre in hanc lucem, formam corporis bonamq; valetudinem, & præclara res eſt nobiliſſimum naſci, & inſeri vetuſtiſſimus familijs, & hæc bona excellentiora fiunt, cum ingenij etiam acumen, & animi indoles à natura naſcentibus attribuitur. Sed etiam inſtitui & educari, atque erudiri bene laudabile eſt, ſine quo naturæ vis ſæpenumero aut conſopiri ſolet, aut debilitari, aut impediri, vt nihil egregium lucubret. Quamobrem corporis tui robur & forma vnà cum vita occidet, & generis laus non tanta poſt ſe futura eſſet, niſi morum eſſet illuſtrata probitate & mentis acie, quas res duas in te & amamus omnes & admiramur. Sed hæc ipſa nõ tàm late vim ſuã explicaſſent abſq; domeſtica educatione & diſciplina, in qua conſtituenda maximopere patris tui optimi principis, & matris prudentiſſimæ fœminæ memorabilis extitit prouidẽtia, qui id elaborarunt, vt nihil oculi tui viderent, nihil aures haurirent, nihil animus cognoſceret, quod & à virtute magnorũ virorum, à religione Chriſtianorum, à doctrina credulorum, ab omnium hominum honeſtate eſſet alienum. Itaq; felicitatis tuæ pars eſſe non minima creditur ab eruditis hominibus, quod adoleſcentulus Conrado Heresbachio traditus in diſciplinam es, cui viro & prudentiam tribuunt, & diligentiam, & fidem, & doctrinam, & religionem, & moderationem, quæ ſex virtutes cum in magiſtro ac præceptore inſunt, vbi natura bona erudienda concredita eſt à parentibus, nihil poteſt non ex ſe præclarum atque excellens gignere. Prudentiæ eſt, conſiderare quanta res ſit, habere in ſua diſciplina principis viri filium, quem parentes hæredem ſuum velint, quem populus expetet, vt optimè & ſalutariter,

Prudentia magiſtri.

tariter, & moderatè, & scienter gubernet Remp. cum etiam ex priuatis familijs sæpe oriantur, qui aut vtiles sint aut honorifici etiã salutares patriæ ciues, quanto magis hæc disciplina principes familias decet? quib. qui præsunt, quo magis auctoritate æstimatione, honorib. pollent, eo etiã doctrina magis & virtute ac moribus cæteris debent hominibus prælucere. Ergo prudentis est magistri morumque præceptoris in primis considerare, quantum munus susceperit, et qualis de se sit parentum, patriæ, honorumq́ omnium expectatio, qualis etiam eruditorum, pertinet enim ad omnia literatorum hominum collegia, principes familias rectè beneq́ institui, vt ad Philosophos Aristotelis educatio, qui ita Alexandrum enutriuit, vt comprobatum sit, non solùm Remp. curari à philosophis posse, sed etiam magistratus, & Reip. principes, & reges institui & erudiri tales moribus & sapientia, quales vita mortalium, & hominum ingenia naturaq́ desiderant. Itaq́ incertum est, vter ab altero plus sit honoris per hominum vitas consecutus? Aristoteles qui instituit & expoliuit, an Alexander qui imperiũ à Philippo patre acceptum, ita gessit ea quam ab Aristot. accepit scientia, vt omnis inuidia patris desierit in filio, & quẽ principio Græcia ferre non potuit, is absq́ inuidia ita patris imperium amplificauit, vt omnium propè hominum fieret dominus, & gloriosum cognomentum inuenerit, & Alexander Magnus sit appellatus, non imperio solùm et fortuna, verùm etiam regnandi imperandiq́ scientia. Nõ tantos labores talesq́ suscepisset curas Aristoteles, aut ob pecuniam aut propter famam, quas quidã Philosophi spernunt omnino: Aristot. nõ summo loco collocat, sed quod ad Doctoris prudentiam atq; officium arbitratus sit pertinere, in primis constituere quanta res sit disciplina domestica, præsertim regũ, cum hi ad informandum et ad docẽdum non à parentib. modo, verùm etiam à populo committuntur, cum ipse etiam Aristoteles similem curam in Platone expertus sit, et de Socrate acceperit, quos discipulos habuerit, qua prudentia institutos, qui cum priuati essent, tamen & vtilitates et laudẽ & gloriam patriæ propter doctrinam ampliarunt. Hæc igitur prima sit siue magistri siue Doctoris, siue præceptoris virtus, animo complecti magnitudinem rei, vt officiũ suum laudabiliter faciat, quod vbi statutum erit, nõ de futura est, quam se-

Diligentia. 2.

candariam requirimus, diligentia, sine qua nihil vnquam magnum atque præclarum effici potuit. Hæc Antonium, Crassum, Ciceronem, tales oratores dedit, quales fuisse eos & legimus & cognoscimus, hæc Vlyssem Mineruæ admirabilem reddidit, vt est apud Sophoclem:

αἰεὶ μὲν ὦ παῖ Λαρτίου δέδορκά σε
πεῖράν τιν' ἐχθρῶν ἁρπάσαι θηρώμενον

Odoratur enim hæc quàm sagacissime, & scrutatur omnes latebras, & quasi venando omnium rerum insequitur vestigia, vt nihil reconditum à doctis, aut à natura abditum sit, aut lateat alicubi temerè neglectum, quod non inquirat.

Diligétiæ tripartitum officium.

Sed præceptoris distracta tres in partes est diligentia, quarum vna est sita in recognitione earum rerum quas vnquam didicit, altera in earum intelligentia quas ignorat, tertia in consultatione, quomodo eas principi suo discipulo tradat, vt minimo cum labore, nulla cum molestia consequatur, quæ ei sint ad mores & prudentiam & doctrinam vitamque necessaria: Nam quæ nostrorum fuit temporum infelicitas, vel potius miseria, quàm multa nobis proposita pueris fuerunt, quæ non erant necessaria? quàm inutilia? quàm mala? quàm barbara? quàm etiam nullo ordine? quàm nulla via & ratione? sed tamen quia bona etiam quædam atque plæclara, & ab alijs accepimus, & ipsi nobis comparauimus, diligentiæ est ea conquirere & distinguere inter se natura, ordine, necessitate, vtilitate, modo, facilitate, vt apparatus noster non solùm copiosus sit, verùmetiam varius, digestus, explicatus. Idem retinendum in ijs est quæ deinceps discuntur, nam quia nobis non legimus sed discipulis, gustanda sunt omnium scriptorum genera, vt quem cibum puerili stomacho salubrem sentiemus, eum recondamus, vt suo tempore conditum benéque coctum porrigamus, quæ duo cum peracta erunt consultatio sequetur, quomodo porrigamus, & quæ nam & quo ordine, de quo præcipiendum pluribus.

Fides magistri.

Sed in diligentia fides inesse debet, quæ vtilitates & progressu discentis censenda est. Sunt enim multi, sibi non suis diligentes, quorundam etiam diligentia ad ostentationem dirigitur, quæ fallax est, vtilẽ verò diligentiã requirimus. Ergo qui alios docet, vt ipse discat, is suum, nõ alterius quærit cõmodum, & qui laudem quærit ex memoria pue-

ri,

ri recitatione Latinorum & Græcorum versuum, is paucarum horarum merces explicat, nullas facultates opesq́ recõditas voluit possideri. Quartum locũ doctrinæ dedimus, & quintũ religioni, cum tamẽ religio primas teneat, & doctrina proximas partes, sed fuit hoc ordine mea mihi exponenda sententia. Ergo prudens iste præceptor & diligens, & fidus atq; fideles etiã instructus sit ab artib. & à multarum & variarum rerũ doctrina, quæ literarũ prudentia est atq; scientia, diuersa multũ à prima, de qua primo loco dixi, quæ cõmunis est, & artificib. in medio omnib. proposita, hæc verò prudentia eruditorum est hominũ, sine qua primæ illæ tres virtutes in liberorum educatione nihil præstare possunt, nisi vulgare & plebeium, hæc verò singulare aliquid & politũ atq; admirabile solet in hominũ ingenijs gignere. Sit ergo talis principis pueri magister qualis Conradus Heresbachius fuit, vel potius qualis nunc est, perfecto literarũ cursu, multarũ rerũ vsu, cõsummato iudicio, amabili grauitate, graui lenitate, vt doctrina non perfectionem solùm adepta esse videatur, sed morum etiã decentẽ elegantiã. Ridicula enim doctrina est in arrogantia, morositate, fastidio, leuitate, si tamen docti haberi possunt, in quibus huiusmodi sunt animi motiones. Quanquã sunt in omni genere magnorũ hominum aliqui inepti, vt oratores Erucij, Curtij, Mamerci, poetæ vt Marsi & Zoyli & Chærili, Senatores vt Valgulæ, Aselli, Mancij: Imperatores etiam & duces, vt Thersitæ, Glauci, in quibus non scelera vituperantur, sed ridentur ineptiæ. Fiunt tamen quædam amabiliter inepte, vt de Scipione & Lælio legitur, animi eos relaxandi gratia conchas & vmbilicos ad Caietã et Laurentum legere solitos fuisse. De Archimede scientissimo Mathematico traditum est, cum inuenisset in balnei aquiminario rationem, quantũ probi aurifurax artifex de massa abstulisset, nudum ex aqua domum cucurrisse, & inclamitasse Græco mathematicorum verbo εὕρηκα, eiuscemodi ineptias virorũ ferre possumus, & habent aliquando vtilitates, vt mox ostendemus, sed fastidiosos, opinatores, arrogantes, rixatores, morosos, deniq; ineptos, nemo aspicit, quin rideat propter ridiculum, aut doleat causa literarum. Quamobrẽ sanã requirimus in magistro eruditionẽ, cum aliarum rerum multarũ atq; magnarũ, tum inprimis antiquitatis & ciuilis

Doctrina magistri. 4.

scientiæ, sine qua raro boni possunt gubernatores et viri Rerumpub. principes existere. Doctrinæ & rerum scientiæ Plato ex Socratis sententiam tantam tribuit, vt Resp. philosophis commiserit, quod tamen minimè velim, fuerunt enim post Socratẽ nimis multi inepti philosophi. Ciuilem prudentiam antiquitas tanti fecit, vt cum verisimile esset, nõ eam tenere omnẽ Numam Pompilium, ei Aegeriã adiunxerint, vt Vlyssi Homerus Mineruam, à qua quotidie doceretur. De antiquitate & historia nullum dubium est, quin omnium Rerump. ciuilisq; doctrinæ & vitæ exempla contineat. Vlysses pro historijs, quæ eo tempore nõ extabant, multarum gentium mores in suis cognouit erroribus: Qui mores hominũ latè perspexit & vrbes, vt est apud Horatium, eaque de causa Homerus Nestori tres ætates dedit, quæ multarum atque magnarum rerum suppeditarent memoriam. Et vt fabulas relinquamus, nulla antiquior historia est quàm Moysis, nulla maiorem auctoritatem habens: Patriarchas, vitæ longinquitas multa vtilia, necessaria præclara docuit, sed postquam Deus humanæ vitæ propter scelera cursum decurtauit, eique breuem terminum constituit pro longitudine vitæ & diuturna experientia, historiæ dono genus humanum viuit, & Moysen dedit atque Prophetas, à quibus multa simul mortales condiscerent. Sed si est aliquod genus hominum, ad quod potissimum antiquitatis memoria pertinet, est id magistratuum & regum & principum in imperijs, quos ad talem curationem non solùm voluntatem & ingenium, sed etiam scientiam atque memoriam exemplorum adferre decet, ad deliberandum, ad iudicandum, ad prouidendum, ad cauendum, ad omnia imperij munia. Historias igitur inprimis teneat omnium temporum, populorum, virorum is Doctor, qui principum erudiet liberos, & illorum hisce præcipuè mentes imbuat, vt vbi adoleuerint, & ad Rempub. accesserint, in iuuenilibus eorum animis prudentia vsusque inhabitare senilis videatur. Sed in his illud meminisse oportet, non eo à me hæc dici quo solas historias cõmendem, sunt enim alia etiam multa præclara cognoscenda, veruntamen historias cum primis discat adolescentulus, magister si fieri possit omnia sciat, & ex omnibus optima delegat, quæ conueniant ætati & virib. id quod ad docendi

rationem

rationem pertinet: de qua pòst cum de moderatione dicetur: nunc de quinto agendum quod erat religionis: quæ virtus vna, cæteras complectitur omnes atq; vniuersas, simul ac enim religio alicuius animum occupat, omnes ibi virtutes subitò vna erumpere & effundi necesse est: adeò id clarum est, vt etiam si Stoicorum dogma obscurum esset, tamen in religione intelligeretur, qui dixerunt, qui vnam virtutem haberent, eos omnes non consequi sed habere. Religionē hic ego cum pietatem voco, tum etiam diuinitatis noticiam: quo fit vt hæc pars appēdicula partim sit doctrinæ, partim singularis quædam hominis virtus, ignem in homine inflammans diuini amoris, vt quale in oratore quidam requirunt vt sit vir bonus, tale ego in doctore flagitem vt sit religiosus, non singulari aliqua vitæ professione, sed communi omnium Christianorum officio, quòd religionem in omnibus desiderat hominibus, vt Deū metuant, ament, venerentur, implorent, orent, precētur, idq; nulla falsa superstitione sed scienter, in diuinitatis enim inscientia nō potest vera esse religio: quæ causa est, quòd talem præceptorem principi puero quæramus: ex cuius ore tanquam ex fonte salubres atque cœlestis vitæ aquas hauriat. Non enim religio solum sed etiam superstitio altissimis defigitur radicibus, & minus superstitio se doceri quam religio patitur, quæ postquam radices nacta est, euelli ex animis hominū non potest. Vt enim id crederemus verū esse, monstrosis nos exemplis multarum ætatū serie prædoceri nos Deus voluit. Itaq; non solum Solem & Lunam quædam nationes adorarunt: & homines benè aliqui de mortalibus meriti in Deos depositi sunt: & Dij nominibus effecti, vt Flora, Robigus, Lympha, Bonus Euentus: verum pro Dijs etiam bestiæ habitæ sunt, idq; ab Aegyptijs, quibus tamen ingenij acumen est propter regionis contemperationem, & qui sibi literarū & artium inuentionem arrogant & quis hos illis temporibus errores & hanc monstrosam superstitionem ex opinionibus eorum in quibus hærebant potuisset euellere? Sapientissimus habitus fuit totius Græciæ Socrates, & tamen in ijsdem fuit de Dijs erroribus, & suum Dæmonium pro numine habuit. Doctissimus M. Varro celebratur: ecce quid precatur principio librorum suorum de agricultura: NEC NON ETIAM PRECOR LYMPHAM ET BONVM

Religio 5.

EVENTVM, *quid hæc alia est quàm verborũ non diuinitatis precatio? at qua ratione ducitur vt hos Deos esse credat,* QVONIAM SINE AQVA, INQVIT, OMNIS ARIDA ET MISERA AGRICVLTVRA. *O Dialecticum, quia sine aqua ariditas, idcirco ne Lympham pro Deo coli oportet?* QVIA SINE SVCCESSV, INQVIT, AC BONO EVENTV FRVSTRATIO EST NON CVLTVRA, *istud ne argumentari est, an desipere? Aiaci boues pro hominibus flagellanti ignoscere possunt, non possum veniam dare Varroni Lympham adoranti, viro in Repub. magno, multæ lectionis, scriptionis, experientiæ, vsus, qui cum videret Aegyptios in suo Crocodylo insanire, se in Lympha sua delirare non sensit. Tantam vim habet in falsitate educatio, consuetudo, persuasio, vt oculatissimi cæcutiant, sagacissimi non odorentur, acutissimi non intelligant, vt sapientia eorũ stultitia appareat, in eaq́ pergant & moriantur, etiam moniti atq́ reuocati. Quò magis ego Iudæis ignosco, qui propter istos horribiles errores nõ patiuntur se à suo malè intellecto Moyse & à reconditis sibi Prophetis & à suo mutilato Deo abstrahi, etiam Mahometanis, qui potius simili in particula colenda Dei errare malunt, quam multos & vanos Deos colere. At Numã Pompilium quomodo laudare possumus, qui cũ doctissimus & sanctissimus, peritissimusq́ religionũ à Romanis sit habitus, Aegeriam suã finxit, & eam vanitatẽ populo suo cõmendauit. In hoc summo rege nónne ita fœda ista inhæret macula, vt nobis videatur omnis eius sorduisse religio? Et vt ad Iudæos meos redeam, quib. aliquam sedem in ciuitatibus reliquisse videbor, quia euitatiõe vanæ diuinitatis falsiq́ cultus excuso, nónne sensibus omnibus diuinitus videntur esse priuati, cum in tanta prædictione calamitatum, & profligationis populi vniuersi, cum fateantur diutissimè his sese malis vexari, tamen aperire oculos non possunt, vt lucem intueantur, veluti qui ephialtæ grauantur, qui sentiunt malũ, vnde autẽ accidat non possunt per somnum intelligere. Tantam Iudæi suæ religioni fidẽ habent, vt si possent, & si potens aliquis fictusq́ & seditiosus Messias oriretur, nemini mortaliũ in omni religione parerent, & orbem terrarũ sibi creatum & constitutum putarent, cæteros mortales incendijs & cæde tollerent, vsque*

adeò

adeò non solùm vera religio grauis & sancta est, sed etiam falsa, dura est, & morosa & pertinax & crudelis. Quid enim de Turca dicemus? cuius exemplũ nos vnũ docere potest, neq; bono euentu veritatẽ religionis probari, neq; disciplinæ seueritate, neq; ætatũ progreßionibus. Quot enim iam annis regnant? & religionẽ suã tuentur, & pro iure suo belligerant, quàm constanti totius populi fide & obseruatione erga Tyrannũ cum qua ceremoniarũ & institutorum, falsa quidem & ficta & nugatoria, attamẽ dura & rigida disciplina? quanto etiã & quali successu? In angulo orbis audacium hominũ globus vnus coijt, qui iam in Africa regnat, qui Europæ partem maiorem occupat, qui Asiam totam in sua habet & ditione & potestate, qui à nostris etiam monarchis nõ Dominus, sed magnus Dominus in Legationibus appellatur, an mirũ sit hunc credere diuinitus se in imperium maiorib. suis succeßisse, & maioribus quasi in manus à Deo traditum esse omniũ gentium imperium: ergo nulla mala conscientia quot ille nũc millia hominũ tot annis vicit, vexauit, trucidauit, sustulit. Tanti refert principem benè institui, qui gladio non doctrina religionẽ suam vindicat, qualiscunq; illa sit qua est enutritus, vsq; adeò necessarium est solicitè prouidere ne quid falsi in religionem vel ætatum vitio, vel hominum imperitia, vel fraude improborũ irrepat, præsertim cũ tot ætatũ & populorum exemplis doceamur. Quid enim Athenis fuit præclarius, tum, cum floruit omnium disciplinarũ doctrina, quid apud eos sanctius quàm cõditores eius ciuitatis Neptunus & Minerua? quid magis his persuasum quàm hos deos esse? cum ficta solum sint impiæ religionis vanaq; nomina, tantam habuit de hæc istis opinio autoritatẽ, vt cum eorum sapientes mathematici atque philosophi diligentißimè inquisiuerint quomodo circulus quadrari poßit, non cogitarint quomodo verum esse poßit hos Deos esse, cum pro his, vt pro patria pugnare deberent, circuli verò quadratio etiam inuenta, non tantum attulisset ad fastigium philosophiæ quàm Architecturæ securis & dolabra, quibus rotũdus & orbiculatus trũcus facili labore quadratur. In quibus Athenensib. illud etiã maximopere mirandũ est, quod magis stulti fuerint in ijs quæ se scire putabant, quã in eo quod se ignorare fatebantur. Delubrũ colebãt Agnosti Dei, propterea quod notus nõ esset, idcirco eum

hac:

hoc nominarunt nomine, si hunc etiam philosophi quæsiuissent, & inuenissent illum Iesum vocari, & cognominari Christum, aut si magistratus cogitassent quidnam esset, quod maiores sine vultu & figura, & cognomento delubrum statuissent, clementiores fortasse in Socratis iudicio fuissent, qui quoniam suum Dæmonium sequebatur, accusatus fuit quod Deos nouos coleret, & de Dijs patrijs sentiret male. Quo ego magis nostrorum temporum & nostræ religionis ignosco magistratibus, qui in religione sua defendenda sunt seueri. Nam si vi religionem retinere oportet, & si potuerunt id facere Romani in suo Ioue Capitolino & in Romulo indigite, si Athenæ in Minerua, si Aegyptij in fele & crocodilo, cur non similis seueritas sit retinenda in Christianorum religione, quam non solum anni mille quingenti stabiliuerunt, argumenta & rationes confirmant, miracula demonstrarunt, sed quam antecedentia etiam patriarcharũ, & prænunciationes prophetarum tot anteactis seculis comprobarunt. Ignosco quidem istis magistratibus, verùm cum gemitu & lachrymis, & optatione mentis iudicijque melioris. Si satis est seueram esse religionem, fuit seuerissima Imperatorum Romanorum, numerosam, fuit numerosissima Aegyptiorum, honorificam, quid honorificentius Romæ quàm Deorum puluinaria vrbanæque ceremoniæ constantiam? quid constantius in sua Religione Turca? Rege Tunetensi? & hoc Numidarum Rege, qui cum Cæsare est? declarant copiæ cœlestium martyrum fuisse in falsis religionibus, reuerentiam, constantiam, seueritatem, à quibus animorum confirmationibus rapti martyres fuerunt ad supplicia, si eos, qui hos sustulerunt peccasse videmus, & tamen peccasse cõstanter, persuasos sua religione, cur nos non paululum respiramus, & cogitamus posse fieri, vt nostra sæuitia Deo displiceat, aut vt iudices errent, aut vt Theologi, aut vt consuetudo, aut vt beatiores sint qui in supplicijs patiuntur quàm qui condemnant? Illud etiam atque etiam cogitandum magistratibus atque principibus est, qui nam sint, qui reos ad flammas & ad cruciatus ducant? non enim carnificis gladius fulget, qui ceruices ferit, sed principis, neque carnificis manus est, quæ rogum incendit, & flammam excitat, sed principis dextra. Quemadmodum nec iniquum iudicium ad lictores atque carnifices

pertinet,

pertinet.sed ad magistratus, quibus si malè iudicent præstanda culpa est in cælesti iudicio. Quamobrem discat princeps puer ex hoc quem requirimus præceptore, veram religionem, quam suo tuetur gladio, vt non solum regere suos, sed etiam iustè sanctéque regere possit, non enim ignorantia excusat magistratus, eadem enim Regem Numidarum, Persarum, Turcarum excusaret, non consuetudo, quæ Iudæos etiam fefellit, non temporum longinquitas, fuit enim Græcorum vetustissima & Romanorum perantiqua religio, non equidem quòd Christiana religio nō certissima sit, sed non solum Christianam postulamus religionem, sed eam flagitamus etiam puram, incorruptam. Vt enim religione nihil syncerius esse debet: ita etiam nihil facilius corrumpitur accessione superstitionis. Itaque bonorum & doctorum virorum est contra impias ceremonias, & contra doctrinam falsam pugnare, & pro integra, pura, syncera, sana, mortē oppetere, & cruciatus contemnere. Non enim vt in Platonis & Aristotelis repub. leges aliquæ malè ferendæ & tolerandæ sunt, vt ne qua periculosa oriatur reipub. controuersio: ita in populo Christiano ceremoniam irreligiosam, & precationem impiam, & opinionem contra Christi & Dei præcepta dissimulare oportet, in religione fidelem & iustum esse decet, etiamsi orbis collabatur. Ergo beatæ illæ vereq; cælestes animæ, quæ nostra ætate sanguinem suum effundi passæ sunt pro religionis puritate, & haud scio an minus fortiter passæ sint quàm primi Ecclesiæ martyres. Nam hi ea formula iudicium hominum sustinuerunt, quoniam Christus filius Dei sit, & eiusdem cum patre diuinitatis sit particeps, hi verò quoniam corrupta sit doctrina, vitiatæ ceremoniæ, leges impiæ in Ecclesiam irrepserint, & hæc omnia censeant esse emendanda, vt his mentibus in hoc mortali corpore ne aliqua iniuria fiat principis Christiani est prouidere. Itaque bene instructum esse à puero oportet præceptis doctrinæ Christianæ, vt iusticiam colat, religionem defendat, eam non patiatur maculari, quæ iam maculosissima est. Sed plura quàm mihi constitutum fuit de religione, veniamus ad partem postremam quæ fuit cōmoderatio, propria magistri virtus idque eruditi, hæc efficit vt quæ puer discet, ea discat cū voluptate, hæc difficilibus adfert facilitatem, hæc docet omnia, hæc tollit fastidium,

hæc matrum solicitudines adimit, quæ in studijs liberorũ solent valetudinem aduersam metuere, aut ingenij grauationem extimescere, aut disciplinæ duritiem timere, aut magistri morositatẽ vereri, deniq; hæc emendat quicquid puerilis educatio habet in se molestiæ. Maximopere enim tenenda est Socratis libro secundo de Rep. sententia: ψυχῇ δὲ βίαιον οὐδὲν ἔμμονον μάθημα. *Verissima hæc est, eoq; non interrogata est à Socrate, sed affirmata, non enim decet liberum ingenium seruili disciplina illaqueari, corporis labores violenti aliquando esse possunt, animi exercitationes & liberæ esse volunt, & voluntariæ, quicquid enim inuitis & recusantibus imponitur humanis mentibus, id leui momẽto data occasione excutitur. Itaque Socratis in eodem Platonis loco vocem sequi oportet,* μὴ βίᾳ τοὺς παῖδας ἐν τοῖς μαθήμασιν, ἀλλὰ παίζοντας τρέφε, *quæ vox si vera est, oportet præceptoris moderationẽ in duas partiri partes, quarum vna corporis est, altera animi, hoc est vna ludi, altera doctrinæ, vna iocosæ, altera seriæ voluptatis, vtraq; tamen vtilis sanè voluptas, quam à pueritia & adolescentia disciplina nunquam abesse volumus. Neque enim ratione caret quòd Græciæ nobilissimæ ciuitates huiusmodi disciplinæ Musas atq; Apollinem præsides esse voluerunt. Ergo & canere suis horis, & in venationibus interesse, & natationibus, & decursionibus militaribus, & saltu se cursuque exercitare non solùm concessum, verùm etiam necessarium iudico. Quamobrem principis pueri magister, in quo omnia ista sunt de quibus dictum est pro ætate, pro viribus, pro tempore, pro voluntate, pro instituto vitæ omnia debet moderari, in venationibus species quædam militaris fortitudinis, natatio quoque vtilitates habet, vt de C. Iulio Cæsare literarum monumenta docent, equestres decursiones propriæ sunt aularum exercitationes, saltus etiam cursusq; adolescentiam inprimis decet, sed in his moderatus præceptor prouidere debet ne sint immodicæ, ne intempestiuæ, ne periculosæ, ne cursum studiorum impediant, sed iuuent, vt puer credat omnia ista inseruire virtuti & doctrinæ, vt sciat in Imperatoribus & ducibus semper eos gloria cæteris præstitisse, qui cum militari fortitudine ciuilem prudentiam, & doctrinam literarum coniunxissent, vt de Iulio Cæsare & Alexandro Macedonico alijsq; multis legitur, quæ exempla is præceptor*

Exercitationes iuueniles.

rectè applicare poterit quem hic delineamus. Per magni verò refert quos habeat princeps & in exercitationibus collusores, & in studijs condiscipulos, quos non ex ipsa solùm nobilitate, sed èx toto etiam populo & ab exteris gentibus oportet conquirere, imò maximopere cauendũ est, ne in hanc disciplinam, & studia, & ad hos iuueniles ludos accedant, quibus virtus & honestas, & doctrina amabilis atque præclara non videatur, hic campus non minus ab impudicis oculis amouendus est, & à contagionibus vitiosorum vindicandus, quàm apud Poetas Dianæ balneationes, vt hi ludi etiam ad virtutis cultum adiumenta adferant, atque etiam ad literarum elegantiam. Habent enim omnia hæc, cantiones, cursus, saltationes, venationes, decursiones, gladiationes, sua vocabula, suas sermonis formulas, sua in historijs exempla, quæ ex literarum schola in gymnasium corporis & ex gymnasio in scholam deportabunt discipuli, si ea erit in magistro commoderatio quam requirimus, oportet enim vt hæ èxercitationes sibi mutuam opem suppeditent, & vtrinque accipiant alterna subsidia. Sed mirum videbitur multis quòd his rebus ego præcepta dem, qui ne concedere quidem eas deberem, quibus mihi reddenda ratio in hoc tempore non est, satis mihi est quòd intelligam & sciam hanc esse vetustam Persarum & Græcorum disciplinam, & quòd etiam tempora nostra moresque nostri doceant, quoniam hæc consuetudo vel potius ratio sublata est, idcirco tàm paucos esse in principibus, qui ad imperiorum atque regnorum amplitudinem, doctrinæ maiestatem adiunxerint. Quæ enim alia est causa, quàm quod literarum cognitio difficilis & dura & insuauis, molestaq; videatur, & corporis èxercitationes magis naturale, cum æquè sint vtræque naturæ consentaneæ si modus teneatur, & coniungantur à magistro tempestiuè & conuenienter. Sed quia nostris moribus puerorum ingenia vt à nutricibus per infantiam in cunis, ita hac ætate libris alligantur, nullo ludorum atque èxercitationũ quasi magisterio, fastidiunt quod cōguntur facere, appetunt à quo prohibentur, quo fit vt cùm à præceptoris subsellijs ad equitationes deducuntur, aspernẽtur literas, nouos magistros ament, & in scholis tyrannidem, in stabulis libertatẽ esse èxistiment, quantò ergo vtilius esset atque conducibile magis, hæc per ætatem puerilem

 discere,

discere, vt ante annum decimum sextum non solum scholæ, verumetiam tyrocinij non sit ignarus adolescens, & non minus & venari, & natare, & equitare benè & artificiose possit, quam illi ipsi qui his rebus sunt præfecti aulici magistri. Sed odiosa res est, & laboriosa & ingrata, literas discere, annos ego iam triginta sex literas disco, viginti tres easdem quas didici doceo, equidem videre non possum quid habeant literæ molestiæ, molestiæ dico, quid non habeant inquam voluptatis, si à tali tradantur præceptore atque magistro qualem hic eum esse volo, & qualem ego Conradum Heresbachium esse hoc præsertim tempore puto. Nam oratio quam de Græcorum lingua & literis olim Friburgi adolescens habuit, quam ego deinceps latere in bibliothecis paucorum non sum passus, quantum in se habet doctrinæ? qualem rerum, & quorum librorum cognitionem, quales significationes vberrimi pictoris, quantum facundiæ, vt hoc verbo vtar, disertaque & erudita linguæ documentū. Hanc adolescens habuit, quantum pòst tot iam annis accessit doctrinæ & vsus? Ergo qui talis erit præceptor qualis Doctor Heresbachius est, qui multa didicerit, legerit, viderit, vsu compererit, is quicquid difficultatis erit facilè poterit non imminuere sed tollere, quicquid molestum, id emollire, quicquid obscurum, id illustrare, distinguere etiam poterit nō solum mala à bonis, verumetiam vtilia à necessarijs, postrema à primis, vt neue intelligentia pueri, neue memoria grauetur, idque omnibus temporibus & legendi, & intelligendi, & scribendi & commentandi. Multa habent grammaticorum libri nimia, multa dialecticæ magis & philosophiæ quàm suæ artis propria, & ipsa dialecticarum atque rhetoricarum præceptiones facilius doctoris voce atque iudicio tradi possunt quàm libris sint explicatæ, iam disciplina de moribus & ciuili sciētia, & de legibus, & partes omnes philosophiæ naturalis, item antiquitatis memoria & historici cōmentarij, quàm multa habent in quibus non solum ordo & rerum expositio illustrari à magistro poterit? sed etiā quàm multa præteriri, adimi, contrahi, coaceruari, redigi in locos artificiosos, coarctari angustis cōmentarijs, in tabulis artificiose oculis discipuli opponi, vt de verborum confusione taceam, quæ nullum adhuc coactorem & digestorem habuerunt, cū tamē & lexica, & copiæ, & thesauri,

& com-

& commentarij,& annotationes omnis generis vtraque in lingua extent, quorum omnium cognitio infinita, & memoria negata naturæ humanæ est, vt nihil sit neque in susceptione, neque in elaboratione huius studij aut facile aut iucundum, absq; magistri huius quem propositum habemus ope & auxilio. Quàm fastidiosa res stilus est etiam eruditis rerum cognitione, nisi cum exacuerunt? at certissima ratio est adiuuandi adolescentis, vt & facilè scribat, & libenter & cum voluptate. Commemorare verò in sermonibus, et conuiuijs, hominumque congressionibus, quæ legeris, audiueris, scripseris, adeò magnum est, vt etiam eruditissimi facere id non queant absque pudore & metu reprehensionis, sunt tamen rationes, quibus qui munitus est, nullum neque grammaticum, neque poeticum, neque rhetoricum verebitur Aristarchum. Denique quia Deus in natura rerum nihil temerè, & confusè, & perturbatè constituit, sed omnia suas causas, & ordinem, & conuenientiam sortita naturaliter sunt, nihil ita fortuitum, & numerosum, & indigestum est, quod ab ingenio bene literato non possit proprietate distingui, specie continuari, generibus contrahi, quodcunque aut fieri potest, aut existere, simul ac sensu percipitur, intelligentia potest comprehendi, & notione aliqua notari, & quæcunque aut temporibus, aut rerum serie, aut earum cognatione, aut similitudine, aut consecutione connexa sunt, tametsi reconditam atque confusam molem habeant, tamen iisdem possunt & temporibus, & propagationibus, et propinquitatibus, & similitudinibus atque consecutionibus dispertiri, & doceri, idque modico discentis labore, minimo fastidio, nulla molestia, si talem qualem volumus artificem nanciscantur. Is siue artifex, siue magister, siue Doctor, siue præceptor, aut quocunque eum placeat nomine appellari, inuenire poterit cathenam illam Iouis de qua est apud Homerum, & intelligere quomodo illa compages cohæreat, ex qua cælum, terra, omnia elementa, omnes Dij, omnes homines dependeant, & Iouis dextra nutuq; moueantur. Est enim omniũ rerũ inter se perpetua cognationis cohærentia, & quia res perpetua continuatione copulatæ sunt, necesse est etiam verba, quæ rerum sunt signa, omnesq; sermonis atq; orationis partes continenti connexione coalescere, id quomodo fiat quod naturale est, &

quomodo confici debeat quod est artificiosum, tenebit hic noster principis Doctor. Quanquam non omnia in Doctore posita sunt, sunt etiam quæ ad magistrum adferre, eique adiungere oportet adiumenta, vt nec Galenus nec Hippocrates facile curare morbum possunt, nisi ægrotus etiam officium suum faciat, & custodes, cæteraque res adsint, quæ sunt ad sanandum necessariæ. Ita etiam puerum ad magistrum naturam atque ingenium & voluntatem adferre oportet. Quis enim facilius ingeniosum quàm stupidū erudiat? aut quis doceat fatuum & stultum? Etiam parentum requiritur prudentia, vt condiscipuli boni deligantur, vt aulicæ impeditiones & noxæ remoueantur, vt magistri constituatur & confirmetur autoritas, vt omnia adsint, quæ sunt conducibilia, vbi hæc congruunt, non mihi vllum est dubium, quin ibi populus & optimum & sapientissimum minimo cum labore, nullo cum fastidio, nulla molestia puerilis ingenij, aliquando sit habiturus principem, qui patrem non solùm viuum, sed etiam morientem consolabitur, vt libentius è vita migret ætate acta, cum talem cogitabit se hæredem suo populo tradere, qualis à felice populo Princeps gubernator sit exoptandus. Hæc ad te Gulielme Dux quasi præfari libuit, cum cogitarem Conradi Heresbachij orationem diuulgare, vt tibi memoriam præceptoris & iuuenilis disciplinæ renouarem, vt quasi testem certissimum haberem de diligentia, & fide, & prudentia, & doctrina Heresbachij, vt etiam tu liberis tuis, quos Deus daturus est, ante tempus præceptorem inuenias, vt cum tempus erit, in promptu sit cui imago matrisque & patris committi possit, qui eam ab omni macula custodiat. Prudentissimè loquitur apud Euripedem chorus Herculidarum:

οὐκ ἔστι τοῦδε πᾶσι κάλλιον γέρας
ἢ πατρὸς ἐσθλοῦ κἀγαθοῦ πεφυκέναι
γαμεῖν τ' ἀπ' ἐσθλῶν.

Vtrunque tibi diuinitùs datum est, vt & parentibus sis procreatus illustrissimæ antiquissimæque vtrinque familiæ, & talem in matrimonio vxorem habeas, cuius parentes in hac nunc Christianorum ætate nulli, nec genere, nec honoribus, nec fortuna, nec imperij maiestate sunt

secundi.

DE EDVCATIONE PRINCIPIS.

secundi. Filiolam Deus dedit, daturus etiam est filium, si is talem consequetur præceptorem, qualem hic indicauimus, siue id tua sponte facias, siue exemplo Conradi Heresbachij, gratulabor vobis parentibus de felicitate, et gaudebo patriæ meæ de spe vicini Principis, qui patri forma bonitateque similis, aliquando felicitatem populi, prudentia sua sapientiaque non patietur aut interturbari, aut minui.

IMPRESSVM FRANCOFVRTI AD MOENVM APVD GEORGIVM CORVINVM, IMpensis Hieronymi Feyerabend.

M. D. LXX.